This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Tappan Presbyterian Association
LIBRARY.

Presented by HON. D. BETHUNE DUFFIELD.
From Library of Rev. Geo. Duffield, D.D.

Geo Duffield

1842



Geo Duffield

16
Section
No

BS
1275
.V85

C.H.V. Heimenberg
1750

J 836 2.2.1.7

COMMENTARIUS
AD
CANTICUM MOSIS
DEUT. XXXII.
CUM
PROLEGOMENIS
CURA ET STUDIO
CAMPEGII VITRINGA, P.
S. S. Th. D. ejusdemque & H. S., dum erat, Profeſ. &c.

OPUS POSTHUMUM
EDENTE
HERMANNO VENEMA,
S. S. Th. D. & Prof Ord. & Academ. Concionat.

QUI
SELECTAS AD CANTICUM OBSERVATIONES ADJECIT.



HARLINGÆ,

Ex Officina FOLKERT JANSZ VAN DER PLAATS, Bibliopolæ, MDCCXXXIV.

Pappan Pres. Assocn. 9-29-1924

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

VIRO

D. HESSELO DOMINICO ERNESTO ab AYLVA,

TERRITORII WEST-DONGERANI PRÆTORI SUPREMIS IN REPUBLICA DIGNITATIBUS ET MERITIS PERILLUSTRI, INCLYTÆ FRISIORUM ACADEMIÆ CURATORI MAGNIFICO ETC. ETC. ETC.

H. VENEMA.

11-2-32 HWB

DEDICATIO.

Officium, ad quod benevolum Tuum, VIR NOBILISSIME, de me meiſque ſtudiis judicium me dudum obſtrinxit; quodque ſincerus TUUS in me affectus, quo me adhuc juvenem in hac ipſa Academia TE præſente & inſpiciente, ſtudiorum tyrocinia de-

po-

ponentem, complexus es, & in familiarius TUI conſortium admiſiſti, meque ad hoc usque tempus conſtanter proſecutus es, ſine ingrati animi crimine negligere non patitur: tanto promtius & lubentius nunc ex parte explere incipio, quanto arctius TIBI devinctus ſum, ex quo Nobiliſſimis QUATUORVIRIS, quibus ſtudiorum laborumque noſtrorum cura eſt demandata, quorum ſub tutela & benigniſſimo patrocinio debita fruimur libertate, adſcriptus es: quam TIBI provinciam demandatam nobis impenſe gratulamur. Probe equidem novi, TE laudum meritorumque

TUO-

TUORUM præconem, quo non indiges, qui in oculis civium verſaris, neminem, minus me, deſiderare, qui ſummo, quo fulges, ſplendori ab illuſtribus majoribus ad TE derivato, & in TE refulgenti, nihil addere poſſum, qui ab hominum commercio ſeparatus libris impallesco. Nec talem me TIBI exhibeo, cum hunc libellum TUO Nomini inſcribo: verum, qualem generoſæ indolis Viri poſtulant, beneficiorum TUORUM gratum prædicatorem, qui nihil antiquius habeo, quam ut TIBI, cæteriſque TUI ordinis VIRIS, me haud indignum compro-

pro-

probem, in quo beneficia collocentur, quemque ſuo patrocinio haud inviti tueantur. Hunc, quem mihi multis nominibus promitto, favorem, ſi conſecutus fuero, VIR NOBILISSIME, deſideriis meis ſatisfactum, meque contra invidorum malevolorumque inſultus, licet hoſtili prorſus modo in me irruentes, munitum ſatis & armatum exiſtimaverim. Stetit hucusque & floruit hoc Lycæum, Divina adſpirante gratia, per Viros, qui moderatiora ſtudia ſectati *libertatem*, juſtis limitibus circumſcriptam, ſuo pretio æſtimare noverunt: majorumque ſanguinem, pro

libertate tanta copia fuſum, ſanctiorem habuerunt, quam ut pedibus ſuis conculcarent, & pro nova tyrannide conſcientiarum oblatum cenſerent: beneficium denique Dei, quo ex puriſſimo verbi Dei fonte aquas ſalutares haurire nobis datum eſt, religioſius coluerunt, quam ut in impietate, ſuperſtitione & hypocriſi, quæ oppreſſæ libertatis triſtiſſima, ſed certiſſima, effecta ſunt, illud terminari ingrati paterentur. Hos inter Viros cum hujus libelli Auctor, quem TU, VIR NOBILISSIME, maximi ſemper feciſti, principem facile obtineat locum, TIBI, qui ſtudiorum fautoribus,

bus, litteratorumque, qui per ſtudia ab humanitate non diſcedunt, patronis, generoſe accedis, cum aliqua fiducia conſecro. Etſi enim libellus mole ſit exiguus; eoque nomine indignus, qui nobiliſſimo TUO nomine ornatus in publicum prodeat: nullus tamen dubito, quin hunc ei ſplendorem haud invitus conceſſurus ſis: cum quod magnum VITRINGAM parentem agnoſcat, tum quod æſtimationis de Te meæ perenne ſit monumentum. Accipe ergo, VIR NOBILISSIME, leve licet, quod TIBI offero, munuſculum: meque Nominis TUI cultoribus,

iisque, qui a TE digni habentur, quos in oculis geras, me annumeres, etiam atque etiam rogo. Faxit Deus, ut in Reipublicæ ac Eccleſiæ commodum diu floreas vigeasque. Dabam Franequeræ XVIII. Kalend. Mai. MDCCXXXIV.

Quam-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

QUamvis Commentarius, quem Tibi offero, B. L., quippe ad calamum a Cl. AUCTORE dictatus, & in Auditorum uſum deſtinatus, magni Viri ingenium, judicium & eruditionem perfecte non referat,

adeoque reliqua Viri ſcripta nullo modo æquet, ut Tu ipſe facile judicaveris: duplici tamen nomine eum luce publica non indignum judicavi, cum quod ſummi Viri cogitata, quæ quanti ſint æſtimanda, Viri fama & ſcripta Te ignorare non ſinunt, ſatis fideliter exprimant, tum quod in hypotheſi illuſtris hujus Cantici indaganda, de qua inter ejus Interpretes non convenit, facem Tibi præferre, & multis locis difficilioribus lucem adſpergere poſſit. Cum hoc enim commentario ſi COCCEI, TILLI, Virorum Clariſſimorum & Doctiſſimorum, & plurimum Vener. RAVESTEINI, (qui patria lingua conciones ſuas, Viri egregiam in verbo Prophetico peritiam, & de Eccleſia bene merendi ſtudium, demonſtrantes, cum publico communicavit,) meditationes, quas nemo

mo, niſi indoctus, ſpreverit, contuleris, ad Cantici intellectum præter judicium Tuum nihil quicquam deſideraveris. Ad meas, quas, prelo urgente, ſubjunxi, obſervationes quod attinet: nihil fere habeo, quod Tua ſcire refert. Diſſenſum meum cum modo laudatis non tantum Interpretibus, ſed & Auctore ipſo, quem in ultimis præcipue Cantici partibus obſervabis, eo feres animo, quo Tuum ab aliis ferri amas. Rationes, quibus opiniones meas firmavi, ſi Te talem nactæ fuerint judicem, qualis haberi vis, ſtent cadantve tuo judicio. Prolixiores fuiſſent notæ: ſi aut alia, ac quæ ad intellectum Cantici neceſſaria erant, in medium proferre, aut propriarum & ſingularium cogitationum limites migrare, & aliorum ſcrinia compilare, animo ſediſſet. Cæterum
quod

quod in vocum Hebræarum emphaſi indaganda Cl. A. SCHULTENS, Viri in his litteris ſummi, cui multa accepta fero, veſtigia preſſerim, ægre non feres, qui regia via in Linguæ Hebrææ penetralia tendis. Vale & conatibus noſtris fave. Dabam Franequeræ XVIII. Kal. Mai. MDCCXXXIV.

EXE-

EXEGESIS CANTICI MOSAICI, QUOD CONSIGNATUR DEUT. XXXII. 1-42.

Prologus de Auctore, Argumento, ſcopo & Analyſi Cantici.

I. ANtequam Moſes concederet fato ex deſtinatione conſilii divini in Campeſtribus Moabi, juſſus eſt à Deo, ei verba & ſenſus præformante, conſcribere Canticum, relinquendum memoriæ poſteritatis populi judæi in longa & ſera tempora, quo Eventa gentis, à Deo præviſa, deſcriberentur, quod exhibetur Deut. XXXII. 1-42.

II. Argumentum ejus fere totum eſt generis Elenctici, quod tamen, ut fere omnes prophetiæ de fatis hujus gentis, terminatur in luculento promiſſo gratiæ, in fine temporum repræſentando. Utique enim continet conteſtationem Dei Judicialem inſtitutam adverſus Iſraëlitas Fœdifragos, qua certo aliquo tempore convincerentur de juſtitia viarum Dei, demonſtrata in extremis iisque graviſſimis judiciis, in illum Populum exequendis propter ſumma illius crimina, oppoſita maximis Dei beneficiis, ut patet luculenter ex *Præfatione* hujus Cantici Deut. XXXI. 19, 20. ſeqq.

ſeqq. unde de *Scopo* hujus Cantici judicandum eſt, de quo proinde verbum non addo.

III. Obverſatur itaque nobis hæc ode inſtar prophetiæ, cum in ea non tam præſentia & præterita, quam futuri temporis delicta adverſus fœdus Divinum committenda redarguantur; deſcribanturque calamitates, quas Populus Judæus ex juſto Dei judicio ſubiret, באחרית הימים *in fine dierum*, ſive *tempore extremo*, ut ex toto ejus argumento patet, & Moſes exerte monet, cap. 31:29.

IV. Unde nemini dubium eſt, primarium ejus auctorem eſſe Deum, ſolum fatorum temporis futuri conſcium; Moſen autem in Carmine hoc ſpectandum eſſe ut Miniſtrum à Deo inſpiratum. Imo vero qui præfationem Cantici attente legerit, facile viderit, magis illud Divinum dicendum eſſe quam Moſaicum, etſi ſub perſona Moſis concepta ſit oratio: ſic enim Deus apparens ad oſtium Tentorii Conventus Moſi, & Joſuæ, cap 31:19. *Et nunc ſcribite vobis Canticum hoc*, & ſeqq. Certe ea eſt in oratione majeſtas & ſublimitas ac ſententiarum electarum pondus, ut Vatem prodat à diviniore ſpiritu affectum & actum.

V. Eſt autem elegantiæ ejus argumentum clariſſimum in ejus conſtructione, cujus reſpectu dicitur שירה *Canticum*. Notat vox præcipue *Canticum*, quod ore cantillatur, ut מזמור, quod ad metri leges magis exactum adaptabatur ad Muſicam. Eſt itaque Carmen, quod שיר dicitur, ſtructuræ liberioris, compoſitum ex brevibus, acutis, emphaticis, & figuratis ſententiis, iisque paſſim rythmice conſonantibus, ſive in eodem terminantibus extremarum ſyllabarum ſono. Sic ante plures annos jam obſervavi in Lib. II. cap. I. Obſ. Sacrarum, antiquiſſimum genus

carmi-

carminis populorum Orientalium magis fuiſſe Rhythmicum, quam Metricum, & paſſim conſtitiſſe ſyllabis ὁμειοτελεύτις, qui modus Poëſios inter plures Populos alios Belgis quoque eſt receptus. Genus carminis, in quo reſpicitur ad ſyllabarum quantitates, Græcis & Latinis fere proprium fuit. Specimina ejus quod dixi quisque capere poteſt ex hoc Carmine, & alio antiquiore, cap. xv. 1. . . . & tentarunt poſtea ex doctis plures *A*.

A. Quæ Cl. Auctor de carminibus ὁμοιοτελεύτοις hic habet, accuratius paulo in comment. ad Jeſ. v. 1. explicuit & confirmavit. Sed vereor, ut hæc opinio, etſi & ab aliis magna probabilitatis ſpecie veſtita, ad ſeverius examen vocata, ſeſe tueri poſſit. a. De antiquitate enim hujus rythmi ex certis monumentis non conſtat? b. In ſcriptura hic illic ejusmodi rythmi quidem reperiuntur, ſed rarius, quam ut poëſios ratio hinc derivari poſſit. Tantum enim abeſt, ut *ſimiles deſinentiæ* ubique in odis & carminibus ſacris obſerventur, quod fieri deberet, ut paſſim nihil ſimile, niſi varia vocum transpoſitione vel mutatione, quæ lubrica & ſalebroſa via eſt, detegi poſſit: ut Docti exemplo ſuo comprobarunt. c. Accedit, ejusmodi deſinentias ſimiles vocum, quæ in lingua Hebr. frequentiores ſunt quam in aliis, definiri certo non poſſe, quæ *rythmum* ſcilicet conſtituant, quæ non: diverſi enim rythmi propter ſimiles deſinentias, ſæpius recurrentes, fingi facile poſſunt. Quæ ratio eſt, quare inter hujus opinionis patronos hac parte minime conveniat. d. Ipſa denique vox מזמור, quæ elaboratum & ad numeros muſicos *præciſum*, ut auctor habet ad Jeſ. v. 1., carmen ex recepta opinione denotat, nos non ad ὁμοιοπτώτως *ſimilis caſus verſus*, ſed ad *modulationem* ducit. Originem enim habet a זמר *ſecare*, *amputare*, dicitque carmen numeris ſuis adſtrictum, multivaria vocis *ſectione* & *fractione*

VI. Scena Cantici ſic eſt inſtructa, ut exhibeat ſpectaculum Conſeſſus Forenſis ſive judicialis, cui præſidet Deus ut ſummus judex, teſtibus cœlo & terra, h. e. cœleſtibus & terreſtribus creaturis omnibus ratione præditis, & in quo comparet Moſes ut κατηγορῶν Joh. v. 35. Judæam gentem ream peragens graviſſimorum criminum, adverſus ingentia Dei beneficia & defendens cauſſam Dei graviſſima iis inflicturi judicia; & tamen ſimul explicans illius judicii temperamentum. Ut adeo una tantum in hac ſcena compareat perſona loquens, & vindicans Dei cauſſam, quæ eſt Moſes, hic repræſentans, tum conſcientiam Iſraelitarum, tum Minſtros Dei omnes, Iſraëlitis vitia ſua improperantes.

VII. Partes cantici ſunt tres. *Prologus*; Διήγησις, & *Epilogus*. α. Prologus complectitur *ſcopum*, ad quem totum Canticum directum eſt, qui eſt δικαίωσις *juſtificatio* viarum Dei, & κατάκρισις *condemnatio* viarum Populi ejus, à ℣. 1. usque ad ℣. 6. *excluſive.* Διήγησις Cantici, ſive ἐξεργασία, quæ dicitur, & Materia ejus, quæ continetur à ℣. 6. usque ad ℣. 36. ſivé ex deſtinct Heb. 35. conſtat. α. Recenſione beneficiorum, Populo à Deo præſtitorum, à ℣. 6. usque ad med. ℣. 15. β. Recenſione delictorum & Cri-

ctione canendum. In qua præcipua poëſios ars antiquitus videtur conſtitiſſe. Licet enim ſimiles deſinentiæ hic illic obſerventur, illud tamen *caſu* magis quam *arte* contigiſſe videtur, ita ut ars potiſſimum in *numero ſyllabarum*, *ad judicium aurium examinata*, in *modulatione*, ut alibi Beda, ſita videatur: de quo conſulendus eſt Illuſtris J. Scaliger ad Euſeb. Chron p. 6. ne alios in vulgus notos memorem. H. VENEMA.

criminum à Populo adverſus Deum ingrato animo commiſſorum, à med. ℣. 15. usque ad ℣. 19. γ. Recenſione judiciorum terribilium Iſraelitis ob hæc crimina infligendorum, à ℣. 19. usque ad ℣. 29. δ. τῇ δικαιολογίᾳ ſive *defenſione cauſſæ* Dei, in qua hoc agitur, ut demonſtretur quod *Iſraelitæ* τὴν αἰτίαν ὑπέχωσι *univerſam cauſſam ſuſtineant*, à ℣. 19. usque ad 35. Epilogus conſolatorius, quo Deus à ℣. 35. 42.

Ἀνάκρισις Hypotheſios veræ hujus Cantici interpretandi.

I. PRimum & potiſſimum eſt in interpretatione hujus prophetiæ, definire hypotheſin, ſecundum quam exponenda ſit: ſive deſignare verum & proprium tempus, cui *ſcena* prophetiæ conveniat, quo ſcilicet *convictio* hæc judicialis vere & proprie inſtituenda eſſet. Sunt autem de eo duæ hypotheſes, ſecundum quas Interpretes prophetiæ hujus expoſitionem tentant. Pars eorum cenſet, ſcenam hujus prophetiæ figendam eſſe in defectione Populi Judæi à Deo per idololatriam ſub finem Regni Ephraimitarum & Judæorum ſub Templo primo, ac proinde calamitates eo prædictas implementum ſuum ſortitas eſſe in Exilio Aſſyriaco & Babylonico, ejusque conſequente Liberatione Populi ex illo Exilio cum vindicta in hoſtes. Altera hypotheſis ſtatuit, ſcenam convictionis figi in extremo tempore Reipublicæ Judææ, quod præceſſit ejus everſionem factam per Romanos. Poſterior ſententia placuit Cl. Coccejo & ſequacibus:

 prior

prior communior & vulgatior eſt, quæ ſe hac maxime ratione tuetur, quod *omnis convictio* in hoc Cantico inſtituta ſit de *idololatria*, cujus Judæi reduces ex Exilio Babylonico ſe reos non fecerunt.

II. Et ſunt tamen graves rationes, quæ ſuadent, Elenchum, hoc carmine inſtitutum, non ad priora ſed & poſteriora tempora pertinere, eſtque hæc noſtra quoque ſententia, ſed cum aliquo temperamento, quod nobis præſtiterit clavem hujus prophetiæ interpretandæ. Obſervavimus, in omnibus fere prophetiis, in quibus Sp. S. loquitur de deſolatione Hieroſolymæ & Judææ, illum ad utrumque caſum ſimul reſpicere, h. e. ad deſolationem Chaldaicam & Romanam, qua ex decreto divino prius Dei judicium in poſteriore complementum ſuum conſequi debebat, cujus hypotheſios conſequens eſt, calamitatem judææ gentis, quæ hic prædicitur, in ſumma emphaſi interpretandam eſſe de judicio Divino, quod Deus in Judæam gentem exequutus eſt per Romanos; atque adeo convictionem gentis hic inſtitutam, licet applicari quoque poſſit ad Populum Judæum ante tempus Exilii Babylonici, vere tamen, proprie, & directe, pertinere ad tempus ſpretæ à Judæis ſalutis, ipſis oblatæ à Filio Dei. Exemplum hic per omnia ſimile occurrit Jeſaiæ cap. v. 1. ubi Judicium Dei in Pop. Judæum proponitur ſub emblemate vineæ plane diruendæ & deſtruendæ. Prophetia primo ſenſu pertinet ad calamitatem Chaldaicam; ſed vero & emphatice ex ſcopo & intentione Sp. S. ad calamitatem Romanam. Aliud clariſſimum ſume ex Mich. 3: 12. Verba ibi ſunt Prophetæ in concione interminatoria ad Populum Judæum: *Et Tſion ut ager arabitur*, & quæ ſeqq. Nemo dubitat, quin prophetia proxime pertineat ad deſola-

ſolationem Hieroſolymæ per Chaldæos: ſed cum ibi non conſequuta ſit implementum perfectum, neceſſum erat, ut perfectius ei præſtaretur implementum per Romanos, quando tandem factum eſt, ut Tſion aratro ſubjectus & complanatus fuerit, quod non tentarunt Chaldæi. Qui canon diligenter obſervatus magno nobis uſui erit in interpretando Verbo Prophetico.

III. Rationes, cur ſcenam hujus Cantici emphatice figi velimus in tempore Gratiæ, & cauſſæ ſalutis à Judæis ſpretæ, ſunt a. In carmine convictorio, ad id directe inſtructo, ut recenſeret Beneficia Dei, Maleficia Populi, & pœnalia mala populo propter crimina ſua imponenda, non eſt probabile, negligi Beneficium maximum, in hanc Gentem conferendum, quod eſt Meſſiæ Filii Dei ad Judæos miſſio; crimen maximum, quod eſt Filii Dei contemptus; & mala omnium graviſſima, quæ Populo, divinæ vindictæ obſtricto, infligerentur, cujusmodi ſunt mala, quæ ſuſtinent in Exilio Romano. b. Maxime quidem, quia Moſes exerte monet, illud præcipuum uſum ſuum obtenturum eſſe in *fine dierum*, & *nunquam oblivioni tradendum ex ore ſeminis Iſraëlis.* Deut. XXXI. 21. 29. XXXII. 7. Si Canticum hoc nunquam oblivioni tradendum eſſet, ex ore ſeminis Iſraëlis: debebat complecti convictionem hujus Populi in omni ſtatu defectionis hujus Populi à Deo, quo graviſſimis Dei Judiciis premitur. quibus Dei judiciis cum Populus vel maxime ſuccubuerit cum everſa Republica per Romanos, & adhuc ſuccumbat: neceſſe eſt, crimina Populi & Judicia Dei, hoc Cantico deſcripta, præſenti illorum ſtatui convenire. Si enim ſupponas, quæ hoc Carmine prædicuntur, implementum ſortita eſſe

cum Reditu Populi ex Exilio Bab. ſtatuendum eſt; Canticum illud hoc tempore uſum amplius non habere in convincendis judæis, atque adeo poſſe ab iis oblivioni tradi. Minor, fateor, vis eſt in altera hujus argumenti parte, qua mala hoc Carmine deſcripta iis dicuntur eventura in *extremo dierum;* quia phraſis quandoque latius ſumitur pro omni tempore conſequente, longius producto. Attamen ubi phraſis in omni vi & emphaſi ſua ſumitur, pertinet ad tempora Meſſiæ, ut Judæi ipſi fatentur. γ. Duo ſunt in hoc Cantico argumenta invicta, quæ hanc hypotheſin adſtruunt. Primum eſt ℣. 21. ubi Deus Judæos, graviſſimis malis preſſos, dicitur ad *zelum provocaturus eſſe per non-populum* & *per gentem ſtultam*. quem locum Paulus citans Rom. x. 17. docet intelligendum eſſe de vocatione Gentium ad communionem Dei per Verbum Gratiæ, per evangelium. Eſtque interpretatio hæc Apoſt. in ſumma fundata ratione, quippe intelligi nequit, quo alio commodo ſenſu Gentes dici queant ad *zelum provocaturæ* Iſraëlitas, quam quod ipſæ, miſſa idololatria, ſe ad illum converterent Deum, quem Judæi per idololatriam aut defectionem qualemcunque aliam deſeruerant. Similis demonſtrationis vis eſt in ℣. 42. quo clariſſime aſſeritur, Gentes cum Judæis gaviſuras eſſe illa vindicta, quam Deus ſumeret de hoſtibus Populi ſui: quod intelligi nequit, niſi de Gentibus ad verum Deum jam converſis. quod locum non habuit ante tempora Oeconomiæ Novæ. Sic utique locum accepit Apoſt. ad Rom. xv. 10. dum ex eo demonſtrat vocationem Gentium ad Dei communionem. Materia gaudii Judæis & Gentibus, ob ultionem ſumptam de hoſtibus Populi Dei, non poteſt eſſe communis, niſi poſtquam Judæi

dæi cum Gentibus ſint in communione ejusdem Religionis, iisdemque gaudeant prærogativis. quod non niſi ſub Oeconomia Nova locum habet. Undè conſequitur, hanc Oden ſe latius extendere quam ad tempora Reditus Jud. ex Exilio Babyl. δ. Quarto, addo, phraſes omnes in interpretatione hujus Odes majorem vim & emphaſin obtinere, ſecundum poſteriorem, quam priorem, hypotheſin, ut ex earum expoſitione pateſcet.

IV. Summa demonſtrationis noſtræ eſt, a. Convictionem, hoc Cantico comprehenſam, utrique convenire tempori, quo Deus paratus erat ad judicia ſua Genti Judææ infligenda, ſive per Aſſyrios & Babyl, ſive per Romanos. b. In ſumma tamen emphaſi ad poſterius hoc tempus referri, quia experientia docuit, Judicium, quod Deus in hanc gentem exequutus eſt per Romanos, longe fuiſſe graviſſimum, & omnium Malorum atque Execrationum, huic Populo impoſitarum, complementum: optime itaque inſtituere Interpretes, qui in exponenda Ode hanc hypotheſin ſequuntur.

Expoſitio Cantici.

Prima Pars, complexa *Prologum*.

I. PRima Cantici pars complectitur *Prologum*, qui non parum confert ad ejus elegantiam; quippe qui prodit ſublimitatem & perfectionem ingenii auctoris ejus. Edocet autem nos Prologus de Cantici ſcopo, qui eſt, juſtificare rationes judiciorum graviſſimorum, Populo ejus rebelli infligendorum.

Continet autem tria, a. Admonitionem exhortatoriam ad auditores, ſive teſtes, quos ſibi fingit præſentes, ſub nomine *cæli* & *terræ*, ℣. 1. ſive potius, Conteſtationem figuratam, qua teſtes provocantur ad attentionem. b. Illius exhortationis rationem, quod doctrinam propoſiturus eſſet utilem, gravem, fœcundam, neceſſariam, ℣. 2. ſive, votum conteſtationi junctum de fructu ſuæ conteſtationis, c. Summam ſive propoſitionem illius doctrinæ, ſive ipſum Cantici argumentum, quod eſt *juſtitia*, & æquitas, viarum Dei, & vitia Populi, ejusque cauſſa injuſta, ℣. 3, 4, 5.

II. Admonitio exhortatoria ad attentionem, ℣. 1. ſic ſe habet: *Audite cæli & loquar*, & *audiat terra dicta oris mei.* Verba, *audite cæli & loquar*, Hebraice valent, *audite cæli, dum loquar.* Propoſitio ſpeciem habet veram conteſtationis ſcenicæ, ſive figuratæ. Comparet Propheta, cauſſam Dei acturus, ſive diſputaturus, *A* veluti in publica ſcena: ubi eam cauſſam ageret gravem & ſeriam, quippe vindicaturus juſtitiam æquitatemque cauſſæ Dei adverſus Populum: advocat

A Negligenda hic non eſt inſignis uſus verbi דבר, quo Moſes utitur. Ex primigenia enim poteſtate *ſermonem* longius *ſtructum* & deductum dicit, a *ſtruendo*, ut Lat. *ſermo* a *ſerendo*, & Gr. εἱρμὸ a *nectendo*. Hinc דבר de *cantilenis* uſurpatur, Pſ. CXXXVII: 3. דברי־שיר *ſermones cantici*. Quale *carmen* & hic *ducit* Moſes, ſed quod *diſceptationem judicialem* comprehendit. Solet enim דבר in actionibus judicialibus inſigni uſu frequentari, ut Pſ. L. 1. 7. LI: 6. *Ut juſtificeris* בדברך *cum diſputas* & cauſam in judicio agis. Sic & Gr. λόγος uſurpari ſolet, de quo ad Rom. IX. 28. H. VENEMA.

vocat teſtes, eosque conteſtatur tam ad dicta ſua audienda, quam ad cauſſam, quam agit, dijudicandam: uterque enim reſpectus *A* hic ſpectandus eſt in auditoribus, coram quibus hæc cauſſa agitur, perinde ac in aliis locis, veluti Jeſ. I: 1. quæ oratio ad hanc expreſſa eſt, & Mich. VI: 2. Videlicet, cum Deus in

pro-

A. Moſen ad *cælum & terram*, non tam qua *judices*, quam *teſtes*, provocare, Auctor in comment. ad Jeſ. 1: 1. exiſtimat, quia in oratione ſuperiore dixerat Moſes Deut. XXXI: 28. ואעידה *& conteſtabor* (teſtes advocabo) *adverſus eos cælum & terram*. Quod ſi admiſeris, cœlum & terram hic tanquam teſtes cum pronunciati, ac a Judæis admiſſi, cantici, tum *veritatis* implementi, in ſcenam produci, habendum eſt. Quemadmodum Joſua c. XXIV: 27. *acervum lapidum* teſtem conſtituit fœderis cum Judæis initi; ita hic ad *cælum* & *terram* tanquam *teſtes* enunciati, ac a Judæis aſſumti, cantici provocaret. Deinde, quod omnino addendum cenſuerim, implementum cantici fore certiſſimum, coram *cælo & terra*, ut teſtibus, aſſeverare Moſen, recte ſtatuitur, ſi *teſtium* conſpectus hic locum teneat. Sic Deut. IV: 26. *Conteſtor in vos cælum & terram: vos cito perituros &c.* id eſt, coram iis tanquam teſtibus illud ſancte affirmo. Attamen *judicum* conſpectum eliminatum nollem. a. Quia viarum Dei juſtificationem coram *cælo & terra* inſtituit, & cum populo de juſtitia & æquitate judiciorum Dei, iis præſentibus, diſceptat Moſes. Ex quo colligitur, cœlum & terram hic tanquam *juſtitiæ* viarum Dei *teſtes*, adeoque *judices* ſimul, citari. b. Quia ſimilibus caſibus, in quibus *oratio* coram cœlo & terra &c. habetur, teſtium non tantum, ſed & judicum obtinet adſpectus, ut Jeſ. 1: 1. Jer. II: 12. Mich. VI: 1, 2. Pſ. L: 4. 6. Sint itaque *teſtes*, qui veritati non tantum implementi, ſed & *æquitati* ac *juſtitiæ* judiciorum atteſtentur. H. VENEMA.

procinctu ſtaret ad populo ſuo, transgreſſori Legum, graviſſima infligenda judicia: ſupponitur, multitudinem Judæorum carnalium vias Dei criminari & poſtulare injuſtitiæ, quod adverſus ampliſſima promiſſa Genti facta in eam tam ſevere animadverteret. Quæ criminatio cum ſe aliqua commendaret ſpecie, Prophetarum erat, nomine Dei eam valide retundere, & juſtitiam viarum Dei adverſus rebellem & immorigeram carnem pro virili ſua vindicare, æquitatemque & juſtitiam Dei apud conſcientiam angelorum & hominum, & totius naturæ rerum, quatenus ejus capax cenſeri poteſt, demonſtrare. Provocat autem Propheta hic ad teſtes, *cælum* & *terram*, æque ac Jeſaias cap. 1: 1. quod duplici modo accipi poteſt. a. Sub nomine *cæli* & *terræ* proprie & recte intelliguntur omnes creaturæ intelligentes, judicii moralis capaces, quas cœlum & terra complectuntur. h. e. Angeli, ſpiritus conſummatorum juſtorum, & homines. Exemplum notabile hujus locutionis eſt Ap. 18: 20. *Exulta ſuper ea cælum, & ſancti Apoſt. ac Prophetæ, quoniam veſtras de ea pœnas Deus ſumpſit:* Nec obſtat, pleroſque homines eſſe vitiis corruptos, & pravis obnoxios affectionibus. Propheta enim eos ſimpliciter ſpectat, quatenus inſtructi ſunt principiis ſanæ rationis & conſcientiæ, quæ in corruptiſſimis etiam aliqua ſuperſunt. Supponitur autem, jus Dei tam clarum & liquidum eſſe, ut à conſcientiis & judiciis omnium hominum, etiam vitiis corruptorum, agnoſci poſſit ac debeat. Ne jam dicam, ipſis hiſce verbis, quibus omnes in terra homines invitantur & vocantur ad audiendam conteſtationem Prophetæ; myſtice & tamen clare ſatis ſupponi, futurum aliquando eſſe, ut omnes gentes vocentur ad cognitionem

nem viarum Dei, & per gratiam divinam inſtruerentur principiis ſani judicii, ex quibus de æquitate viarum Dei ſancte ſtatuere poſſent: quo pertinet inſignis locus Deut. XXIX. 22. 24, 25. b. Verba figurate accepta plus ſignificare poſſunt, & ſignificant. Per *cœlos* & *terram* oratione figurata intelligitur tota natura rerum, nulla excepta: quam vim eſſe hujus phraſios patet ex Deut. IV: 26. XXX. 19. quando phraſi ſubeſt elegans figura, quam προσωποποιΐαν vocant, qua creaturæ omnes, in cœlis & terra, ſupponuntur ſenſu & intelligentia præditæ, ut tum de æquitate viarum Dei, tum de beneficiis, à Deo ex Fœdere liberaliter in Populum ſuum collatis, judicare poſſint. Sol, inquam, Luna, aſtra, flumina, fontes, arbores, & quæ aliæ. *A*. Figura videtur

A. Ut hic a cœlo & terra *audientiam* petit Moſes: ſic a *pelago* Callimachus in Apoll. ℣ſ. 18. quum ad poëtarum cantum *mare ſilere*, εὐφημεῖν, aſſerit: & ab *æthere* ac *mari* Ariſtophanes theſmoph., ab Ill. Spanhemio ibi citatus:

> Ἐχέτω δὲ πνοιὰς νήνεμος αἰθὴρ
> Κῦμα δὲ πόντου μὴ κελαδείτω.
> *Contineat autem flatus tranquillus æther*
> *Unda etiam maris ne reſonet.*

Quæ tamen figura per omnia huic non concinit. A cœlo enim & terra non tantum petit Moſes, ut audientiam faciant, ſed & teſtium ac judicum vices impleant: quemadmodum cum Aeneas dicit apud Virgilium loco, ab Ill. Grotio jam prolato.

Eſto nunc ſol teſtis & hæc mihi terra precanti.

H. VENEMA.

detur eſſe remota, nec tamen eſt. Eſt enim ejus vera ratio, quod, cum Deus eas agat & moveat, & in iis veluti vivat, omnium rerum verus inſpector, idem ſit, acſi res illæ omnes ſenſu ac intelligentia præditæ præſentia cognoſcerent ac inſpicerent. Teſtatur figura hæc orationis, tum de momento rerum dicendarum, quod tantum eſt, ut, ſi natura rerum tota ſenſu prædita ſit, ad eas deberet attendere; tum de ſumma viarum Dei æquitate, quippe cui tota atteſtaretur natura rerum, ſi ſenſu & intelligentia inſtructa de iis judicare poſſet, & juſtitiam Dei communi ore enarrare.

III. Sed forte dubitari poſſet, an oratio tanti momenti, tantæque utilitatis, & tam docte conſtructa eſſet, ut digna cenſeretur, ad cujus audientiam tot teſtes, & tota veluti natura rerum, vocarentur Ergo Propheta ſubjicit rationem conteſtationis, petitionisque ſuæ, tum ab ubertate, fructuoſitate, & efficacia ſuæ orationis, tum ab argumenti ejus gravitate & momento ſummo. Prius ℣. 2. *Stillabit ut pluvia doctrina mea: fluet ut ros dictum meum*, ut *pluvia tenuis denſa ſuper germen*, & *Rſecas* ſive *denſa pluvia ſuper herbam.* Verba duplici modo ab interpretibus accipiuntur, vel per modum voti, quo precatur vates, ut ſibi loqui meditanti docta, fœcunda, & copioſa contingat oratio, quæ optata in auditoribus producat effecta, quando vertenda ſunt verba, forma optativi, *Stillet ut pluvia* doctrina *mea*, &c vel per modum *rationis*, qua audientiam & attentionem teſtibus convocatis perſuadeat ac commendet. Prius abſurdum non eſt, & ab Interpretibus paſſim tenetur: ſed poſterius, quod urſit Cl. Coccejus, videtur convenientius huic loco. *a.* Quia rectius ſubnectitur petitioni bene-

benevolæ audientiæ, ſive conteſtationi, *verſus ſuperioris*, ideo ſcilicet ſe audiri velle, quod doctrinam prolaturus eſſet utilem maxime, fructuoſam & opportunam. β. Melius etiam connectitur cum ſequentibus, in quibus explicat orationis ſuæ argumentum, ut mox videbimus. γ. Poëtis Sacris in more eſt, argumentum, de quo dicturi ſunt, commendare, ut luculenta exempla ſunt Pſ. XLV. 1, 2. XLIX. 1, 2, 3, 4. quod poſterius exemplum hic præcipue ad rem facit. Cum enim ibi Vates omnes omnium ordinum homines invitaſſet ad ſibi auſcultandum, rationem ſumit ab argumenti gravitate & utilitate ℣. 4. *Os meum loquetur ſapientias*, h. e. ediſſeret caput aliquod doctrinæ Theologicæ magni momenti, *& cor meum meditabitur intelligentias*, &c. In oratione præterea nulla difficultas eſt, niſi in voce שעירים, in verbis: כשעירים על דשא quæ vertimus nos: ut *pluvia tenuis denſa ſuper gramen*. Sunt, qui vocem deducunt ab Hebræo סער *procella A*, & vertunt per *imbrem*: & ſunt etiam

A. A tempeſtatis ſeu procellæ ſignificatu, quem radix שער præfert, pluviæ, ſeu *imbris*, poteſtas eo minus eſt derivanda, quod שער non *imbriferam*, ſed *æſtuoſam* procellam, quæ vento calido & urente verberat, proprie denotet, ab *urendi* primigenia radicis virtute, ut ex Arabiſmo liquet, & a Cl. A. Schultens, viro in hoc ſtudiorum genere facile principe, jam obſervatum eſt ad Pſ. LVIII: 10. Quo egregie reſpicitur Pſ. L: 3. *ignis ante faciem ejus conſumet*, *& circum ipſum* נשערה *procella æſtuans erit*, quæ ſcilicet ante ipſum cuncta *adurit*. Ergo, ſi a *capillorum* ſignificatu eum *pluviæ* derives, *tenuem* pluviam & denſam, quæ *crinium* ad modum, ac *radiorum*,

etiam aliæ verſiones interpretum. Sed cum certum ſit, hic alludi ad pluviam, rectius hic petitur ſignificatio à voce שער *pilus*, ut guttæ tenues, ſubtiles, denſe cadentes, comparari poſſint cum pluvia denſe & tenuiter cadente. Metaphora tota reſpuit *imbrem*, cum imber magis noceat quam proſit.

IV. Quod ad rem attinet: verba continent rationem, cur vates à creaturis intelligentibus omnibus, & tota, ſi liceat, natura rerum, audiri velit, quam rationem hac metaphorica phraſi commendat, *ſtillaturam eſſe doctrinam* ſuam *ut pluviam*, *ut rorem dictum ſuum*, id eſt, ſe prolaturum eſſe *doctrinam*, quæ ſtillet, ut pluvia & ros. Elegans eſt & trita comparatio. *Primo*, metaphora nos ducit ad cogitandum de doctrina utili, fructuoſa, fœcunda & fœcundante: ut enim aqua ſola per naturam apta eſt terram irrigare & fertilem reddere, ſic oratio qualiscunque doctrinalis, & convictoria, utilis, fructuoſa, unicum & ſolum medium eſt, quo animus hominis informatur, emendatur, paraturque ad producendam frugem bonam ac ſalubrem, Deo glorioſam, hominibus utilem. Perinde ac animus hominis ſolum & unicum in mundo ſubjectum eſt inſtitutionis & doctrinæ capax: ut terra ſola & unica res eſt in natura rerum, quæ per aquam vel pluviam fœcunda & fertilis reddi poteſt. *Secundo*, pluvia nos monet de doctrina convictoria, animo

rum, qui & *crines* dici ſolent, in terram *recta* decidunt, intelligerem; quemadmodum per רביבים *craſſiorem* & *ſpiſſiorem* pluviam. Radicis enim רבב vis in *concreſcendo* ſita eſt, & *ſpiſſum* ac *denſum* denotat: ut ex Arabica Lingua, & vario uſu in lingua Hebræa colligitur. H. VENEMA.

animo hominis commoda, atque opportuna. In natura rerum Deus pro ſumma ſua ſapientia res diverſi generis ita ad ſe ordinavit; ut una alteri reſpondeat, una alterius ope indigeat ad conſervationem totius naturæ, inter quas res tam accuratam obſerves proportionem, ut de ſapientia & bonitate Divina luculenter teſtetur. Sic inter ſe comparata ſunt *terra* & *pluvia.* Sterilis terra per naturam, ordinata ad bonam frugem producendam ſi rite irrigetur, ſitit & clamat pluviam, quæ ſi ſuo tempore adſit, deſiderio & ſiti terræ ſatisfieri cenſetur, idque commodiſſime & opportune, ut nihil in natura rerum oportunius, quam ſitibundam & fatiſcentem terram pluvia refici. Ita plene ſe res habet cum animo hominis. Indiget inſtitutione & cultu, eamque ſitit, &, ſi defectum ſuum ſentiat, clamat: cui deſiderio ſi ſatisfiat, ejusmodi inſtitutio vel convictio æque commoda ac opportuna eſt, ac pluvia ſuper herbam & gramen, dum ea ſeminibus ſuis evolvit, elicit, & in medium producit: qui idem fructus eſt inſtitutionis opportunæ. *Tertio*, monet nos metaphorica hæc & elegans phraſis de inſtitutione *cæleſti*. Pluvia eſt quid, quod è coelis ex nubibus deſcendit in terram. Symbolum elegantiſſimum doctrinæ convictoriæ ſalutaris, quæ ex divina & coeleſti revelatione intelligitur & percipitur. *Quarto*, pluvia eſt quid *divinum* & coeleſte, quod absque hominis opera, & veluti ab ipſo Deo, paratur, & ex nubibus ad Dei ipſius imperium ac mandatum effunditur. Quam hæc elegans & pulchra figura verbi ſive doctrinæ Coeleſtis ac ſalutaris! quæ ab ipſo Deo in commodum & utilitatem hominis, veluti in coelis parata, ad ejus ſolius mandatum atque imperium effunditur.

V. Duo hæc poſteriora attributa ſoli conveniunt inſtitutioni & orationi cœleſti: priora autem duo de fœcunditate & opportunitate doctrinæ aliis etiam inſtitutionibus, ex lumine ſanæ rationis productis, conveniunt, ſed maxime tamen & in emphaſi competunt orationi divinæ & cœleſti, quæ ex cœlis, h. e. per revelationem, ad homines à Deo deſcendit, & hoc in loco eleganter appellatur לקח *acceptio*, quod non ſit hauſta ex principiis naturalibus, ſed aliunde, & quidem per revelationem divinam ac coeleſtem, percepta, quæ una & ſola inſtitutio apta eſt animum hominis vere & opportune fœcundare, ſanctificare, & per præcepta ſapientiæ ad æternam ſalutem inſtruere. Atque hæc eſt ratio, quare ſtylo Scripturæ S. doctrina, inſtitutio, & convictio cœleſtis ſæpius comparetur pluviæ, Jeſ. LV. 10, 11. Pſ. LXXII. 6. Zach. XIV. 17. & cur Doctores ſtylo Scripturæ comparentur cum *nubibus*, ut inſigni loco Jeſ. v. 6. *Et nubibus meis præcipiam, ne in eam demittant pluviam*, qui conferendus cum Apoc. XI. 6. ubi inter plagas graviſſimas adverſariorum populi Dei cenſentur *nubes clauſæ*, nullam veluti tempore Eliæ demittentes pluviam. Pulcherrimum eſt ſymbolum doctoris, qui præcepta doctrinæ ac ſapientiæ ſalutaris ac cœleſtis, quæ à Deo didicit, animo ſuo collecta parataque habet, ut ea ad Dei voluntatem commode & opportune effundat.

VI. Nec tamen ſic exhauſimus omnem vim orationis Poëtæ & Prophetæ Sacri. Non comparat enim ille tantum ſuam doctrinam & conteſtationem convictoriam cum pluvia, ſed cum pluvia preſſa, denſa, inſtante, quæ terram non obruit, ſed ſenſim & preſſe irrigat, & interiora terræ penetrat, ut & cum

cum *rore*, cujus idem eſt effectus. Eſt *roris* & *pluviæ denſæ*, totam terram pervadere, atque irrigare; eſtque terræ, eam pluviam perfecte imbibere. Tria nobis nova ſubjicit attributa inſtitutionis divinæ, ac cœleſtis, nempe facundiam illius orationis, vim, & continuitatem, quæ faciunt, ut interiora animi penetret: eſtque hæc una & vera ratio, quare Prophetæ dicuntur ſtylo Scripturæ *ſtillare*. Ezech. xx. 46. Amos. VII. 16. Prophetarum oratio & convictio inſtat & urget: eſtque ea vis in voce ערף, *A* ut nos doceat de oratione

A. ערף a *cervice* ad ejus *deſectionem*, quæ eſt *decollatio*, & inde ad *ſtillationem*, qua pluvia in terram *intime penetrat*, eamque *ſecat* & *aperit*, Gr. τραχηλίζει, ditionem ſignificationis dilataſſe videtur: nec qualemcunque, ſed vehementiorem, defluxum, cum penetrantiore vi conjunctum ex eodem fonte ſignificare videtur: niſi verius ad ירף per *metatheſin* referri debeat. LXX reddiderunt προσδοκάσθω *exſpectetur*: Hebr. verbo rectius reſponderet, ſi legeretur ψεκαζέτω *roret*, vel *ſtillet*. Sed ſecundum ſtylum τῶν ό: forte melius προσδεχέσθω, quemadmodum Chaldæus verbum תול vertit יתקבל *ſuſcipiatur*, quando ἡ γῆ *terra* ex verſu ſuperiore eſt repetenda, & pro ὑετὸς leg. ὑετὸν, ut ſit: *recipiat* (ſc. terra) *tanquam pluviam dictum meum*. Sive יערב legerint, ſive cum ea radice confuderint. Sic ערב per ἐκδέχομαι *ſuſcipio* vertunt Gen. XLIII. 9. Pſ. CXVIII. (Heb. CXIX.) 122. a *ſponſione* ducta ſignificatione. Et alibi has radices inter ſe permiſcuiſſe videntur. Jeſ. v. 30. בעריפיה quum ἐν ἀπορίᾳ αὐτῶν *in ſtupore eorum*, tranſtulerunt, *confuſionem* cogitationum ſeu *perturbationem*, quæ vis ineſt verbo ערב, in animo habuerunt. ſic Deut. XXXIII. 28. quod in Hebr. eſt, *cœli ejus* יערפו טל *ſtillabunt rore*, illi, ad Heb. ערב attendentes, dederunt: ὁ οὐρανὸς σοι συννεφὴς δρόσῳ *cœlum ſit tibi nubiloſum*, *obſcurum*, *rore*. Quid? quod permixtionis illius exemplum in ipſa lingua Hebr. reperiatur. Vox enim

tione *urgente* atque inſtante, perinde ac נזל de oratione *fluida*, diſerta ac fœcunda. Hujusmodi vero orationem dum vates divinus in medium proferret, jure merito cœlos & terram ad audientiam & attentionem invitat.

VII. Sequitur altera ratio, qua auditoribus ſuis, iisdemque teſtibus, Poëta Sacer audientiam & attentionem perſuadet, petita ab orationis ſuæ argumento, ſive hypotheſi: quæ tertia hujus Prologi pars Hic vero ita procedit, ſummam adhibens in conſtructione elegantiam, ut primo argumentum orationis ſuæ diſerte & proprie proponat; mox figurate & per apoſtrophen, deinde id latius & planius explicet.

VIII. Proprie & directe in initio ỷ. 3. *Quia nomen Jehovæ proclamabo*. Sic recte hic vertitur vox קרא ſenſu *proclamandi*, vulgandi, ſeu quod barbare dicunt, *præconizandi*, metaphora deſumpta à Præconibus Publicis, qui alta voce, juſſu ſuperioris, aliquid vulgant. Uſus vocis patet ex Jeſ. XI. 3. Jer. XXXVI. 9. Senſus eſt, inſtar Oratoris & Præconis Publici cauſſam Dei ita agam, ut evincam & demonſtrem, illum in omni ſua providentia erga Populum ſuum adimpleſſe à ſua parte omnes conditiones fœderis, cum Patribus, & ad montem Sinai, percuſſi, cujus ſignaculum erat nomen *Jehova;* & in omni via ac providentia erga Populum ſuum eas manifeſtas feciſſe virtutes, quas per Nomen Jehova Populo innoteſcere voluit. Emphaſis itaque ſententiæ hujus cadit non tan-

enim ערפל, *craſſiorem caliginem* denotans, a ערף, & אפל *caligo*, *mixturam caliginis*, ſeu caliginem maxime confuſam ſignificat, mixtionis notatione a ערב derivata. Pronunciatio forte eam confuſionem peperit. H. VENEMA.

tantum in vocem אקרא *proclamabo*, ſed & in *nomen Jehovæ*, quod illius eſt objectum, quæ dictio hic accipienda eſt in omni vi ſuæ ſignificationis. Per Nomen Jehova, quod nomen myſticum eſt & Sacramentale Exod. III. 15., duo præcipue ſignificabantur: primo quidem, Deum adimpleturum & certo repræſentaturum eſſe promiſſa, Abrahamo & Patriarchis facta, quæ erant promiſſa bonorum duplicis Teſtamenti, ſive Fœderis, quorum altera hæreditas typica Cananææ terræ, altera Hæreditas Mundi cum complemento Bonorum Spiritualium, in communione Meſſiæ poſſidendorum, decreta promiſſaque erat poſteris Abrahami. Sic Deus ipſe, Exod. VI. 8. *Ego introducam vos in terram, de qua jurejurando interceſſi apud majores veſtros, Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, eamque vobis dabo in hæreditatem?* Ego Jehova, h. e. ego vi nominis mei Jehovæ. Rurſus Ezech. XVI. 62. *Et pangam tecum fœdus meum & cognoſces me eſſe Jehovam*, adimplentem ſc. fœderis conditiones, & promiſſa. Secundo, Nomen Jehova monebat & certiorabat Israëlitas, Deum illos recturum & adminiſtraturum eſſe in *gratia;* h. e. ſe inter illos manifeſtum facturum ut Deum & Regem gratioſum, longanimem, miſericordem, peccata & offenſas imprudentiæ eſſe transmiſſurum ſecundum legem gratiæ; rebelles tantum, immorigeros, impœnitentes, & obſtinatos peccatores ſua proſequuturum eſſe ſeveritate. Sic enim Deus ipſe nomen ſuum *Jehova* interpretatus fuerat Exod. XXXIV. 6. [A]. Quare Nomen *Jehovæ vulgare*,

[A]. Utrumque attributum, *veracitatis* ſcilicet, & æquæ ac benignæ *juſtitiæ*, nomine יהוה comprehenſum, egregie

gare, præconizare, evocare, eſt nomine Dei publice docere, declarare, demonſtrare, & clariſſime evincere, Deum à ſua parte exacte implendo conditiones fœderis, ſatisfeciſſe omni vi & poteſtati, quæ latet in nomine Jehova, fœderis Patriarchalis Sacramento & ſignaculo, promiſſa Patribus facta ordine, & ſuo quodque tempore, repræſentaſſe, & interea promiſſum maximum & luculentiſſimum de Meſſia, altero Joſua, qui Populum ſuum duceret in hæreditatem Mundi & Gentium; & præterea in omni Populi ſui cura ac regimine longanimitatis, gratiæ, clementiæ, maximam habuiſſe rationem, peccatis & offenſis ipſorum graviſſimis ſæpe veniam feciſſe, nec exercuiſſe ſeveritatem, niſi tarde erga pertinaces rebelles, quum pœnitentia ipſorum plane erat deſperata. Hoc officio functus eſt Propheta in hoc Cantico, hic ſcopus & argumentum: & tam alte gentibus clamavit inſtar Præconis, ut vox ejus à nobis etiam hodie audiatur in extremis terræ oris, poſt tot interjecta ſæcula. Ergo cum tam dignum & illuſtre eſſet orationis argumen-

gie expreſſum eſt Zach. VIII. 8. ubi Jehovah ſe Deum populi fore promittit באמת in *veritate* & בצדקה in *juſtitia*, non ſtricta illa & ſevera, ſed *æqua*, ut vocis poteſtas & uſus permittit, de quo mox. Sed cum ipſa illa juſtitia ſeveriſſimas pœnas a contumacibus peccatoribus, fœderis conculcatoribus, & infenſis eccleſiæ hoſtibus, exigat; ad eam nomen Jehovah eximio prorſus loco, Jeſ. XXX. 27. refertur. *Ecce* nomen Jehovæ *venit à longinquo; ardet ira ejus* &c. ubi Cl. Auctor conſulendus eſt. Sic de *veracitate* Dei in *minis* implendis egregie exponitur Ezech. VI. 10. *Et cognoſcent me eſſe Jehovam; non in vanum loquor.* H. VENEMA.

mentum, merito exſpectat ab auditoribus ſuis, iisdemque teſtibus, attentionem & audientiam. Sic cohæret oratio cum contextu ſuperiore, cujus indicium eſt in vocula כי.

IX. Sic quidem proprie & directe expoſuerat vates argumentum ſuæ orationis. Mox figurate & per Apoſtrophen in membro, quod ſequitur, *Date magnitudinem Deo noſtro*. Senſus eſt, tribuite ei laudem omnem illam excellentium perfectionum & virtutum, quibus ſe manifeſtum voluit facere Populo ſuo nomine Jehova: quippe ex quibus virtutibus & perfectionibus veram ſuam excellentiam & magnitudinem æſtimari vult, ut mox declarabo. Eſt Vir Doctus, hoc Canticum commentatus, qui commentationi & interpretationi ſuæ hanc ſubjecit hypotheſin; ſcopum Moſis in hac Ode eſſe, vindicare Filio Dei veram divinitatem: quam videlicet cum agnoſcere nollent Judæi tempore apparitionis Chriſti Jeſu in Mundo, hanc fuiſſe veram cauſſam incredulitatis ipſorum. Moſen itaque hoc Cantico illos de hac incredulitate convincere, & filio Dei divinitatem ſuam aſſerere, quod maxime firmat his verbis. Secundum quam hypotheſin per *Deum* in hoc loco præciſe intelligit Filium Dei, Meſſiam, in Judæa Gente manifeſtatum, ſuæque divinitatis argumenta clariſſima exhibentem: perinde ac per Jehovam. Verum, quod ad hanc hypotheſin, facilis largior, Deum Iſraëlis, cujus vindiciæ in hac Ode aguntur, præcipue ſpectandum eſſe in hypoſtaſi ſecunda, Filio Dei, cujus curæ & providentiæ commiſſa erat executio omnium conſiliorum Dei de Populo Judæo, & ad quem exerte, & ſpeciatim, referuntur beneficia illa, in Iſraelem collata, quæ hac Ode Jehovæ, Deo Iſraelitarum

tarum, tribuit, ut patet ex coll. hujus Odæ ℣. 8. ſeqq. cum Jeſ. LXIII. 8, 9. ſeqq. Veruntamen in ipſa hypotheſi, ut jacet, neutiquam conſentio, a. Quia, ſi propoſitum eſſet Vati Sacro in hac Ode Meſſiæ ſuam vindicare divinitatem, debebant omnia argumenta Diſputationis Cauſidicæ, quæ diſceptatio in ſeqq. inſtituitur, in hanc exire concluſionem: Ergo Meſſias, ſive Jeſus Meſſias, verus Deus eſt: atque id neutiquam liquet: contra argumenta omnia in hanc exeunt concluſionem: Ergo Deus præſtitit Iſraelitis conditiones Fœderis cum Patribus, & cum ipſis, initi: hoc eſt, demonſtravit, ſe eſſe *Jehovam:* ſive, ergo Deus in omni ſua providentia erga Populum ſuum ſequutus eſt canonem Juſtitiæ & Æquitatis: ut proinde hypotheſis Cantici ſit, juſtificare æquitatem & juſtitiam viarum Dei erga Populum. b. Secundo, ſi hæc obtineat hypotheſis, Canticum hoc nullum uſum habere poterat in Judæis convincendis ante rejectum Meſſiam, ejusque à Judæis negatam divinitatem; quod ab omni ratione alienum eſt. Liquet enim ex Cantico, convictionem, in eo inſtitutam, accommodari ad omnem defectionem Iſraelitarum à Deo, ſive per Idololatriam, ſive per ſpretam ſalutem, ſibi à Deo oblatam. A. Ergo nos ſecundum hypotheſin noſtram

A. Canticum per omnia tempora fore לעד *teſtem* in Iſraëlitas, ex eo facile liquet, quod nunquam *oblivione excideret ex ore ſeminis*, c. XXXI. 21. quo manifeſte indicatur, nullo non tempore illud *teſtandi* & *conteſtandi vim* habiturum. Addi poſſent & aliæ rationes, quibus ea Cl. Tillii hypotheſis refutatur, ex. gr. a. Quia canticum in Judæos, qua *idololatras* & *fœdifragos*, non in divinitatis Chriſti abnegatores, proprie teſtaretur, ut ipſis verbis aſſe-

noſtram per *Deum*, qui hic appellatur Deus noſter, id eſt, Deus Iſraelitarum ex Fœdere, hic intelligimus verum Deum Patrem, quemadmodum per Filium & Spiritum circa Iſraelitas ſua verſatus eſt ſingulari cura & providentia, Religionis ipſorum verum objectum, quatenus contradiſtinctus eſt idolis diis falſis Gentium, Jeſ. LXIII. 9, 10. Hag. II. 6. Hic eſt qui appellatur עליון *ſupremus*, ℣. 8 & *Jehova ſolus* contradiſtinctus omnibus *Diis peregrinis*, ℣. 12. Huic autem Deo *dare* גדל *magnitudinem*, eſt, excellentiam ejus ſummam, omnemque gloriam, ei debitam, liberali, attamen humili, animi ſenſu & affectu agnoſcere, Deoque tribuere & aſſerere, prædicare, celebrare. Phraſis frequens in ſcriptura, ut inter alia Pſ. XXIX. 1. in qua phraſi eſt emphaſis ab omnibus non obſervata. *Dare* hic non tantum eſt *dare*, quod debes, ſed *liberaliter* dare; *A*. Deo gloriam atque excellentiam

D ſuam

aſſeritur c. XXXI. 18, 19, 20. b. Quia divinitatis *Meſſiæ* nulla *explicita* mentio in toto cantico occurrit: quæ abeſſe non potuiſſet, ſi ejus *divinitas* argumentum cantici faceret. c. Deinde ex materia cantici manifeſtum eſt, Deum ſe *idolis* maxime opponere, v. 12, 27, 29. ac idololatriam, ſeu divinitatis, Jehovæ ſoli propriæ, abnegationem præcipue in Judæis reprehendi. vid. vers 16, 17, 21. illudque ipſum *crimen* principem in malorum cauſis hic tenere locum. ut ex v. 16. ſeq. patet. Interea Meſſiæ a Judæis repudiati mentionem hic fieri, illudque *crimen*, ut corruptionis deſperatæ ſignum, ita *pleniſſimæ* deſtructionis cauſam, implicite memorari, non negaverim. H. VENEMA.

A. Egregium Auctoris obſervatum, quo *dare* hic eſſe, *liberaliter dare*, notat, ipſius vocis Heb. poteſtate confirmabo. *Spontaneam* enim & *liberalem* actionem radice נדי

com-

ſuam non parca, ſed liberali, voce ex intimo animi affectu & ſenſu aſſerere. Eſt autem גדל *magnitudo* hic ipſa Dei excellentia & gloria. Sic ipſe Moſes in hoc libro, Deut. v. 21. *ecce Jehovah Deus noſter nos fecit videre*

comprehendi, ſequentes mihi perſuadent rationes. a. Quia vim adhortandi habet, & *excitantis* voculæ uſum præſtat, ut Lat. *age*, quod ex Lexicis notum. Excitati autem animi eſt, rem lubenter & luculenter agere. b. Quia *munifici*, & *liberalis*, ſignificatum in lingua Arabica manifeſte præfert. c. Nec deſunt in ipſa lingua Hebr. aperta ejusdem ſignificatus veſtigia. Prov. xxx. 15. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ*, הב הב, *da*, *da*, ſcilicet indeſinenter clamantes: *da*, *da*, id eſt, liberaliſſime da: nam ea dicitur *inſatiabilis*. Hoſ. viii. 13. זבחי הבהבי *ſacrificia* liberaliſſimarum *donationum* mearum, quæ ex opibus, plenis modiis in ipſos a me collatis, faciunt. vid. c. 1. 10. Eodem tendit illud vexatum הבו Hoſ. iv. 18. *ſcortando ſcortantur*, אהבו הבו *amant*, *date*, id eſt munera largiſſime danda: quando Procerum *rapacitas* perſtringeretur. Forte majus hic reconditum eſt myſterium. Conjungas קלון *ignominiam*, quod ſequitur, cum duobus verbis, & libidinis Sodomiticæ horrendum peccatum hic tangi ſtatuas, elegans hæc verſio & ſenſus exorietur: *amant*, *dant ignominiam*; *ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι*, ut apoſtolus loquitur, Rom. 1. 27. quod egregie ad rem facit. Nec tamen ita placet, quin cum lectione LXX interpretum, qui illud הבו ignorant, commutaverim; & ex præcedente voce ortum cenſuerim, ſi variantis lectionis & alibi appareret veſtigium: ſermo enim melius fluere videtur, ſi legas אהבו קלון. Nondum exhauſimus omnem vocis emphaſin. Hebræi enim hoc verbo paſſim utuntur in molitionibus, & actionibus, quibus quid in *publicum datur*, producitur, & præſto exhibetur. Deut. 1. 13. cum Moſes onus ſolus ferre non poſſet, & a populo aſſeſſores peteret, dixit: הבו לכם *ſiſtite*, *proferte vobis viros ſapi-*

videre omnem magnitudinem & gloriam ſuam. Sed cum excellentiâ illa Dei varia ſit: ex orationis ſubjecto & contextu præcipue definiendum eſt, ad quam divinæ excellentiæ partem præcipue reſpiciatur. Suadet autem contextus totus, hic per *magnitudinem* Dei inprimis deſignari perfectionem Dei *moralem*, *A* ex

 qua

ſapientes. 1 Sam. XIV. 41. Saul a Deo petens, ut nocentes inter & innocentes publica nota diſtingueret, dixit, הבה תמים *profer in publicum*, *innocentem*. Ruth. III. 15. הבי המטפחת *exhibe velum*, *idque teneto*. Huc itidem revocandum videtur illud יהבך Pſ. LV. 23. *Projice in Jehovam* יהבך *agere tuum*, quod proferre moliris; *viam tuam* Pſ. XXXVII. 5. Ipſa denique poteſtas *exhortandi*, quæ huic verbo tribuitur, *molimen* aliquod hac voce comprehendi evincit. Hinc, ni fallor, elegantia phraſios, quæ noſtro loco & Pſ. XXIX. 1. reperitur, abunde elucet. *Dare Deo magnitudinem* eſt, eam *ſponte*, & non coacte, *liberaliter* & non parce, Deo *exhibere*, & in publicum dare, eam confitendo & celebrando. H. VENEMA.

A. *Vim* illam præpotentiſſimi Numinis infinitam, qua ſibi ipſe & omnibus ſufficit, cunctisque *prævalet*, in operibus Dei elucentem, hic præcipue intelligerem; ac Moſen hoc proprie velle, ut Deo hujus *roboris*, in liberatione populi, ejusque defenſione & gubernatione, conſpicui, laudem tribuerent, Deumque pro liberatore *ſolum* agnoſcerent, cenſuerim. a. Quia vox גדל *firmum* ac compactum robur in origine ſua ſignificat, ut egregie demonſtravit Cl. Al. Schultens *de defectibus Ling. Hebr.* § 202. &c. b. Quia hæc fortitudo Dei in liberando populo illuſtrata paſſim celebratur: nihil enim vulgatius eſt, quam יד חזקה & יד גדולה, *manus compacta*, *firmius revincta*, qua Deus populum a Servitute Ægypti vindicaſſe dicitur. Imo ideo Pharaonem ſibi adverſarium ſtitiſſe dicitur Deus, ut כח *robur ſuum* oſtenderet. Exod. IX. 16.

Ipſum

qua æſtimari vult maximum ſuæ perfectionis decus, h. e. veritatem ejus, æquitatem, juſtitiam, bonitatem, gratiam. In his virtutibus conſiſtit יה decentia Dei, hæ faciunt perfectionis ejus complementum, absque quibus ſi eſſet, integra non eſſet ejus gloria, hæ virtutes Deum faciunt amabilem & venerandum. Ergo qui has in ipſo agnoſcit virtutes, easque Deo aſſerit & vindicat, in ipſo laudat & celebrat, ipſi dat *magnitudinem*. Id agit Vates Sacer in hac ode, & exhortatur omnes cœleſtes ac terreſtres creaturas, rationis capaces, ut ſibi liberaliter præbeant aſſenſum: quin obteſtatur præcipue Gentem fœdifragam, quæ criminabatur, *vias Jehovæ* non eſſe rectas, Ezech. XVIII.

Ipſum illud גדל per יד חזקה explicatur Deut. IX. 26. *Ne perdas, Deus, hæreditatem, quam redemiſti* בגדלך, *quam eduxiſti ex Ægypto*, ביד חזקה. c. Quia Deus in hoc cantico hanc ſuam *potentiam* in liberando & curando populo demonſtratam quam maxime celebrat, ſibique attribuendam, non idolis & Diis Gentium, ut idololatræ faciebant, diſputat. vid. vers 11, 27, 39. Quo itidem reſpicit titulus צור *petræ*, quo Deus hic paſſim inſignitur. Ergo per *nomen Jehovæ* virtutes ejus morales, & per גדל *fortitudinem*, ſeu vim divinam, intelligerem, ac utrumque membrum ita connecterem, ut alterum alterius defectum ſuppleat: acſi legeretur, *proclamabo nomen Jehovæ, ejusque fortitudinem: date Deo gloriam nominis & fortitudinem.* Cujus ſtructuræ ubique proſtant exempla. Obſerva tantum, hæc duo frequenter conjungi. Pſ. XXIX. 1. *Exbibete Jehovæ* כבוד ועז *gloriam & robur.* vid. & Pſ. XCVI. 7. Sic כבוד & גדל conjunguntur Deut. V. 21. denique *ἀΐδιος δύναμις καὶ θειότης* Rom. I. 20. id eſt, *æterna Dei vis & bonitas*; ubi notæ noſtræ conſulendæ ſunt.
H. VENEMA.

xviii. 25. ut poſt auditam convictionem, Cantico inſtituendam, viarum Dei æquitatem & juſtitiam liberaliter agnoſcat, cum humillima culpæ ſuæ confeſſione.

XI. Subjicit nunc Vates pleniorem & deductiorem argumenti hujus Cantici expoſitionem, ℣. 4, 5. declaratque nobis, quas virtutes ad *nomen Jehovæ*, & magnitudinem ejus, pertinere cenſeat, ℣. 4. & 5. in quibus id agit, ut *iniquitatis*, *injuſtitiæ*, inconſtantiæ vitia longiſſime à Deo removeat, & contra culpam tranſcribat in Populum Dei, tanquam qui officio turpiter defuerit. In qua pericopa occurrit propoſitio, & propoſitionis ratio.

XII. Propoſitio eſt in principio ℣. 4. *Rupi, cujus opus eſt perfectum.* Verba hæc, vel abſolute accipi poſſunt, inſtar propoſitionis per ſe ſubſiſtentis; quando, חצור idem erit quod הוא צור, & vertenda erunt verba; ipſe eſt *Rupes*, cujus opus eſt integrum: vel ſpectari poſſunt, ut appoſitum thematum ſuperiorum; veluti, cum propoſitione ſuperiore: *Nomen Jehovæ invocabo. Rupis, cujus opus eſt perfectum*, vel cum Apoſtrophe, *Date magnitudinem Deo noſtro, Rupi, cujus opus eſt perfectum.* Sed quocunque modo acceperis, res eodem recidit, eſtque ſenſus idem. Nos facilioris tractationis cauſſa accipimus ſententiam per modum propoſitionis: *Ipſe rupes eſt, cujus opus eſt integrum.* Senſus ſententiæ eſt, ut cum ſuperioribus cohæret, in opere Divinæ Providentiæ erga populum ſuum, licet eum ſubinde graviſſimis ſubjiciat calamitatibus, & plane deſtituere videatur, nihil eſſe, quod refractarii & carnales homines murmurabant, anomalum, nihil diſſonum & iniquum: ſed eſſe opus analogum & uniforme, ad puriſſimas æquitatis & juſtitiæ

leges exactum, Divinis virtutibus & partibus ſuis conforme, cum voluntas Dei erga populum nunquam variaverit, nec illi unquam ad eum defendendum defuerint vires: quorum alterutrum Iſraelitæ carnales criminabantur; ac proin Vatem merito vindicias Dei, ut Jehovæ, ſuſcipere, & omnes cœleſtes ac terreſtres creaturas, ſenſu intelligentiæ præditas, conteſtari, ut Deo liberaliter exhibeant magnitudinem & gloriam, quæ ipſi reſpectu operis Divinæ Providentiæ debetur.

XIII. Ad quem ſenſum præclaræ ſententiæ illuſtrandum, unam hanc admitti poſtulo hypotheſin: interpretationem ejus ſic eſſe inſtituendam, ut maxime convenit totius hujus Cantici argumento. Eſt autem argumentum Cantici, ut in ſuperioribus monui, & demonſtravi, juſtificare vias Dei erga Eccleſiam adverſus murmura & criminationes carnis rebellis, cujus ſententia erat, argumento Cantici oppoſita, Ezech. XVIII. 25. *vias Jehovæ non eſſe rectas*, h. e. Opus Divinæ Providentiæ erga Eccleſiam non eſſe analogum, & uniforme, ſed eſſe anomalum & difforme. Cum enim Deus Iſraelitas magno molimine duxiſſet ex Ægypto, & introduxiſſet in Cananæam; ibi defendiſſet adverſus hoſtes ac longum temporis ſuſtinuiſſet; idemque ex fœdere, & vi promiſſorum, Patribus factorum, ſe ad id obligaſſet, & Sacramentum fœderis Populo ſuo dediſſet in ipſo Nomine Jehova, deinceps Populum ſuum deſtituiſſe; tradidiſſe poteſtati hoſtium; negaſſe ei præſidium & defenſionem ſuam, & graviſſimas ei immiſiſſe calamitates, ad quas aliæ Gentes ſtupuerunt. Videri ita ejus opus Divinæ Providentiæ erga Eccleſiam & Populum ſuum non eſſe uniforme, ſed vel voluntatem Dei erga po-

pu-

pulum eſſe immutatam, vel tribui ſibi nolle à Populo gloriam rupis immotæ, quæ Populum adverſus hoſtes qualescunque ſuſtinere poſſet & defendere. Contra ait Vates Sacer, qui cauſſam Dei hoc Cantico agit, nullam eſſe anomaliam, aut difformitatem in Opere divinæ Providentiæ erga Eccleſiam; Deum nunquam variaſſe erga Eccleſiam voluntatem; nunquam ei ad eum defendendum defuiſſe vires; nihil commiſiſſe adverſus leges & conditiones Fœderis; nihil adverſus promiſſa, nomine Jehovæ obſignata: quin potius omne ejus opus eſſe analogum & uniforme. Qui cum ſenſus ſit ſententiæ, id agendum reſtat, ut verba & phraſes, quibus conſtat, paucis illuſtremus.

XIV. Primum, quod nobis hic occurrit, eſt, Deum hic à Vate appellari non proprio, ſed metaphorico, titulo צור *rupis*, & quidem emphatice cum articulo, הצור *rupes illa*. Nomen eſt frequentioris uſus in Schola Sanctorum, quo Eccleſia ſuam de Deo vero Jehova explicare ſolet fidem: eſſe ſcilicet in ipſo omnia attributa & proprietates, quæ requiruntur in eo ſubjecto, quod ſit & eſſe mereatur ſummum objectum fiduciæ ſui Populi, ad quod ſignificandum cum nomen aptiſſimum eſſet, ſæpius adhibuerunt. Sic Hanna in Cant. 1 Sam. II. 2. *Nulla eſt rupes ſicut Deus noſter*. Pſ. XVIII 32. *Et quæ rupes eſt, ut Deus noſter*. Jeſ. XXVI. 4. *Fiduciam ponite in Jehova in ſempiternum, quia in Jah Jehova eſt rupes æterna*, h. e. habet Eccleſia æternum fiduciæ ſuæ objectum. Verum peculiarem meretur animadverſionem, Moſen in hac Ode [A] Nomen צור *Rupis* de *Deo* frequentius uſurpare,

A. Frequentiorem ob uſum, & peculiarem emphaſin, quam titulus *Rupis* hic habet, majuſcula littera צ vox צור notari

pare, quam alibi, ut praeter hunc locum ℣. 15. 18. & ex vulgata Interpretum ſententia quoque ℣. 30, 31. unde ſatis intelligas, voluiſſe illum ſub hoc nomine Deo aſſerere quædam attributa, quæ peculiarem σχέσιν habent ad argumentum Cantici. Attributa Dei, ut objecti fiduciæ ſui Populi, de quibus monemur metaphorica hac appellatione צור, ſunt præcipue tria, α. Æternitatis, β. Immutabilitatis & conſtantiæ reſpectu conſilii gratiæ, & Promiſſorum Eccleſiæ datorum. γ. Potentiæ in Populo ſuo aſſerendo ac defendendo: quæ attributa in emblemate Rupis quisque facile deprehendit. Rupes eſt quid firmum, durum, immotum, ſtabile, invariabile, non manu factum, ſed ex ſe veluti natum, quod præſidio poteſt eſſe his, qui ad rupem ſalutis confugiunt; ſive in rupe conſiſtant, ſive in ea occultentur: ad quos lædendos nemo tuto & ſecure accedere queat, niſi ſibi arceſſere velit gravem noxam ac exitium. Pulcherrimum emblema Dei, ut cognoſcitur in Oeconomia Gratiæ. Deus Jehova eſt res æterna, ex ſe & per ſe ſubſiſtens, absque variatione & mutatione ulla, Pſ. CII. 28. qui propoſitum condidit æternum in Chriſto Jeſu Filio ſuo, ſecundum quod propoſitum poſteris Abrahami ſub conditione obſervandæ Legis Fœderis Sinaitici daturus eſſet hæreditatem terræ Cananææ, & credentibus in Filium juſtitiam & vitam æternam: quique illud propoſitum ſecundum voluntatem immutabilem

tari merebatur, ut de eo lector moneretur. Num vero Maſorethæ, vel quicunque fuerint, qui vocem צור majuſcula littera inſignem reddiderunt, ut in nonnullis Codicibus exſtat, id in animo habuerint, præſtare nolim. H. Venema.

bilem exequitur; & cui ad populum Fœderatorum & credentium, ipſi fidentium, protegendum, defendendum, eique præſtandam ſecuritatem, abunde ſuppetunt vires, ut nemo tentare queat læſionem populi Dei absque ſua noxa; ut proinde attributa immutabilitatis conſilii, & potentiæ æternæ ac invictæ, ſecundum quæ Deus in emphaſi צור dicitur, in Oeconomia Gratiæ maxime illuſtrentur: quo pertinet inſignis locus in benedictione tribuum Deut. XXXIII. 27. *Sit tibi habitatio Deus æternus, & ſubter ſive infra te brachia æterna*, alluditur ad *rupem*, *A* in qua quis latitat, æternæ ſubſiſtentiæ, quæ immoto ſtat loco. Æterna brachia ſunt potentia Dei invicta, æterno & immutabili Teſtamento nixa, Eccleſiam ſuſtinens. Confer Pſ. XC. 1. Eſtque eadem ratio.

E quare

A. Non tam ad *rupem*, quam fortiſſimum *Heroä*, ſpectare videntur, quæ Deut. XXXIV. 27. occurrunt: cum quod *equitis* perſonam hic gerat Deus, tum quod *hoſtes* proſternere dicatur, tum denique quod *brachia ſæculi* a rupis emblemate abhorreant, bellatori egregie conveniant: nihilque vulgatius ſit, quam *manum validam*, qua Iſraëlitæ liberati ſunt, Deo attribui. Pſ. LXXVII. 16. Jeſ. LXIII. 12. vox מעון *habitaculum*, quæ anſam de *rupe* cogitandi præbuit, nos ad emblema heroïs ducit, qui brachiis ſuis alium ſuſtentat, & defendit, ita ut ipſe *inter brachia* ipſius ſecure degere poſſit: quod phraſis, *ſubter te brachia æterna*, egregie confirmat. Sic Deut. XXXII. 11. Deus aquilæ ad modum eos *ſuper alis geſtaſſe* dicitur. Sed metaphora adeo prope arceſſita, & uſitata eſt, ut illuſtratione nulla indigeat. Cæterum *brachia ſæculi* ſunt, vel æternum vigentia, vel quæ ſæcula ſuſtentant, ut *rupes ſæculorum* Jeſ. XXVI. 4. H. VENEMA.

quare voces *rupes* & *Goël* alternentur Pſ. xix. 15. quod utriusque eadem ſint attributa. Deus eſt protector, defenſor, ſalvator, in Filio ſuo, ac proin objectum fiduciæ Populi ſui, ac proin vera rupes, Deus æternus ſalvator.

XV. Huic *Rupi* Propheta tribuit פעל *Opus*, ſive *Molimen*, molitionem. Intellige Opus univerſum divinæ Providentiæ erga Eccleſiam: פעל *molitio, molimen* eſt opus magnum, vaſtum, ad cujus ordinationem & executionem magna ſapientia, & vis requiritur. Animadverſio hæc eſt tam utilis, quam neceſſaria, quæ dubiis locis lucem affundit. Sic utique ſumitur notio Jeſ. v. 12. *Væ illis, qui attente non conſiderant* פעל י׳׳ *molitionem Domini, & opus manuum ejus non intuentur*. Intellige vias Dei, æterno conſilio definitas, erga Eccleſiam, ejusque providentiæ ordinem, nexus, cauſas: pariter in notabili loco Hab. III. 2. *Opus Dei in medio annorum*, eſt opus Divinæ Providentiæ magnum & illuſtre, quo vindicaret Eccleſiam ex Exilio Babylonico. Cum enim tempus Oeconomiæ Veteris per deſtructam à Babyloniis rempublicam interruptum videretur; Deus Eccleſiam eadem vi & potentia ex Exilio Babylonico reſtituit, qua quondam eam eduxerat ex Servitute Ægyptiaca. Ratio appellationis eſt, quod propoſitum Dei, quo conſtituit Eccleſiam habere in Mundo, eamque per longum tractum annorum usque ad ſæculorum finem adverſus molimina Satanæ conſervare & gubernare, usque quo tandem per varios caſus & eventus de Regno Satanæ, ad quod tuendum vis omnis Dæmonum & carnalium hominum concurreret, plane triumpharet, ut vaſtum eſt, ſic ad illud per tractum longi temporis exe-

exequendum intervenirent ingentia effecta Divinæ Juſtitiæ & Potentiæ, in illa liberanda, defendenda, vindicanda, absque quibus Eccleſia ſtare & conſervari non poſſet.

XVI. Hoc autem opus dicitur תמים *ſincerum, integrum*, quæ vera vocis ſignificatio eſt: quare vox ex ſenſu Vatis rectius per *integrum*, quam per *perfectum*, redditur. Ubi Opus Dei *perfectum* dicitur, hæc ſuboritur cogitatio, Deum omne opus ſuum juxta typum, conſilio ſuo propoſitum, abſolvere, & ad finem ac exitum perducere: quod ipſum quoque eſt attributum Operis Divini, ſed hic minus ad Scopum Vatis facit, nec æque reſpondet ſignificationi vocis תמים. *A*. Senſus Vatis eſt, quem ſupra expreſſi, opus

A. Vox Hebr. תמים proprie dicit, ut exiſtimo, quid, quod omnibus numeris completum eſt, quod ad ἀκμὴν pervenit, cui nihil deeſt, quod ad ejus perfectionem adeſſe debebat: in quo nihil *vitii*, aut *maculæ* ineſt. Quod ad molimen Dei, ſeu opus providentiæ, ad normam juris & æqui exactum, facile applicatur. Cum autem tale quid, quod omnes habet numeros, a ſe diverſum eſſe nequeat, nec aliam amplius induere *formam*, hinc *uniforme* & *anologum* denotat: cujus ſignificationis, quæ & hic omnino locum tenere debet, manifeſta ſunt indicia in Scriptura, tum in *ſimplicitatis*, quæ, *duplicitati* oppoſita, rei *uniformitatem* demonſtrat, notatione, quam radici ineſſe conſtat, *primariam* eſſe contendit Cl. Guſſetius; tum in frequenti oppoſitione τῷ עקש. ut Prov. XXVIII:6. *Præſtantior eſt pauper* הולך בתמו *qui integre ambulat*, מעקש דרכים *quam qui torquet duas vias*, *& dives eſt:* Sic & ✝ſ. 18. ſic c. XI. 20. תמימי דרך *integri via &* עקשי-לב *contorti corde* inter ſe opponuntur. Radicis עקש poteſtas in ſpinarum multiplici *complicatione*, in arenarum *inæqualitate*

Divinæ Providentiæ erga Eccleſiam non eſſe anomalum, ſed analogum, non difforme, ſed uniforme. Equidem videtur eſſe opus difforme & anomalum, tum ſi quis effecta in ſe inſpiciat absque ſuis cauſis: modo enim Deus Eccleſiam vindicat & liberat, modo illam deſerere videtur & relinquere poteſtati hoſtium: modo illam auctam facit ſuis benedictionibus; modo illam affligit, caſtigat, & ſevere etiam punit: tum quoque ſi quis effecta conferat cum promiſſis, abſolute ſumptis. Sed ſi quis illa effecta comparet cum ſuis cauſſis, eaque referat, tum ad gratiam, Juſtitiam, & æquitatem Dei, tum ad conſilium, quod habet de gloria ſua in variis illis Eccleſiæ ſtatibus & eventibus illuſtranda, tum ad leges & conditiones fœderis, quod cum Iſraelitis erexit, deprehendet opus eſſe analogum. Et hic tamen maxime reſpicitur analogia operis cum Divinis virtutibus, quæ latent in voce *Jehova*, quæ ſunt virtutes veritatis, gratiæ, Juſtitiæ,

litate ſita eſt, adeoque cor inæquale, ſibi non conforme, ſed varie contortum, & artibus ac fallaciis plenum, ſeſeque in varias *formas* contrarias vertens, ſignificat. Unde *æqualitatis* & *uniformitatis* uſus, qui in radice תמם conſtituitur, egregie elucet. Ipſa denique phraſis, תמים דרך *integer via*, eum repræſentat, qui *unam* viam tantum inſiſtit, adeoque uniformem ſeſe præſtat. Cæterum, cum Deus, qua תמים, & gens Judæa, qua עקש & פתלתל vers 5. ſibi opponantur, nec non ad *vias* Dei hæc vox itidem referatur, *uniformitatis* intellectus hic loco moveri omnino non debet. Num LXX id in oculis habuerint, cum reddiderunt *ἀληθινὰ vera ſunt opera ejus*, aſſeverare non poſſum: licet a vero ſimili non abhorreat: veritas enim, quæ *hypocriſi* eſt contraria, *uniformis* eſt. H. VENEMA.

ſtitiæ, æquitatis. Inter has & opus omne Divinæ Providentiæ eſt exacta analogia: quod Vates nunc demonſtratum it.

XVII. Huc usque propoſitio argumenti Cantici: ſequitur illius confirmatio, & vindicatio, quæ ipſa eſt propoſitionis ratio, qua Vates Deo tribuit laudem æquitatis, & juſtitiæ ſummæ, in omni opere providentiæ ſuæ erga Populum obſervatæ: à med. ℣. 4. & contra, culpam adverſitatum & calamitatum, quæ Genti accciderent, transſert ad Populum Dei. Conſtat autem tribus ſententiis. Prima eſt, *quia omnes viæ ejus ſunt jus.* Senſus ſententiæ eſt, omne opus Divinæ Providentiæ erga Populum eſſe exactum, primo, ad principia juris, æquitatis, Juſtitiæ, in ipſa Dei natura fundata, & in conſcientiis omnium mortalium conſignata, ſecundum quæ Deus de omni opere ſuo judicari vult: ſecundo ad Leges & conditiones Fœderis cum Patriarchis & cum Populo Dei percuſſi, ut adeo inde liqueat, Deum eſſe Rupem, cujus opus ſit integrum, Sincerum, & analogum. Quod enim opus analogiam habet cum principiis æquitatis & Juſtitiæ, quæ ſunt in Divina mente, & cum Legibus & conditionibus Fœderis, id opus cenſendum eſt, eſſe analogum, non anomalum. Per *vias Dei* ſtylo Scripturæ intelligi ſolent vel opera, in quibus efficiendis Deus ipſe ſe exercet; vel opera, in quibus homo ſe exercet ex mandato Dei: quæ ſignificationes, vere diverſæ, ſubinde ab Interpretibus inter ſe confunduntur. Priore ſenſu Jeſ. LV. 9. *Viæ meæ ſunt ſublimiores viis veſtris.* Poſteriore Pſ. XXV. 4. *Domine notas mihi fac vias tuas,* &c. Pſ. XXVII. 11. *Domine doce me viam tuam, & duc me in ſemitam rectam.* Opera Divinæ Providentiæ, vocantur *viæ*, quia ſunt

medium quoddam continuum, & partibus ſuis cohærens, per quod Deus ſe in iis efficiendis exercendo tendit ad fines, ſibi in conſilio propoſitos. Mandata autem Dei appellantur *viæ* Dei, quia hominibus à Deo ſunt præſcripta, ut continua & non interrupta materia exercitationis, ut per eam tanquam medium perveniant ad ſummum finem, h. e. felicitatem & ſalutem. Prior ſignificatus hic absque dubitatione obtinet. *Viæ* enim *Dei* A hic idem ſunt, quod Vates modo appellaverat מפעל יי׳ *Molitionem Dei*. Quæ viæ Dei, h. e. Opera Divinæ Providentiæ, cum dicantur eſſe משפט *jus*, h. e. exactum ad normam & canonem Juſtitiæ, duplex hic poteſt eſſe juris reſpectus, pro duplici ejus fundamento. Omne enim Jus Dei in hominem, vel hominis in Deum, vel peti debet ex Natura Dei & hominis, & mutua, quæ inter eos intercedit, σχέσει, vel ex Fœdere, quo Deus & homo ſe mutuo ad quasdam conditiones obligarunt: cujus generis erat Fœdus Patriarchale ac Sinaiticum. Sic itaque Jus dicitur omne id, quod ſecundum principia æquitatis & Juſtitiæ, in Sanctiſſima Dei natura fundata, homini ſecundum naturam ſuam competit, vel quod eidem ex fœdere à Deo debetur. Secundaria autem ſignificatione, *jus* dicitur, omnis actio

A. Silentio hic involvenda non eſt genuina verbi דרך poteſtas, qua *gradiendi vehementiam*, ut *calcantes* ſolent, denotat: a calcando enim ad gradiendum vox tranſiit. Greſſus Dei, quos populus carpebat, majores erant, qui in omnium oculos incurrebant. Deinde *viæ* Dei cum *molitionibus* comparantur, argumento, illuſtriores præcipue intelligi, quibus ad illuſtre aliquod opus perficiendum gradiebatur. H. VENEMA.

actio ſecundum principia Naturæ Dei & fœderis inſtituta: quæ ſignificationes ſunt affines & hic concurrunt, perinde ac Pſ XXXII. 28. *Deus amat jus*, æquitatem, juſtitiam, rationem, in puriſſima natura ejus fundatam, & omnem actionem ei conformem. Id vero ipſum eſt, quod Vates ſacer hic intelligi vult, ſc. in omni actione divinæ Providentiæ erga Iſraelitas nihil eſſe non exactum ad canonem æquitatis, Juſtitiæ, aut conditiones fœderis; ac proin Deum eſſe Rupem, cujus opus ſit ſincerum, non anomalum, ſed analogum.

XVIII. Altera ſententia, huic ſimilis, eſt: *Deus veritatis*, ſive *fidei; & non iniquitatis*. Sic vertimus verba abſque ulla duritie. Alii affine ſenſu: *Deus eſt veritas, & non iniquitas*, ut Belgæ quoque noſtri. Defendi poteſt interpretatio, quia Deus dicitur אמת *Veritas*, Jer. X. 10. Eſt tamen facilior noſtra interpretatio; præſertim ſi vocem אמונה hic accipias de *fide* Eſt certe genuina hujus vocis ſignificatio. Notat *veritatem*, ut Pſ. CXIX. 86. *Omnia præcepta tua* ſunt *veritas*, pariter denotat *fidem*, ut v. gr. Pſ. LXXXIX. 25. *Fides mea*, (אמונתי) *& gratia mea cum ipſo*, h. e. cum Davide, ut typo Chriſti. Eſt autem inter duas haſce notiones arcta cognatio, quia fides eſt veritas in implendis promiſſis actu demonſtrata, vel certo demonſtranda. *Veritas* autem hic eſt convenientia cogitationum & actionum cum principiis Juris & æquitatis, quæ fundata ſunt in natura Dei, & impreſſa conſcientiis hominum, conjuncta cum voluntate conſtante & immutabili, actiones ſuas ſecundum eam normam & principia inſtituendi: ad quam neceſſario pertinet repræſentatio promiſſorum, liberaliter datorum, quæ virtus *fides* dicitur. Huic oppoſitum vitium

tium, quod hic dicitur עול [A] *iniquitas, perverſitas, injuſtitia*, frequentis per ſcripturam uſus, eſt proprie Juſtitiæ & Juris corruptio, h. e. omnis actio principiis Juris æquitatisque contraria, per ſe tendens ad eorum principiorum abnegationem & deſtructionem. Dicere itaque vult Vates, pertinere ad naturam Dei Jehovæ, actiones ſuas omnes conſtante voluntate conformare ad principia & normam æquitatis; ac proin exacte liberare fidem in repræſentandis promiſſis, Eccleſiæ datis; iniquitatem autem, injuſtitiam, anomaliam ab actionibus veri Dei ac Jehovæ abeſſe. Eſſe vero illum talem per naturam ſuam, id ei eſſe proprium, & eſſe illum ab injuſtitia & iniquitate tam remotum, quam ab incorruptibilitate naturæ.

XIX.

A. Quemadmodum operum Dei *uniformitas*, qua ad juris & æqui normam omnes actiones componit, ex voce אמונה, quo epitheto Deus ornatur, ſic & ex ipſa poteſtate ײן עול elucet. Deus אמונה אל in emphaſi appellatur, quatenus *firmiter* incedit in *viis* juris & æqui: de *firmo* enim camelæ greſſu, quo non *ceſpitat*, Arabes proprie uſurpant. עול vitium proprie judicis eſt, juſtitiæ bilancem non *recte* tenentis, ſed ad alteram partem inclinantis, adeoque juris & æqui *rigorem* non obſervantis. عال enim in vicina lingua eſt, *propendit in alteram partem ſtatera*, & عايل *inclinans ſtatera*: unde ad judicii *iniquitatem* proclivis via fuit. Pſ. LXXXII. 2. *Quo usque judicabitis* עול *inique, & faciem improborum aſſumetis*: quæ propriæ poteſtatis hujus vocis egregia eſt expoſitio. Hinc mox loco noſtro ſubjungitur *Deum eſſe juſtum*, adeoque ab *iniquitate* illa longe remotum; ſed *rigidum* & *rectum* in juris & æqui obſervantia, qui in alteram partem flecti non poteſt. Hanc enim propriam radis צדק poteſtatem multis aſſeruit Cl. Schultens de defectibus L. H. §. 217. H. VENEMA.

XIX. Tertia ſententia idem fere ſonat: *Juſtus & rectus eſt ille.* Intellige Juſtitiam, generaliore notione ſumptam, quæ omnes actiones divinas conformat ad rationem æquitatemque, cujus idea eſt in intellectu perfectiſſimi Entis, omniumque aliorum entium rationis capacium. Hæc eſt generalis notio vocis Juſtitiæ, quam in ſchola vocant juſtitiam generalem, quæ particulatim reſtringitur ad leges divinas, earumque executionem. Pſ. xi. 7. *Juſtus eſt Deus, amat Juſtitias* Vates ipſe mentem ſuam declarat, ubi addit, וישר הוא *& rectus eſt ipſe:* ſignificatur directe, voce ad id aptiſſima, id ipſum, quod in Schola vocant *rectitudinem* moralem, eadem, ejusdemque poteſtatis, voce. Eſtque hæc notio alibi quoque de Deo hoc ſenſu recepta, ut Pſ. xxv. 8. *Deus eſt bonus & rectus.* Confer Pſ. xcii. 16. Eſt autem rectitudo Dei moralis excellentiſſima illa virtus Naturæ Divinæ Spiritualis, per quam & ſecundum quam omnes cogitationes, conſilia, actiones, operationes & qualiacunque attributa divina, adæquantur ad normam ſummæ rectæque rationis, cujus idea eſt in intellectu divino. Supponitur videlicet, in conceptu rectitudinis, eſſe quendam canonem, normam, menſuram communem, ſecundum quam de operationibus omnibus Spiritualibus ferri poteſt judicium. Is vero canon idem eſt, quod vocamus rationem rectam: cujus canonis idea eſt in intellectu Dei, & omnium entium intelligentium, in quibus hæc notio *conſcientia* appellatur. Quod ad hanc normam conformatur, moraliter rectum eſt: perinde ac architectis rectum dicitur, quod exactum eſt ad libram aut calamum. Id vero ipſum decus eſt, quod Sancti ſub hac notione Deo adſcribunt, ut maximam divinæ perfectionis partem. Deum ſtatuunt eſſe *rectum*, h. e.

ad ejus pertinere naturam, ut omnes ſuas operationes & actiones ad hanc normam vel principium conformet, nunquam ab ea diſcedat, inter hanc normam & operationes divinas eſſe exactam proportionem & convenientiam. Nihil eſſe in natura ejus diſſonum, nihil contrarium. Vitium omne, iniquitatem, injuſtitiam, perfidiam, mendacium, dolum, fraudem, quæ à rectitudine morali diſcedunt, natura Dei excludi: maxime vero excludi natura Dei *Jehovæ*, qui haſce ipſas virtutes, h. e. ſummam naturæ ſuæ puritatem, Juſtitiam, Sanctimoniam, in Oeconomia & regimine Populi ſui manifeſtas facere voluit.

XX. Eſt vero hoc teſtimonium, quod Vates hic edit de Juſtitia, Æquitate, & Rectitudine Dei morali, omni digniſſimum animadverſione. Ducit enim nos in veram Dei notitiam, & reſtituit nobis veram Dei ideam, quam mythica & popularis Theologia Gentium plane corruperat, quæ fœda diis ſuis omnia adſcribebat. Sanior Philoſophia Gentium hic rectiora docuit, & poteſt de eo videri inſigne teſtimonium Plutarchi in Vita Ariſtidis. *A*. Sed pertinet ad laudem Scho-

A. In oculis habuit Cl. Auctor eximium *Plutarchi* locum, ubi de *Juſti* titulo, quo Ariſtides ornatus eſt, diſſerens pag. 321, 322., eum nuncupat, τὴν βασιλικωτάτην καὶ θειοτάτην προσηγορίαν, *maxime regiam & divinam appellationem*, & *trium*, quibus Deum præcellere dixit, *immortalitatis* ſcilicet, *potentiæ* & *virtutis*, σεμνότατον καὶ θειότατον *ſummæ majeſtatis & divinitatis* eſſe τὴν ἀρετὴν *virtutem* ſtatuit Quo cum loco alius comparandus eſt, qui *ad principem indoctum* exſtat p. 781. ubi *virtute* nihil *Divinius* eſſe aſſerit; nec δίκην permittit dici τὴν τῶν θεῶν πάρεδρον *Diis aſſidere*, ſed Deus ipſe, ait, δίκη καὶ θέμις *jus & fas eſt*. H. VENEMA.

Scholæ Sanctorum hoc decus naturæ divinæ maximum Deo attribuiſſe. En luculentum teſtimonium Vatis Sacri, Pſ. XXXIII. 4. ſeq. *Rectum eſt Verbum Jehovæ*, & omne opus *ejus conſtat fide, amat Juſtitiam & Judicium; benignitatis Jehovæ plena eſt terra.* Cavendum itaque nobis eſt; ne de operationibus divinæ Providentiæ diſſerendo unquam Deo hoc tribuamus blasphemum, & abſurdum, poſſe illum quicquam agere, vel producere, quod non conveniat ſummæ rationi, æquitati & puritati Naturæ ejus. Solummodo hæ ſententiæ ſunt referendæ ad Scopum Vatis & accommodandæ ad argumentum Cantici. Vates hac Ode vult docere, Opus divinæ Providentiæ erga Iſraelitas eſſe ſincerum & analogum, quam ſuam propoſitionem adſtruit & elucidat ex Natura Jehovæ, veri Dei, perfectiſſimi Entis, cujus operationes nunquam deviare queunt à ſuo principio. Omnes vias, ait, eſſe Jus, omne opus conforme æquitati, fidem in eo nunquam requiri, omnia promiſſa ſuo tempore repræſentari, pertinere enim ad Naturam ejus perfectiſſimam Juſtum & rectum eſſe. Quæ ſententia directe opponitur criminationi Judæorum carnalium, qui de anomalia Operis Dei, & fide fallace in implendis promiſſis conquerebantur, & palam effutiebant opus Dei non eſſe rectum.

XXI. Sed hos propius aggreditur vates, retundendo calumniam, Deo impactam, & culpam calamitatum ad ipſos transferendo, quod alterum vindicatæ propoſitionis membrum eſt; ỿ. 5. *An corruptio eſt ipſi? Non. Macula eſt filiorum ejus: generationis perverſæ & contortæ.* Prius membrum hujus ſententiæ plurimum exercuit Interpretes. Hebræa ſunt, שחת

שחת לו לא בניו מומם *Corrupit ſe contra illum, non eſt filiorum ejus vitium ipſorum.* Glaſſius, *Corrupit ſeſe illi, non filii ejus, in ignominiam ſuam.* Lud. Cappellus *Non corrupit ſe Deus: ſed filii ejus probroſi ſunt.* quem in finem obſervat, pro מומם legi forte poſſe מומים *probra.* Alias ita: *Corrupit ſe*, nempe Iſraël: *non ſunt filii ejus;* nempe Dei: מומם pro מום הם *Macula illi* ſunt Cl. Coccejus hic rurſus plane ſingularis eſt, verſionem ad hypotheſin ſuam accommodans. In priore membro obſervat vocem שחת, quam omnes accipiunt pro verbo *formæ præteriti*, reſpici poſſe ut nomen, ad exemplum vocis שלם *retributio* in hoc ipſo Cantico, ℣.35. & ipſum hoc vocabulum ita ſumi, Hoſ.XIII.9. deinde illud לו rectius referri ad *Deum* quam ad *Iſraëlitas*, cum Iſraëlitarum mox mentio fiat in numero *plurali*, & hactenus mentio facta non eſſet ullius ſubjecti quam Dei. Vertit itaque, *An corruptio eſt ipſi*, ſc. per interrogationem? *Non.* hoc ſenſu. Putasne vero Chriſto Filio Dei corruptionem adeſſe, ſive, vitia quædam ei adhærere, ut judicant homines, qui eum rejiciunt. *Non.* nullum in eo vitium eſt, nulla macula, quæ ipſum ut Meſſiam & Filium Dei deformet. Alterum jam membrum ita accipit, ut eo detur ratio, quare Chriſto Meſſiæ nullum adhæreat vitium, primo, quod poenitentes, viliſſimos peccatores, meretrices, publicanos aut deterioris conditionis homines, quos Judæi cenſebant eſſe *maculam* ſuæ gentis, aſſumpſerit in Filios, quippe per prædicationem Verbi gratiæ regenitos & ſanctificatos. *Filii ejus macula illorum.* Secundo, quod increduli & impoenitentes ipſi ſint pravi judicii homines, ſc. *Generatio contorta & perverſa*, quam verſionem & interpre-

pretationem Viri Docti, qui hypotheſin hanc ſervant, ſequuti ſunt.

XXII. De his verſionibus ita ſtatuo: quod ad prius membrum nullam faciliorem eſſe ea Cl. Cocceji, quam hic unice probo, primo quidem, quia *relativum* in vocula לו refert ad Deum, ad quem referendum eſſe patet, tum quia aliud ſubjectum hactenus in Oratione expreſſum non erat; tum quia mox idem occurrit relativum in voce בניו *filii ejus*, in qua *relativum* illud ad Deum pertinere omnes conſentiunt. Secundo, quia conformis eſt punctationi Maſorethicæ, quæ vocem לא per *diſtinctivum* diſcernit à voce בניו *Filii ejus*. Equidem fateor, non eſſe hanc rationem graviſſimam, quia accentuatio Maſorethica non excludit omne vitium: ſed cum Maſorethæ fuerint prudentiſſimi Viri, & traditionem Veteris Synagogæ paſſim ſequuti ſint, non facile illorum ſpernenda auctoritas: accedit jam tertio ipſius ſententiæ facilitas, cujus in oratione maxime habenda eſt ratio. *A.* Verſiones autem aliæ vel in omnes haſce, vel

 unam

A. Facilius quidem flueret oratio, ſi לו לא legeretur; ut LXX legiſſe videntur, nec difficilis aut rara eſt duarum illarum vocularum, ejusdem quippe ſoni, confuſio: Sed a recepta lectione, ſine urgentiore neceſſitate, non diſceſſerim. Emphaſi enim non caret *interrogatio*, cui hic locus datur, ut Cl. Auctor egregie demonſtrat, nec exemplo deſtituitur. Proferam ſimile ex Joël. IV. 14., ונקיתי דמם לא נקיתי ſive vertas, *an innocentem declarabo ſanguinem ipſorum?* (ab aliis effundendum) *non declarabo innocentem*, ſed jure eſſe fuſum: ſive reddas, *an impunem declarabo cædem ipſorum?* (ab ipſis commiſſam) *non declarabo impunem:* perinde fere eſt quod ad ſenſum, modo voces

unam harum rationum incurrunt, inter quas tamen nulla probabilior ea Belgarum, nulla magis repudianda, quam Cappelli. Quod vero ad poſterius membrum, neutiquam accedo Cl Coccejo, cujus hic vere quæſita eſt interpretatio, tam realis quam verbalis; nec in aliis quoque verſionibus ea facilitas eſt, quam hic deſidero: nec licet vitandæ prolixitatis cauſſa de ſingulis dicere ſententiam. Vertenda ſunt verba: quod ad *filios ejus* attinet, *A macula ipſorum eſt, generatio*

voces *interrogative* capias, cum ſubjuncta *reſponſione*: quemadmodum omnino fieri debet. Addo aliud ex Jer. xxv. 29. *Quia ecce, in urbe, nomini meo inſcripta, incipio mala facere*; ואתם הנקה תנקו לא תנקו *an vos ullo modo impunes eſſetis? non eritis impunes.* H. Venema.

A. Accentus *conjunctivus*, ut dicitur, *Munach* ſub voce בניו eam vocem cum ſequente cohærere ex mente Maſoretharum evincit. Nec ratio eſt, quæ nos ab eorum ſententia diſcedere jubet. Quare non tam cum Auctore verterem, *quod ad Filios ejus attinet*, quam *Filiorum ejus eſt macula*. Parvi enim æſtimandus eſt ſcrupulus, quem pronomen relativum, in voce מומם *macula ipſorum* injicit. Relativum enim ſubſtantivo ſuo aliquando *pleonaſtice* non ſine emphaſi ſubjungitur. De quo D. Glaſſius Gr. S. l. III. tr. 2. can. 25. Cæterum quemadmodum שחת *moralem* non tantum corruptionem, ſed & *phyſicam* comprehendit, ita ut *corruptio* ſit *cauſa corruptionis*: ſic מום *maculam* non tantum, ſed & ignominiæ plenam *calamitatem*, quæ de *morali vitio* teſtatur, hic & alibi denotat, ut Job. xi. 15. *Nam tunc elevares faciem tuam* ממום *ex macula*, miſeria, quæ notam inurit. Quod orationi nonnihil luminis inſpergit. Scopus enim cantici eſt demonſtrare, malorum cauſas non in Deo, ſed populo eſſe quærendas. ſic Hoſ. xiii. 9. *Corruptio tua eſt, ô Iſraël* (culpa penes

nerationis contortæ, perverſæ, acſi ſcriptum eſſet; בניו מום להם Quod ad *filios ejus*, *macula* ipſorum eſt, culpa in ipſos recidit: in qua verſione id etiam obſervandum eſt, *affixum* nomini vel *verbo additum* quandoque pro ſeparato vel abſoluto pronomine uſurpari, ut Pſ. cxv. 7. ידיהם *manus ipſorum*, h. e. ידים להם *manus* ſunt *ipſis*, quem canonem pluribus exemplis illuſtravit Buxtorf. Theſ. lib. II. cap. 17. & Glaſſ. Gramm S. lib. 3. *Tract.* 2. mox in initio. Sic ſententiæ toti ſua conſtat elegantia, facilitas & emphaſis: *An corruptio ejus* eſt, ſc. Dei? *Nequaquam: quod ad filios ejus* attinet; *illorum cauſſa* hæc eſt *macula*. Senſus eſt, Deum Iſraëlis Jehovam neutiquam eſſe in culpa, quod Iſraëlitæ non ſint gaviſi omnibus effectis & beneficiis fœderis; ſed culpam omnem recidere in filios ejus, qui obſtinata legum divinarum transgreſſione fœdam maxime & pudendam ſibi contraxerunt maculam, dignitatemque filiorum, in quam à Deo Jehova evecti erant, turpiter proſtituerunt, quæ ſingula paucis illuſtranda ſunt.

XXIII. Videlicet Vates Sacer cum ſibi propoſitum haberet hoc Cantico ſuo maxime vindicare viarum divinarum juſtitiam, æquitatemque, & fidem ejus erga Populum: poſtquam hoc argumentum Cantici ſui poſitive propoſuiſſet, ac declaraſſet; retorquet criminationem injuſtam in Populum pertinacem ac rebellem, culpam, in cujus reatu ipſe hærebat, Deo improperantem: ut ſolent agere carnales homines, ſui amantes, Dei oſores. Incipit igitur ab interrogatione,

penes Te eſt) *nam in me eſt auxilium tuum*, non malorum, ſed bonorum cauſa in me eſt. H. VENEMA.

tione, ipſorum criminationem falſam, recriminatione juſta refutaturus. *An corruptio ipſi eſt?* h. e. an ipſe fuit in culpa non obſervatarum conditionum fœderis? Num Deo Iſraëlis aliqua hic adhæſit macula? an ipſi vertendum eſt vitio, quod Populo acciderint mala, calamitateſque, promiſſis fœderis contrariæ? Hæc enim ſingula latent in poteſtate vocis שחת *Corruptio* proprie eſt *qualitas* rei ejuſmodi, qua à vera & nativa forma ac ſpecie ſua, quæ ei decus conciliat, in alienam transmutatur, & præternaturalem, quæ ei conciliat dedecus, eamque deformat & ineptam facit ad uſum, cui deſtinata eſt. Notat itaque in ſpiritualibus crimen quodque fœdum, pudendum, vitiumque omne, quod puritati integritatique entis intelligentis oppoſitum eſt: ut ſunt *iniquitas*, *injuſtitia*, *perfidia*, *infidelitas*, & quæ his ſimiles. Vox, hoc ſenſu metaphorice ſumpta, eſt in frequente uſu in Literis Sacris. Notat vitium turpe, crimen grave. ut Pſ. XIV. 1. *Corrumpunt ſe, abominanda patrant:* ſpeciatim perfidiam, ſive transgreſſionem fœderis, Exod. XXXII. 7. *Et dixit Jehova ad Moſen: Age, deſcende,* כי שחת עמך *quia Populus tuus ſe corrupit*, h e. obſtrinxit ſe turpiſſimo crimine. Id vero ipſum eſt, quod hic intelligi demonſtrat contextus: per שחת deſignatur h. l. omne vitium, oppoſitum juſtitiæ, veracitati, fidei, æquitati, conſtantiæ, quæ virtutes uſum locumque habent in fœdere: ut vero virtutes hæ laudabiles maxime ſunt, ſic omnis conſcientiæ judicio turpia cenſentur & inhoneſta vitia, his virtutibus oppoſita, quæ Vates modo indicaverat unâ voce עול *iniquitatis*, perverſitatis. Hoc vero ſenſu quærit: eſtne Deus, qui poſtulari poſſit fœdi hujus vitii, quod non ſteterit legibus fœderis? quod fœderatis ſuis non præſtiterit fidem?

fidem? quod Populum ſuum turpiter deſtituerit? Horum enim vitiorum ſuſpectum eum faciebant carnales, fœdifragi ipſi, eamque ſuam criminationem aliquando publice efferrent, quod prævidit Propheta. Ergo ipſe contra diſputans refutat ac retundit hanc criminationem voce לא, *non*. Neutiquam, ait, res ſe ita habet: falſa eſt criminatio. Turpe vitium transgreſſionis foederis non imputandum eſt Deo, ſed Iſraëlitis. Illi ſe corruperunt, eodem modo & ſenſu ac Hoſeas, idem agens quod hoc loco Moſes, cap. XIII. 9. שחתך ישראל *Corruptio tua eſt, Iſraël.*

XXIV. Id vero ipſum eſt, quod Propheta parte hac poſteriore enunciat: *Quod ad Filios ejus attinet, macula ipſorum eſt*, h. e. ipſis imputanda, ſic ad literam: vera & propria ſententia eſt: *filiorum ejus hæc eſt macula.* Vox מום *macula* hic idem notat quod חטאה, h. e. peccatum, non qualecunque, ſed vitium fœdum, *deforme*, in quo ineſt quid αἰσχρὸν, fœdum, turpe, inhoneſtum, quod damnatur à conſcientia entis intelligentis, eidemque conciliat dedecus, cujus generis eſt *infidelitas, perfidia*, reſpectu fœderis. Sic ſumitur vox מום, Prov. IX. 7. *Qui demonſtrat impio* מומו *maculam ſuam.* Eſt igitur מום *vitium impium*, h. e. turpiſſimum. Sed eſt metaphora verbo Dei receptiſſima. Per *filios* autem Dei hic absque dubitatione deſignantur poſteri Jacobi, educti ex Ægypto, à Deo typice geniti & aſſumpti in filios, ſic dicti ſecundum originem & inſtitutionem ſuam, & κατὰ δόξαν, *opinionem*, quam de iis alii conceperant, & profeſſionem ſuam publicam. Id vero durius viſum Cl. Coccejo, ſc. filios Dei appellari, qui mox arguuntur *infidelitatis*. Putat itaque rectius hic intelligi *filios* Dei vere & in emphaſi ſic dictos. Sed elevat vim omnem

objectionis collatus cum hoc loco ỷ. 21. ubi exerte illi, qui hoc Carmine redarguuntur, appellantur בנים לא אמון בם *Filii, in quibus nulla fides*, ſive *fidelitas* eſt, quem locum cum hoc noſtro recte contulit A. Eſra. Sententia eadem eſt, quæ noſtra, *Labes eſt filiorum ejus*. Obſervandum itaque, dici Iſraëlitas in hoc loco filios per ὀνειδισμὸν *exprobrationem*, quippe quod clariſſime patet ex ipſa diſceptatione cauſſæ, quæ incipit *verſu* ſeqq. ỷ 6. *An hoc retribuetis Jehovæ? An non ipſe eſt pater tuus*, qui *te generavit?* Eodem plane modo ac Jeſaias, cap. 1. 2. ubi in diſceptatione cauſſæ Dei, *Filios educavi & exaltavi:* ſed illi transgreſſi ſunt *adverſus* me. vid. & Exod. IV. 22. Senſus itaque eſt, non eſſe Dei Jehovæ hoc vitium, ſed Populi, à ſe geniti, educati, evecti ad prærogativam adoptionis typicæ, & ſecundum quam dici voluit hujus Populi Pater typicus ſub Oecon. Vet. Cum enim ipſorum, ut filiorum, eſſet, ſe mihi commendare integro affectu & obſequio: nihil potius habuerunt, quam ut neglecto officio, ad quod ſe obſtrinxerant, & poſthabitis beneficiis, quibus eos proſecutus fueram, leges foederis petulanter & obſtinate transgreſſi ſint, meamque in ſe provocarint juſtiſſimam indignationem: quæ hoc loco ad emphaſin vocis *filiorum* monuiſſe ſufficiat: cum de generatione myſtica & typica ad ỷ. ſeq. ſuo loco diſtinctius agendum ſit.

XXV. Illuſtrat hanc interpretationem, quod ſubjicitur in verb. דור עקש ופתלתל *Generatio perverſa & contorta*, quæ verba ſive quis abſolute ſpectet, ſive ut cum præcedentibus conjuncta, perinde eſt. Si ea abſolute ſpectes, ſic accipienda eſt ſententia: *Filiorum ejus hæc eſt macula. Generatio perverſa & contorta*,

torta, h. e. quippe ſunt generatio perverſa & contorta: ſed ſi cum præcedentibus connectas, hic eſt ſenſus. Labes hæc eſt filiorum ejus, generationis perverſæ & contortæ: qui ſenſus placet. Habet enim hanc emphaſin, ut non omnes promiſcue Judæi, omniſque ætatis, hic accuſentur, ſed filii Dei, qui ſic dicebantur, certorum temporum, quibus defectio ad ſummum perveniſſet: cujusmodi fuerunt illa tempora, quæ judicium divinum in hanc gentem proxime præceſſerunt. Sunt autem voces, quibus Vir Sanctus ingenium & interiorem indolem Judææ Gentis hic deſcribit, electæ & ſingularis emphaſios, à nobis non negligendæ.

XXVI. Vox עקש, apud Hebræos in uſu ſatis frequente, notat id, quod Latini perverſum, inverſum, diſtortum [A] vocat, Græci σκολιὸν, cujus vocis, à LXX. In-

A. עקש proprie non ſignificat *inverſum*, ſed *curvatum*, *quod ſimul per ſpiras & flexus intortum eſt*, ut *cornu* capri inflexum & intortum poſt aures, quemadmodum ex Arab. عقص nuper docuit Amiciſſimus A. Schultens in *addendo ad clavim dialectorum*. Uſu autem Scripturæ de *viis* tam *inæqualibus*, quam multis *flexuris*, quæ a via regia abducunt, præditis, uſurpari ſolet: ut ex oppoſitione ad מישר Jeſ. XLII. 16. & ex aliis locis elucet. Prov. X. 9. XXVIII. 6. & alibi. In genere quidem ſignificat quicquid a *debita rectitudine* in contrariam formam recedit, quod ſummæ *depravatum* & *perverſum* eſt: ſpeciatim tamen *hypocriſeos* vitium hac voce præcipue eſſe involutum videtur: tum quod תמים & תם *integritati* & *ſinceritati* paſſim opponatur; tum quod *hypocritæ* nec *æqualitatem* in actionibus obſervent, nec viæ regiæ recta inſiſtant, ſed varie *deviant*, ſeſeque in varias flexuras intorqueant: ſuis opinionibus & actionibus in ſe ipſi *incurrant*, ſeque implicent: ut Judæi,

Interpretibus quoque adhibitæ, uſus eſt aptiſſimus. Eſt igitur major vis in voce, quam ut notet id, quod non eſt rectum, quomodo Docti Viri vocem interpretantur. Curvum enim ipſum quoque rectum non eſt, & tamen non eſt idem, quod Hebræi vocant עקש. Vis vocis eſt, ſignificare omnem rei formam, habitum, qualitatem, geſtum, veræ formæ ad certum uſum aptatæ contrarium, cujusmodi forma contraria eſt in inverſo libro, veſte, calamo, clave, aliisque rebus ad uſum ordinatis. Sic ℣. 20. דור תהפוכות המה: ſic עקש דרכי *perverſus viis* Prov. XXVIII. 6. dicitur, qui via recta ſibi monſtrata rectus non incedit, ſed obliquos greſſus faciendo ad dextram modo, modo ad ſiniſtram, divertit, vel etiam novam ſibi ipſe à recta diverſam ſemitam facit. Opponitur τῷ נבר puro, תמים integro, ut inter alia Pſ. XVIII. 27. Eſt autem vox aptiſſima ad deſcribendam veram indolem Populi Judæi perinde ac σκολιὸς, qua Scriptores N. T. de Judæis utuntur. Notat tam ingenii, & indolis, pravitatem, qua quis interiore animi affectu à Deo alienatus, & præjudiciis de Deo, ejusque viis & actionibus, & præcipue de via ſalutis ab ipſo præſcripta, perverſe ac maligne judicat, ut, quæ Deo recta videntur, ipſi videantur prava & diſpliceant; quæ Deus probat, ipſe improbet; quæ Deus ab ipſo fieri vult, his non tantum contraria faciat, ſed facere amet, ut ſolent, qui diſſidentes affectu & voluntate, nihil eorum probant, quæ ab eo, quem oderunt, rectiſſime geruntur.

Eadem

dæi, modo Deum, modo idola, colentes, & idololatriam veræ religioni adjungentes. Utrumque illud, & *pravitas* & *hypocriſis*, hic omnino locum habet. H. VENEMA.

Eadem, & major adhuc, vis eſt in voce פתלתל *A* quæ hic electa eſt à Vate ad interiorem indolem Populi Judæi carnalis depingendam: notat id proprie, quod Græci διεστραμμένον, qua voce hic optime utuntur Interpretes Græci & Latini, diſtortum, contortum, perverſum, implicitum, tortuoſum Sumpta metaphora eſt à luctatoribus, qui corpus in varias flectunt formas, vel à filis contortis & implicitis, ac in ſe invicem verſis.

A. Vox פתלתל, etſi cum עקש, tanquam vicinæ ſignificationis voce, conjungatur Pſ. XVIII. 27., paulo aliam tamen habeat originem, & intellectum paulo diverſum præbet. Proprie enim poteſtas in *fune* vel *filo* contorto, nexo vel neto, ſita eſt, ut ex vicinis linguis elucet. فتل Arab. eſt *torſit funem*, & in lingua Aethiopica *nere*, ut jam obſervavit Cl. *Dieu* ad Exod. XXVIII. 37. Hinc proclivi admodum via ad *luctationem*, non qualemcunque, ſed magna cum *arte*, & vehementia & *robore* conjunctam, tranſitus eſt factus. Aſtutiæ & fallaciæ, qua ſe invicem fallere & decipere ſolent luctatores, ſignificatus in lingua Arab. non tantum exſtat: ſed & ejus in Script. reperiuntur veſtigia. Job. V. 13. עצת נפתלים eſt *conſilium callidorum*. Prov. VIII. 8. negat ſumma ſapientia *verbis ſuis* ineſſe נפתל *verſuti* aliquid, ad fallendum callide excogitati. Nihil quoque vulgatius eſt, quam *nectere* dolos apud Lat. Ita ארב primum *nexuit*, inde *inſidiatus* eſt, denotat. Quod vero *robur* ambitu radicis comprehendi dixerim, *luctandi* poteſtate per ſe continetur, & Gen. XXX. 8. ubi Lea dicit, ſe *luctationibus Dei luctatam* eſſe, haud obſcure inſinuatur. Funis denique *torti* metaphora pro *fortiſſimo* notiſſima eſt. Magna itaque emphaſis hujus tituli eſt, populique ſummam perverſitatem ab oculos ponit, qua ſeſe *fortiſſima* cum *obſtinatione* Deo, ejusque præceptis & conſiliis, oppoſuit, eaque multis *artibus*, fictis hypotheſibus, eludere conatus fue-

In ſpiritualibus notat hominem perverſi, & maligni, Judicii, qui, cum ex ſiniſtro affectu ab alio diſſidere vult, & de ejus actionibus maligne judicare, ſe in omnes vertit formas, ſumma verſutia & calliditate, ita ut ſe ipſum implicet & ſibi etiam contradicat, atque hypotheſibus & actionibus contraria ſtatuat & agat.

XXVII. Sunt autem voces aptiſſimæ ad deſcribendam interiorem indolem Judæorum carnalium, eorum maxime temporum, quæ hæc reſpicit prophetia. Cum enim affectu eſſent carnales, nihil eorum iis placebat, quod Deo: quin potius de omnibus Dei actionibus & viis ſiniſtre judicabant, Matth. XVII 17. Luc. IX. 4. Phil. II. 15. cui judicio reſpondebant actiones omnes, & univerſum vitæ inſtitutum, quod illi non accommodabant ad Dei Leges, ſed ad præjudicia & affectus corruptos, quare Propheta eos comparat vitulo refractario, petulanti, recalcitranti, qui ſe jugo ſubigi non patitur, ut Jer. XXXI. 18. Sed hoc in loco præcipuus reſpectus eſt ad judicium de Religione, ejusque praxin: eſtque animadverſione dignum, Moſen vitia judicii Populi, poſterorum Jacobi, quemadmodum ea ex hiſtoria pateſcunt, hac duplice notione

fuerit. Creſcit adhuc emphaſis per ultimarum litterarum *duplicationem*, quæ ſuperlativi ſolet eſſe deſcriptio, ut conſtat, & multis etiam exemplis demonſtravit Magnus Bochartus Hieroz. lib. V. c. 6. Quare nihil addam, quam ad hanc quoque claſſem ſuperlativorum referendas eſſe voces, quæ geminatas habent radicales *ſejunctas*, ut פקח־קוח Jeſ. LXI. 1. *omnimoda apertio:* חפר פרות *talpæ* a continua *foſſione*, quod ipſum τὴν χάιν non effugit; Hieroz. l. III. c. 35. H. VENEMA.

tione eleganter propoſuiſſe. Hiſtoria docet, Judæum Populum, cum ipſi non placeret doctrina Religionis ſive via ſalutis, ſibi à Deo præſcripta, duplicem, eumque graviſſimum, hic commiſiſſe errorem. Primus error, quod ex ignorantia, ruditate ingenii, & affectu carnali cultum idololatricum aliarum Gentium prætulerint cultui puro, ſimplici, caſto, veri Dei Patrum, quem Deus ipſis per Moſen præſcripſerat: ad quam idololatriam populus ea fuit animi propenſione, ut nec beneficiis Divinæ longanimitatis, nec redargutionibus Prophetarum, nec exemplis ſeverorum judiciorum à peſſimo inſtituto potuerint revocari. qui affectus, & huic conforme judicium, Populi regnavit inde ab obitu Joſuæ & ſeniorum uſque ad Exilium Babylon. Alter error, quod Populus revocatus ad Religionem Patrum, neglecta juſtitia fidei nixa promiſſo gratiæ, quam unam viam Deus Patribus præſcripſerat, juſtitiam ſectatus ſit ex operibus, contra judicium & voluntatem Dei, ut Apoſt. ad Rom: IX. 31. Prior affectio prava Judæorum recte per vocem עקש notatur, quæ dicit decedentem à via recta, altera per פתלתל *intortum*, implicitum. Judæi enim quærentes & ſtabilientes juſtitiam ex operibus, ſe ipſos implicabant, & contrarias hypotheſes inter ſe contorquebant. Cum enim non repudiarent promiſſa gratiæ, h. e. promiſſum ſalutis adducendæ per Meſſiam, & tamen ſtatuerent juſtitiam operum: doctrinam procudebant intortam & in ſe mutuo incurrentem. Meſſias enim & promiſſa gratiæ fruſtranea ſunt, ſi ſalus ſit ex operibus. Pertinet ad eandem hypotheſin & vitium Judicii, quod, cum exiſtimarent, ſe Juſtitia & ſalute Meſſiæ vera non indigere, mente ſua conceperint Meſſiam quendam externum, qui illos

vin-

vindicaret in ſtatum libertatis & proſperitatis temporalis: cujus conſequens fuit, quod, cum Chriſtus verus inter ipſos appareret, per omnia ipſis diſplicuerit, & malignitate ac perverſitate Judicii ſemper invenerint, quod exciperent ad clariſſima argumenta veritatis doctrinæ, & ſtatus ipſius, ab ipſo producta. Inde jam ipſe Dominus Gentem Judæam ſui temporis phraſi ex hoc loco petita vocat Generationem contortam, pravi ac maligni judicii, διεστραμμένην, Matth. XVII. 17. Luc. IX. 43. & conferri poſſunt phraſes Prophetarum huic ſimiles, Pſ LXXVIII. 8. *Generatio rebellis & ad defectionem proclivis.* Jer. V. 23. *Populus hic habet cor refractarium & ad rebellionem proclive*; eſtque hæc una vox omnium Prophetarum. Ergo, quod Iſraël non ſit aſſequutus promiſſa gratiæ, Deo non imputet Jehovæ, fidei & æquitatis ſervantiſſimo, ſed ſibi, filiis immorigeris, generationi refractariæ, perverſæ, & contortæ, ſe divino judicio & voluntati omni caſu petulanter opponenti.

Altera Pars Cantici, complexa ejus διήγησιν, ſive Ἐξεργασίαν, aut Materiam.

Prius Membrum: Recenſio beneficiorum, à Deo in populum collatorum.

I. HActenus verſati ſumus in Propoſitione Argumenti ſive thematis diſputationis Judicialis, quam Vates hoc Cantico elaboraturus atque exequuturus eſſet. Sequitur ipſa Cantici Materia ſive Diſputatio

tatio pro divino jure ac cauſſa, quam dixi decurrere à ℣. 6. uſque ad ℣. 35. vel 36. quæ cum abſolvatur recenſione beneficiorum, à Deo in Populum juxta promiſſiones fœderis collatorum, delictorum adverſus hæc beneficia commiſſorum, & Judiciorum ob hæc crimina genti fœdifragæ inflictorum & infligendorum, cum ſubjecta δικαιολογίᾳ, ſive defenſione Cauſſæ Dei: primam ejus partem cum Deo tractare ordior, à ℣. 6. uſque ad 15. in qua detegimus inſigne orationis & poëtæ artificium.

II. Partem enim hanc διηγήσεως ſic inſtruxit, ut beneficia omnia in gentem collata generatim proponat, ℣. 6. ſub tribus nominibus, Populum ſibi comparare, facere ſive formare, & confirmare: deinde vero beneficia ſub ſuis vocibus latentia ordine eleganti explicet. Ad קנה *acquirere* pertinet ℣. 7. 8. 9. ad עשה *facere* & *formare*, ℣. 10 - 12. ad כון ℣. 13. 14. quæ ex ſeqq. clareſcent, & rite obſervata magnam Cantico affundent lucem.

III. Propoſitionem διηγήσεως beneficiorum ex fœdere in Populum collatorum dixi contineri ℣. 6. Incipit illa ab acri redargutione & elencho, accuſans Judæos ingrati animi. *An, ait, Jehovæ hoc rependetis Gens ſtulta & minime ſapiens?* Patet, argumentum elenchi eſſe, Judæam Gentem convincere de animo ingrato ergà ſe, rupem ſalutis: quæ convictio cum per ſe acrimoniam inferat, ſiquidem ingratus animus, ſive ingratitudo, quæ dicitur, paſſim cenſetur vitium odioſum & peſſimæ indolis; hic exaggeratur, tum per modum propoſitionis interrogatorium, tum per emphaticam appellationem objecti, tum per invidioſam adjectionem, *Popule ſtulte* & *minime ſapiens*: quæ proin adjectio in his verbis interpretandis poſtremo loco exponenda eſt, cum faciat gradationem ſententiæ. Quod ad

propoſitionem ſimplicem, quæ latet in verbis, *an Jehovæ hoc rependetis?* ſenſus ejus neminem fugit. Sub nomine זאת A *hoc* alluditur ad quædam *crimina* manifeſtaria, quæ ſupponebantur eſſe nota, in ſequentibus ab Oratore recenſenda, quæ crimina complexe ſumpta referuntur ad *derelictum* Deum, qui *Populum fecerat*, ſc. per idololatriam; & indigne ac propudioſe tractatam rupem ſalutis, ỷ. 15. 16. Crimina hæc & ſcelera ab Oratore ſupponuntur eſſe in aperto & manifeſto. Id etiam ſupponit ſcire auditores, ſe de hiſce criminibus maxime cum hac Gente diſputaturum eſſe, & ex hac materia vindicaturum ac defenſurum vias Juſtitiæ Divinæ. Ergo an *hoc*, ait, *rependetis* B Jehovæ, & his maleficiis penſabitis beneficia inſignia, à Deo

A. *Nota* non tantum, & in oculos omnium incurrentia, crimina pronomen demonſtrativum זאת comprehendit, etſi & eam habeat poteſtatem, ut recte demonſtravit Cl. Guſſetius: ſed & *atrociſſima*, quæ omnium deteſtationem merentur, ſimul ſcelera ſingulari emphaſi exhibet. Jer. II. 12. *Stupete cœli* על זאת *ſuper tanto facinore*. Pſ. VII. 4. *Jehovah, Deus mi! ſi feci* זאת, tam horrendum nefas. Plura ubique ſunt obvia. Quid quod maximi mali phyſici, ſeu graviſſimæ calamitatis, intellectum quoque præſtet? Sic Pſ. XXVII. 3. *ſi in me inſurgat bellum* בזאת אני בוטח *in hoc tanto malo fiducia me non deſtitueret*. H. VENEMA.

B. *Retributionis* idea, quam verbo גמל paſſim attribuunt Interpretes, non ex verbi poteſtate, ſed circumſtantiis exoritur, quum ſcilicet res ipſa *beneficiis* hunc conſpectum vindicat. Radix nihil præfert, quod *rependendi* ideam ſuſcitat, nec eo ducit verbi uſus. Contra, non deſunt multa loca, quæ *demerendi* potius, quam *remunerandi*, ideam ſuggerunt. ut Jeſ. LXIII. 7. De genuina vero & propria radicis poteſtate ſuboluit quidem aliquid Cl. Coccejo,

Deo Jehova in vos collata? Dicitur enim homo Deo quid rependere, ubi ſuis officiis Divinis reſpondet beneficiis, ut Pſ. CXVI. 12. non ſane acſi vel Deum ſuis officiis auctiorem faceret, vel paria ipſi redderet, cum ex officio hominis nullum Deo accedat emolumentum, & beneficiorum Divinorum æſtimatio longe ſupe-

H 2 ret

cejo, ſed eam accuratius definitam, & ſolidiore fundamento ſuperſtructam, debemus Cl. A. Schultens in aureo libello, *clavi dialectorum*, ad litteram *Gimel*, ubi eam ſtrictim in lucem dedit. Proprie dicit Arab. غمل, cum *gain*, *accumulate congeſſit ſuper aliquo*, *ad fovendum & maturandum*. Ad *maleficia* tranſlata vox, ut noſtro loco & alibi, peccatorum *pleniſſimam menſuram* depingit, qua adeo *accumulata* ſunt, & tam diu *durarunt*, ut malitia ſua jam ad *maturitatem* ſit adducta, & peccatores jam *maturi* ſint pœnis 1 Sam. XXIV. 18. *Tu* גמלתני הטובה *mihi beneficia accumulaſti*, inquit Saul ad Davidem, ita ut *crudum* meum animum fere *maturaveris*, & ingratitudinem meam expugnaveris, quæ emphaſis & alibi intenditur, ut Jeſ. LXIII. 7. *ego vero*, ſic pergit Saul, גמלתיך הרעה *accumulate tibi congeſſi malum*, ut ad pœnam maturum factum fuerit; fovi Tibi malum ad pœnæ maturitatem usque, vel, quod eodem redit, tantum in Te cumulavi malorum, ut iram & vindictam Tuam in Te foverim, & ad *maturitatem*, ſi fieri potuiſſet, adduxerim. Quæ ad noſtrum locum tranſlata ſummam ei emphaſin addunt. Sive enim intelligas, an *tot tantaque* crimina in animo *fovebis* contra Dominum, ut pœnis *matura* fiant graviſſimis, ſive, an tam atrocia accumulabis in Domino peccata, ut ipſius *ira matureſcat*, & vel invito extorqueatur vindicta: grandis erit, & emphaſios pleniſſima oratio. Apoſtolus haud abſimili ratione appellavit Rom. 11. 5. θησαυρίζειν σεαυτῷ ὀργήν. *accumulate recondere ſibi iram.* H. VENEMA.

ret meritum officii, quod homo Deo tribuit, quod, quale eſt, in ſuo genere eſt imperfectum, & in homine effectum Divinæ gratiæ. Unice igitur hic habetur ratio proportionis, quæ inter beneficia Dei & officia hominis intercedit; quæ officia ſunt agnitionis, reverentiæ, cultus, glorificationis, & gratiarum actionis, quæ tam conſcientia dictat, quam Verbum Dei ubique memorat, & commendat.

IV. Exaggeratur propoſitio, ut modo monui, primo per interrogationem, quæ hic emphatica eſt, & in elencho magnam vim habet Propheta enim ipſos Judæos, tot beneficiis mactos, ſibi veluti præſentes ſiſtit, vel fingit, & ipſos, ut in conteſtatione judiciali, directe appellando convincit non tantum de criminibus ſuis, ſed & de criminum ſuorum exceſſu. Vos, ait, quos hic coram appello, tot aucti à Deo beneficiis, ſupra omnes orbis terrarum populos, an Deo Jehovæ rependetis tot delicta non tantum, ſed flagitia, pro beneficiis in eos collatis? an his malefactis ejus benefacta penſabitis? Sic ſolent Prophetæ veri, & poſſunt exempla capi ex Jeſ. LVII. 3. ſeq. Jer. 11. 9. & ſeqq. ut & ex Hoſea & Amoſo.

V. Altera eſt gradatio in voce הל יהוה *An Jehovæ hoc rependetis*? Deo fœderato, Deo Patrum? qui ſe Patribus veſtris & vobis in gratia revelavit? cujus promiſſis ſalus veſtra ſtat tam temporalis quam æterna? qui fidem ſuam in tot beneficiis, juxta promiſſa Patribus data in vos collatis, abunde probavit? quæ ſuffecerit indicaſſe: tantum obſervare volebam, pertinere ad emphaſin propoſitionis quod propoſitio inde incipiat: eſt igitur legenda cum δείξει & intentione toni: *An Jehovæ hoc rependetis*? Maſorethæ ipſi nos monuerunt quibusdam ſignis, eſſe in hac voce

quæ-

quærendam peculiarem propoſitionis emphaſin, cum primo ה præfixum ſcribi jubeant per ה majuſculum; deinde punctationem voci dederint anomalam, cujus exemplum alibi in ſcriptura non occurrit: punctarunt enim הַל יהוה cum patach ſub ה, eamque literam à voce ſepararunt, veluti per ſe ſubſiſteret: debebat eſſe ה cum cateph. patach, & patach ſub ל הלאדני. Prioris non intelligo aliam rationem, quam quod ה majuſcula ſignificare voluerint diſputationem judicialem, ſive cantici materiam, hinc initium ducere: ſi plus intenderint, vergit ad ſuperſtitionem. Poſterius cur ipſis placuerit, difficile dictum eſt. Nec tamen quiſquam inde colligat, puncta communiter voci יהוה ſubſtituta eſſe genuina, quia punctatura æque anomala eſt in voce יהוה, quam אדני. Debebat enim regulariter punctari ſecundum literas vocis יהוה, הֲלִיהוָֹה. ut *an Judæ?* הליהודה. Ergo id dicendum, eſſe punctaturam anomalam, inde ortam, quod duæ literæ præfixæ ה & ל in hac punctatura ſupponantur voci ſimul accedere cum punctis naturalibus, ה cum cateph patach, & ל cum *Schevate*. unde prius cateph patach mutatum in Patach: cum ſecundum analogiam literæ præfixæ non ſimul, ſed ſucceſſive, voci præfigantur, quando exurgit punctatio הלאדני *A*.

A. Maſorethæ in ſuo codice forte legerunt & punctarunt הֲלִי יְהוָה *an mihi Jehovæ?* ut Deus loquens introducatur: unde, duarum litterarum י concurſu *oculos* vel *aures* librarii fallente, progreſſu temporis una littera י excidit, & nata eſt lectio ac punctatio anomala הַ לַיהוָה. Vel & conjici forte poſſit, הלא antiquitus fuiſſe lectum, & inde per compendium ſcriptionis cum lineola ſuperne imminente

VI. Tertia gradatio eſt in verbis, *Popule ſtulte & minime ſapiens*. Videlicet fieri forte poteſt, ut quis impingat in crimen ingrati animi, utilitatis ſuæ motus reſpectu, ut ſi videat rebus ſuis conducere, ut ſe à benefactore ſeparet, hoc ſequatur conſilium, licet inhoneſtum, aliqua tamen adhuc ratione excuſabile. Ve-

nente הל׳ eſſe ortum, quod poſtea, cum ſequente voce coaluit, & barbaram punctationem peperit. Ejusmodi compendia ſcribendi præter alias rationes mihi confuſionem לא & לו adeo frequentem produxiſſe videntur. Lectio הלא tolerabilem admittere potuit interpretationem, ſi ante תגמלו intelligas אשר, cujus uſitatiſſima eſt ellypſis: *nonne Jehova eſt, cui hoc accumulatis* &c. ut mox: *nonne ipſe Pater tuus eſt*. &c. Hæc ſi minus arrideant, nihil rectius ſuppetit, quam הַל יְהוָה eſſe legendum: nec tamen cenſuerim, duo præfixa הל ſeparatam conſtituere dictionem, ut Cl. Alting Gr. §. 58. exiſtimat: quod nodum perfecte non ſolvit, niſi *ratio* hujus anomaliæ aliunde petatur. Quid enim moverit Maſorethas vel ſcribas loco הֲלַיהוָה ſubſtituere הַל יְהוָה exponendum erat. Nec ſatisfacit ſimile quadantenus a Viro Clar. allatum, ex Eccleſ. v. 15 כָּל־עֻמַּת enim eo in loco non eſt pro כְּלְעֻמַּת *quemadmodum*, ſeu *ex adverſo*, hoc enim לעמת ſine ב ſignificat: ſed *univerſitatem conglomerationis* potius denotat, ut ſenſus ſit: vel, non ipſe tantum dives, ut nudus venit, ſic abit; *ſed univerſa vicinitas ejus, ut venit, ita abit*; vel *univerſum eſt glomeratum*, ἐπικεκλωσμένον fataliter nexum, veniens, abiens. Radix enim עמת apud Arab. *conglomerationis* intellectum proprie præbet, unde ad *affinitatem* & *parilitatem*, quam vox עמית, & propoſitio עמת apud Hebr. præfert, facilis factus eſt tranſitus. Sed הל Hebræis, æque ac eſt Arabibus, fuiſſe videtur particula interrogat:, unde poſtea ה interrog: originem repetiit. H. Venema.

Verum ſtultus ille eſt, & ab omni ſanæ rationis conſilio longiſſime digreditur, qui animi ingrati ſe reum facit erga benefactorem, cui ſummis beneficiis eſt obſtrictus, cum proprio ſuo detrimento; quique id ita agit, ut ſimul peſſimum erga eum prodat affectum, & beneficia ſumma cum ſummis rependat maleficiis & flagitiis, in extrema vergens abſque ratione & neceſſitate. Id vero ſupponit Vates, feciſſe & facturos eſſe poſteros Jacobi, quos perinde turpiſſimi vitii Ode hac ſua reos agit. Sic ſibi conſtat gradatio in his verbis. An hoc rependetis Jehovæ, Deo fœderato, benefactori veſtro, cui tot beneficiis eſtis obſtricti, cum veſtro damno & detrimento, tantum ut prodatis peſſimum in eum affectum. Vox נבל proprie hebræis notat non ſimpliciter ſtultum, ſed flagitioſe ſtultum, *A* qui ab omni ſana ratione abhorret, qui ſtultitiæ miſcet non imprudentiam tantum, quæ in omni ſtultitia ineſt, ſed nequitiam quoque. Sic Pſ. XIV. I.

A. Aculeus eſt in voce עם, hāud leviter pungens. Notio enim illa populum aliquando denotat, *κατ' ἐξοχὴν* ſic dictum: populum liberaliſſime inſtructum & eruditum; nobiliorem populum. Sic ℣ſ. 21. Gentes audiunt לא·עם *non-populus*, ſed גוי נבל *gens ſtulta*. Cum itaque Iſraëlitæ hic עם נבל appellentur, quam *indigne* ſeſe gerant, & nominis ſui prærogativis ac excellentiæ renuncient, inſinuatur, & iis exprobratur. Titulus עם hic partem populorum ſelectiorem, reliquorum communitate exemtam, ſignificat Deut. IV. 19. ut idem ſit, ac עם חכם *populus ſapiens* ibid. ℣ſ. 6. Sic Job. XII. 2. *Profecto*, כי עם אתם *quia vos populus* eſtis, *& vobiſcum peribit* חכמה *ſapientia*. Jeſ. XXVII. II. עם בינות *populum intelligentiarum* dixit. H. VENEMA.

xiv. 1. lxxiv. 18. Populus flagitioſus ſpernit nomen tuum, pariter ut ỳ. 21. Mente & animo corruptus. Idem adhuc fortius exprimit Propheta per לא חכם *non ſapiens*. A. Contrarium cui videri poſſet in idiomate ſacro non verſato. Videtur enim *non ſapiens* minus eſſe quam נבל *flagitioſe* ſtultus. Sed ita non eſt. *Non ſapiens* ſtylo Scripturæ eſt, in quo nulla ſapientiæ mica eſt, qui conſiliis plane eſt corruptus, nul-

A. Nonnihil acuminis eſt in vocibus נבל & חכם, quæ hic inter ſe opponuntur. Ut enim נבל proprie *marcidum* dicit, & ſucco vitali orbum: ſic חכם *firmi* & *compacti* præfert ſignificatum: de quo conſulendus eſt Cl. Schultens de *defectibus* L. H. §. 209. Populus נבל eſt, cui bonæ mentis ne mica quidem ſupereſt, in quo *vigor* aut *robur* mentis nullum ineſt: μωρὸς, ut lxx. aptiſſime reddiderunt, μωρὸς enim Gr. eſt homo *inſipidus* & *emarcidus*. Heb. נבל, quo itidem reſpicitur Matth. v. 22. quod probe obſervari velim, ut convitii atrocitas eluceat. Talis autem populus לא חכם nihil minus quam *firmus* eſt & *compactus*, ſed flaccidus totus ac marcidus, qui *judicii* & *voluntatis* robur ac conſtantiam pleniſſime perdidit, ita ut nihil recte intelligat, judicet, ac amet. Cæterum ad exempla, quæ emphaſin לא עז illuſtrant, addi poteſt Jeſ. xvi. 6. לא כן בדיו *non rectum divinorum ejus* eſt nihil minus quam *rectum*, ſed *futile*: Jeſ. xxxi. 3. *Aegyptii ſunt homo* ולא-אל *& nihil minus quam Deus*, *caro* ולא-רוח *& non-ſpiritus* 2 Sam. xxiv. 5. *domus mea* לא-כן *nihil minus quam res firma apud Deum*, ſed penitus collapſura, quæ vera loci interpretatio eſt. Huc itidem revocanda eſt peculiaris emphaſis, quam in *comparationibus* habet, qua *plus quam* exprimit. ut Jeſ. xxix. 9. *ebrii ſunt* ולא-יין *& non vino*, ideſt, *plusquam vino*. Am. viii. 11. *immittam famem in terram*, לא רעב ללחם *plusquam famem panis*. H. Venema.

nullius frugi, nequam, quod hic ad rem pertinet obſervaſſe. Sic ỷ. 17. לא אלה ſunt, in quibus nihil minus eſt quam divinitas תועבות. ỷ. 21. *Filii in quibus nulla eſt fidelitas*, Pſ. XLIII. 1. *Gens non benigna*, h. e. crudelis. Prov. XXX. 25. Formicæ Populus לא עז Jeſ. X. 10. Ezech. XX. 25. Vis ſententiæ in id recumbit, quod a. Iſraëlitæ non tantum, Deo benefactore ſuo derelicto, deflexerunt ad Idololatriam, ſed ad idololatriam peſſimi generis, abominabilem, deteſtandam: qui fuit cultus Idololatriæ Phæniciæ, & ſub Templo ſecundo Jovis Olympii, in profanatione omnium ſacrorum. b. Quod cum Deus juxta promiſſum Patribus factum ipſos viſitaret per Filium, & ſalutem ipſis manifeſtam faceret, non tantum diem ſalutis ſuæ non agnoverit, ſed improbe & flagitioſe tractaverit rupem ſalutis ſuæ, ỷ. 15. Hæc erant conſilia ſtulta, peſſima, in quibus nulla ſanitas, nihil bonæ frugis.

VII. Hoc præmiſſo exordio, ſequitur nunc ipſa convictio, hoc exordium explicans. Duo agenda erant in convictione. Enumeranda beneficia, & Maleficia oppoſita. Beneficia autem refert ad tria Capita hic propoſita, quæ ſcite includit tribus vocibus, עשה כון, קנה quæ clavis eſt intelligentiæ Cantici quod ad hanc partem. ỷ. 6. med. *An non ille eſt Pater tuus, qui te ſibi acquiſivit, ipſe fecit te & confirmavit te.* Ubi obſervandum, quod Deus ſe *Patrem* vocet, referri ad tria beneficia.

VIII. Priam membrum eſt, an non *ipſe eſt Pater tuus*. Certum ex Scriptura V. T Deum voluiſſe peculiari quodam ſenſu dici patrem Iſraëlitarum. Exod. IV. 22. Deut. XIV. 1. Jeſ. LXIII. 16. LXIV. 18. Mal. I. 6. Ubi vocem generalius inſpicias, poteſt habere reſpectum ad curam & beneficentiam, qua Deus

circa aliquem verſatur, quo ſenſu omnium quoque hominum Pater dicitur, ſed non ſtylo Scripturæ; Scriptores Sacri paſſim huic voci majorem tribuunt emphaſin. Ubi itaque vocis veram emphaſin ſectamur, referri poteſt ad generationem & adoptionem: (ſunt enim duo tituli Patris,) ad generationem Exod. IV. 21. ad adoptionem Deut XIV. 1. utraque eſt vel vera vel typica. Hic typica deſignatur, & quidem cum reſpectu ad generationem typicam, qua Deus ut Pater typicus & metaphoricus ſibi Iſraëlitas ut filios typicos & metaphoricos produxerat, procreaverat, eosque ornaverat & ſtabiliverat. Patet ex eo, quod additur, an non ille eſt *Pater tuus*, qui te ſibi *acquiſivit*, comparavit te, ſuum ſibi fecit: quæ vis eſt vocis קנה, *quid acquirere & ſibi comparare ſuo labore*, ac proin *parere*, generare, ut notum ex loco, Gen IV. 1. Prov. VIII. 22. Quod beneficium ut ſe ampliſſime extendit: ſic præſertim in hoc loco reſpicitur magnum beneficium Redemptionis Populi ex Ægypto, quia Deus Populum ſuum ex Ægypto produxit, veluti cum *labore*, ob ſtupenda opera potentiæ juſtitiæque ſuæ; tam in judiciis Ægypto inflictis, quam in miraculis à ſe editis in ſalutem Populi: abſque quibus miraculis cum Populus ex Ægypto educi & produci non potuerit, Deus cenſetur Populum illum, qui jam in eo erat ut periret, procreaſſe & produxiſſe. Eſt autem vox קנה in hoc beneficio metaphorice deſignando, ut elegantis, ſic frequentioris uſus in antiquis literis. Sic Moſes in Cantico Exod. XV. 16. עם זו קנית & Pſ. LXXIV. 2. *Cœtus, quem tu tibi acquiſivisti.*

IX. Alterum beneficium deſignat; הוא עשך *Ipſe fecit te*: ad quod recte intelligendum, obſervandus eſt

eſt peculiaris uſus vocis עשה, quo non tantum notat *facere*, ſed perficere, exornare, qui jam à doctis eſt obſervatus, ut Jeſ. XLI. 7. *Omnis, quem ad gloriam meam creavi, & feci.* Job. X. 8. *Manus tuæ elaborarunt & fecerunt me.* Pſ. C. 2. *Cognoſcite quod ipſe Jehova Deus, ipſe fecit nos & non nos.* Rurſus ℣. 15. *Dereliquit Deum, qui fecit ipſum.* Significantur, ut ex ſeqq. patebit, omnia beneficia gratiæ in Populum collata poſt Redemptionem ex Servitute Ægyptiaca: inter quæ præcipua erat legiſlatio ad Montem Sinai, quo Populus formatus eſt in Populum, Civitatem & Rempublicam. Per illam enim Populus accepit eam formam, quæ conveniebat ſtatui Populi Dei. Deus illo tempore ſe declaravit Regem Populi, & ſedem gloriæ in illa gente conſtituit. Emphaſis in voce הוא *ipſe fecit te:* plane ut ſtatua, quæ eſt ſub manu opificis, nihil conferre poteſt ad ornamentum. Ita Epheſ. II. 10. Tertium eſt, *& ipſe conſtabilivit te.* [a] Hoc eſt in

[a]. Quamvis *confirmationis* intellectum hic plane exulare nolim; aliud tamen quin & hoc verbo comprehenſum ſit nullus dubitaverim. Radix enim æque כנן, ac כון, conſtitui poteſt: כנן autem, quod in Arab. lingua ſupereſt, & cujus derivatum כנים *pediculi*, nec non כנה Pſ. LXXX. 16. in ipſa lingua Hebræa reperitur, *obumbrandi*, a ſole immunem reddendi, & ſic *protegendi*, ac *defendendi*, ſignificatu pollet apud Arabes, & radici גנן proxime reſpondet. Hanc *obumbrandi* poteſtatem huic loco omnino reſtitutam vellem, cum quod ℣ſ. 10, 11. hujus cap. eo manifeſte reſpiciatur, tum quod in *columna* nubis, quæ caſtra *obumbrare*; & populum a ſolis æſtu, aliisque malis immunem præſtare ſolebat, quo hic alluditur, ſummum Divini favoris & præſentiæ ſignum & effectum habuerit

in ſtatu tuo te confirmavit, auxitque omnibus beneficiis, quæ ad ſtatum tuum tibi conſervandum facere poterant. Eleganter hæ duæ notiones inter ſe conjun-

buerit populus; erat enim שכינה *inhabitatio & gloria Dei*: tum denique, quod קנה & עשה quicquid ad reip. fundationem & conſummationem pertinebat, complectantur, adeoque nihil aliud ad ſcopum faciebat memorare, quam *tutelam* & *protectionem* Dei, ſine qua populus *exornari* non poterat. Reſtringit quidem τὸ עשה *facere* Cl. Auctor ad reip. Judaicæ *formationem* in deſerto: ſed ampliorem habet ditionem verbum עשה, & quicquid ad reip. *conſummatum* ſtatum requiritur, ambitu ſuo comprehendit, ultimæque manus impoſitionem, ut ita loquar, deſignat, ut ex Jeſ. XLIII. 7. XLV. 18. ubi a ברא *creare*, & יצר *formare*, diſtinguitur, & rei *perfectionem* exprimit, clarum eſt. Nec obſtat hujus loci comparatio cum Jeſ. I. 2. ubi גדל & רומם occurrit: loca enim non ea ratione ſunt inter ſe conferenda, ut גדל reſpondeat עשה, & רומם τῷ כון vel כנן, ut Cl. Auctor ad Jeſ. inſtituit; ſed גדל ac רומם utrumque ſub עשה comprehenditur, ut enim עשה *rem perficere*, ſic גדל & רומם utrumque ad pueri educationem ac perfectionem neceſſarium eſt, גדל ad *compactionem* & nervorum firmitatem cum robore & vigore connexam, quæ radicis eſt poteſtas; רומם ad *ſtaturæ altitudinem* pertinet, ſecus ac Interpretes ſtatuunt. In utroque τὸ עשה *facere* ſitum eſt. Senſus itaque noſtri loci eſt, Eccleſiam Judaicam, a Deo magno labore acquiſitam, ſub ejus *tutela perfectam* ſuam, Deo dante & adjuvante, conſecutam eſſe formam; quod per gradus effectum eſt temporibus Davidis & Salomonis. Hinc ratio enitet, quare כון cum עשה conjungatur, & non cum קנה, tum quia ſine *protectione* & *obumbratione* Dei, ad ſummum felicitatis apicem pervenire non poterat, tum quia per eam tantum in eo ſtatu *continuare* debebat, quæ ratio eſt futuri

junguntur, ut Pſ. CXIX. 73. *Manus tuæ fecerunt me, & conſtabiliverunt me:* ſupponitur, rem jam factam indigere cura, conſervatione, ſuſtentatione, præci-

turi temporis, quo כנן hic occurrit. Suppetunt & alia loca, quibus hanc ſignificationem redditam velim. Unum alterumve exſignabo. Jeſ. XLV. 18. Deus dicitur *creator* בורא cœli & terræ, *formator* יוצר, *factor* עשה, & *protector* והוא כוננה *& ipſe obumbrat*, tegit, illam, quæ providentiæ luculenta eſt deſcriptio. Jeſ. LXII. 7. *Et ne concedite ei* (Deo) *quietem* (precibus inſtando) עד יכנן *donec ſtabiliverit*, & *poſuerit Hieroſolymam laudem in terra*; tu verte: uſque quo *gloria ſua obumbraverit Hieroſol.*, *eamque laudem* & *ſplendorem* ponat in terra, per *glorioſam* ſcilicet ſuam *inhabitationem*. Pſ. LXVIII. 10. *hæreditatem tuam*, *eamque laſſam* & ineluctabiliter incluſam, ita ut exitum non reperiat (id enim eſt נלאה/ Gr. ἀπορεῖν fere reſpondens) *Tu* כוננתה *protegis* & *obumbras*, *eamque* ſuſtentas, & ab æſtu ſolis ardentis defendis. Confer Jeſ. IV. 6. Egregie *condendi* vis elucet Job. XXXI. 15. *Nonne in utero factor meus fecit ipſum;* ויכוננו *& recondidit nos in utero unus* vel *obumbravit*, Pſ. CXXXIX. 13. תסכני *texiſti me in utero matris* exprimitur, proprie *intexuiſti* me, & *umbraculo prætexuiſti*, quod eſt *obumbraſti* me corpore. vid. Job. X. 11. Quod Pſ. CXIX. 73. rurſus per כונן explicatur. Eadem *tegendi* & *recondendi* poteſtas in iis locis reſidet, quibus hoc verbum ad *animum* transfertur, & *clandeſtina conſilia* ac molimina denotat, quo ſenſu & Arabibus in uſu eſt. Sic Jeſ. LI. 13. כונן להשחית, eſt qui perditionem animo *recondit* & *intendit*. Job. VIII. 8. *Roga quæſo ætatem anteriorem*, וכונן לחקר אבותם *& animo reconditum habe ad ultimum patrum eorum*, ut recte poſtrema vertit Cl. Coccejus. De derivato כנה Pſ. LXXX. 16. verbo obſervo, *ſtirpis obumbrantis*, magna umbra præditæ, intellectum egregie ad rem facere, ut ex ℣. 11. apparet. H. VENEMA.

pue ubi ſtatus ejus nutat & vacillat, In Ἀποδόσει videbimus Moſen ſub hoc beneficio duo complecti, Introductionem in terram Canaan, & benedictionem uberrimam, qua Populum in illa terra proſecutus eſt omni tempore ſtantis & florentis Reipublicæ: quam benedictionem Moſes in ſequenti in ſingularia plura ſecundum periodos temporum diſpeſcit, ut ſuo loco videbimus: rurſus emphaſis eſt in voce הוא. Iſraëlitæ erant debiles, perituri, non poterant ſubſiſtere.

X. His conſtat ſummaria recenſio beneficiorum in Gentem collatorum; quæ magnam vim habent in convictione. Primo, quia beneficia maxima erant, quæ, cum maleficiis comparata, ea vehementer aggravant. Ut enim ingrati animi vitium ſemper turpe & inhoneſtum habetur: ſic illud maxime, quod committitur in Patrem, qui non tantum filium procreavit, ſed & varie ornavit, finxit, perfecit, ſtatumque ejus conſtabilivit. Secundo, quia beneficia hæc non dubia, ſed liquida erant, quare ipſe per interrogationem: *An non ipſe eſt Pater tuus?* an non ipſe *te fecit?* ipſe te *conſtabilivit?* Eſtne quis alius Deus, Numen aut poteſtas Cœleſtis alia, cui debeatis hoc magnum beneficium, quod redempti ſitis ex ſervitute Ægyptiaca, formati in Populum & ſtabiliti in Cananæa? An itaque, tantorum debitores beneficiorum, hoc rependeretis Jehovæ? Conferri interim hic debet Jeſaias in recenſione beneficiorum. cap. 1. 1. ſeqq.

XI. Explicat nunc ſingula vates in ſequenti, ut diximus, usque ad ℣ſ. 15. idque ſane ſumma elegantia. *Primum* beneficium, quod deſignaverat voce קנה *comparare*, per duo explicat, dum illud conſiderat in cauſa ſua, & prima origine. a. Huc refert *conſilium Dei*, quo olim Iſraëlitis, nondum exiſtentibus, terra Canaan

naan decreta fuit ℣ſ. 7. 8. b. Confirmationem illius conſilii per *electionem* Iſraëlis factam in Tempore ℣ſ. 9.

XII. Prius ℣ſ. 7, 8. *Recordemini dierum antiquorum, ad animum revocate annos cujusque generationis. Percontare Patrem tuum & indicabit Tibi, & Seniores & ediſſerent Tibi* ℣ſ. 8. *Cum Deus ſupremus gentes duceret in hæreditatem mundi, cum divideret filios Adami, conſtituit terminos populorum ſecundum numerum Filiorum Iſraëlis.* Senſus totius hujus Pericopæ eſt, ſummam Dei Charitatem & affectum erga poſteros Abrahami eo manifeſtum eſſe factum, quod jam antiquitus mox poſt diluvium, cum Noah Orbem terrarum veluti hæreditatem vacuam divideret inter poſteros ſuos, ratio habita fuerit peculiaris terræ Canaanææ, dandæ poſteris Abrahami, ſecundum maximum numerum & multitudinem, in quam excreſcerent, iis in ſortem deſtinatæ: hanc vero rem non eſſe obſcuram, ſed manifeſtam, & conſilium illud Dei jam illo tempore fuiſſe vulgatum, ut ſi Judæi rogare velint Majores ſuos, apud quos Oracula antiquiſſimi temporis conſervata ſunt, ex iis cognoſcere poſſint, rem ita ſe habere.

XIII. Quomodo vero? ubi in diviſione Gentium, mox poſt diluvium facta, extat declaratio conſilii divini de terra Canaanæa danda poſteris Abrahami? Extat certe, & legere eſt Gen IX. 25. ad quem unum locum hic reſpexit. Narrat ibi Hiſtoricus, Noachum Prophetam, explicantem poſterorum ſuorum fata, hæc reliquiſſe verba: *Maledictus ſit Canaan, ſervus ſervorum ſit fratribus ſuis. Benedictus ſit Jehova Deus ſemi, & ſit Canaan ei in ſervum.* Senſus genuinus Vaticinii eſt, ex poſteris Semi fore aliquos, quibus Deus præ

cæ-

cæteris mortalibus in gratia ſe revelaret, qui poſteros Canaanis, divinam meritos maledictionem, exſcinderent, vel ſibi ſubjicerent in ſervitutem, terra illorum occupata, & ſibi vindicata, quod ratiocinium eventus docuit implementum ſuum conſequutum eſſe in Abrahami poſteris ex Semo oriundis, qui Cananæam ſive Phœnicen Cananæis, Chami poſteris, eripuerunt mandato & auxilio divino, eamque terram ſibi vindicarunt, cum Cananæorum internecione. Hoc vero Oraculum inter Semi poſteros erat conſervatum. Patres Judæorum, Abrahamus, Jacobus, Joſephus illud cum tabulis divinorum Teſtamentorum reliquerunt poſteritati; ut, ſi fœdifragi eos vel majores ſuos percontari velint, rei certitudinem inde cognoſcere queant.

XIV. Hic ſimplex ſenſus, hæc hypotheſis eſt hujus Pericopæ, ſed quæ plus habet in receſſu, nobisque plura cogitanda ſubjicit, animadverſione digniſſima. Primum eſt, Noam orbem terrarum ſecundum voluntatem Dei inſtar hæreditatis poſteris ſuis diviſiſſe *A*, quæ diviſio, ſive κληρουχία, extat Gen. x. per totum, monu-

A. Non ſine ratione, nec emphaſi peculiari, populorum diſſeminatio per orbem, duabus exprimitur phraſis ℣ 8. Prior enim ad terræ *diviſionem*, quam Noah ex conſilio Dei inſtituit, pertinet, *poſterior* vero *diſperſionem*, judicio Dei factam, poſt confuſionem labiorum ob oculos ponit. Diviſio ſeu partitio orbis verbo הנחל apte exprimitur: ea enim radix, cujus primigenia vis eſt *cribravit*, *ſecrevit* farinam a furfuribus, ut docuit Cl. A. Schultens clav. dialect. ad litt. נ, in Hiph. ſignificat *dedit in hæreditatem*, tanquam partem ſecretam aſſignavit in propriam poſſeſſionem: quod proprii poſſeſſoris & domini diſtributionem

monumento aureo; etſi probabile ſit, Noam diviſionem præcipue feciſſe inter Familiarum Principes. In hiſtoria Moſaica ipſa non dicitur, illam partitionem ex voluntate Dei factam fuiſſe: licet illud maxime probabile eſſet; ſed hoc inſigne monumentum id nobis conſervavit: unde etiam nos colligimus, præci-

tionem deſignat. *Diſperſio* vero, qua violenter quaſi a ſe invicem abſtracti ſunt, ut ex hiſtoria turris Babylonicæ conſtat, altero verbo הפריד egregie itidem repræſentatur. Violentiorem enim ſeparationem ambitu radicis comprehendi vel ex eo liquet, quod *lacerationis* ideam præferat in nonnullis locis, ut Pſ. XXII. 15. התפרדו *lacerata ſunt omnia oſſa mea.* Job. IV. 11. *Et filii leænæ* יתפרדו *lacerati ſunt.* Sic de invita diſperſione ſumitur, Eſth. III. 8. egregie Prov. XVI. 28. *ſuſurro* מפריד *violenter ſeparat familiarem amicum.* Ad manus eſt & aliud duplicis *ſeparationis* criterium, in vocibus גוים & בני אדם. Prior enim vox generalior eſt, omneſque Noæ poſteros comprehendit, inter quos diviſus eſt orbis. Poſterior paulo reſtrictioris uſus eſt in hiſtoria Geneſios, hominesque pejoris indolis *filios terræ*, a ſancto ſemine diſtinctos, depingit. Gen. VI. 2. *Filii Dei* ſeſe commiſcuiſſe dicuntur *cum filiabus* אדם hominum corruptorum. Erant autem בני־אדם *filii hominis*, qui turris extruendæ auctores fuerunt Gen. XI. 5., qui propterea *diſperſi* ſunt poſt labia confuſa. Ad hæc denique accedat duplicis *diviſionis* expreſſa mentio in libro Geneſ., unde huic loco lux adſpergetur. Diſtributionis terræ, a Noacho ex Dei conſilio factæ, mentio eſt Gen. X. 25. ubi *Peleg.*, filius Heber, eo nomine dicitur inſignitus, quia *tempore nativitatis ipſius* (id enim eſt *in diebus ejus*) נפלגה הארץ *diviſa eſt terra*, cuivis genti ſua aſſignata eſt ſors; qui verus loci eſt intellectus. Diſperſio vero Chamitarum, aliorumque, qui nefario molimini manus præbuerunt, aliquandiu poſt contigit:

puum crimen eorum, qui extruxerunt turrim Babylonicam, in eo conſtitiſſe, quod ſe huic voluntati divinæ aliqui rebelles oppoſuerint, ut poſt Joſephum Eruditi Viri jam obſervarunt. *Secundo*, patet ex hoc loco, traditionem illam inter Noæ poſteros, Semitas, fuiſſe conſervatam. *Tertio* denique, Moſen cum Librum Geneſios componeret *A*, monumento illo Patriarchali

poſtquam enim labia eſſent confuſa, & hominum carnalium, qui huic diſperſioni ſeſe oppoſuerunt, de *turri ædificanda ne diſſiparentur* Gen. XI. 4. conſilia in fumum abiiſſent, Domini providentia *diſperſi* ſunt, ויפץ *& diſperſit eos Dominus*, inquit Moſes Gen. XI. 8. invitos ſcilicet, ut uſus verbi indicat, vid. Deut. IV. 27. Ezech. XI. 17. Plura, quibus hæc opinio adfirmari poteſt, vetant notarum limites adferre. H. VENEMA.

A. Egregiæ opinioni, de Libro *Geneſis* ex *Schedis* patriarcharum a Moſe compoſito, quam pluribus a Cl. Auctore demonſtratam habes in Libris Obſerv. l. 1. c. 4. ipſe hic locus robur addit, ut ex Cl. Auctoris obſervato cuique in oculos incurrit. Equidem hinc collegerim, juſtiſſimam *conteſtationem*, quæ cantici *argumentum* facit, *primo* ſenſu ad Judæos ejus temporis, quo canticum enunciatum eſt, pertinere, & inde ad futura tempora, usque ad finem reip. Judaicæ, quibus eadem crimina, ejusdem ſaltem generis, graſſarentur, ſeſe porrigere. Hoc enim, & non recentiore, tempore ad *Patrum* & *Seniorum* teſtimonia provocari potuit: cum antiquiſſimi ævi monumenta, quæ Senioribus nota eſſe hic innuitur, poſtea manibus & memoria exciderunt, quando, quod nunc *directe* ad populi convictionem tendebat, non niſi *indirecte* & hujus ipſius temporis, quo canticum editum eſt, reſpectu eum uſum habere poſſet. Quod nunc *directe* dicitur, *roga Patrem* &c., poſtea non niſi ad hæc ipſa tempora, quibus monumenta exſtiterunt, relata proferendum

chali uſum eſſe, & potuiſſe adeo hic cum fiducia di-
cere; *Roga Patrem tuum & indicabit tibi & ſeniores.*
quarto, nota eſſe Deo opera ſua ab æterno, Act. xv.
18. h. e. eſſe apud Deum conſilium æternum de om-
ni ratione, nexu, & ordine ſuæ providentiæ erga
Mundum & Eccleſiam: quod conſilium cum reſpectu
ad bona Eccleſiæ danda *Teſtamentum* dicitur, & qui-

rendum foret, quia ſcilicet tempore Moſis eam rem pro
teſtatiſſima habuerant, poſtea ex eodem fonte convictio
recte inſtitui poterat. Non fugit me, præſtantiſſimos
Interpretes, qui *canticum* ad ultima, vel recentiora, tem-
pora directe applicant, aliquos per *Patrem* intelligere *A-
brahamum*, cui teſtamentum vetus de hæreditate terræ
Cananææ primo revelatum eſt, & per *Seniores*, illos,
qui cum Moſe *montem Sinai* conſcenderunt; τὸ *rogare*
præterea figurate interpretari, ita ut idem ſit, ac eorum
hiſtoriam a Moſe conſcriptam, *conſulere* & meditari: ſed
illud a. nulla ratione ſuperſtructum eſt b. a ſimplici vo-
cum intellectu nimis remotum eſt. c. Nec *Abraham*
tempore Moſis hoc titulo, ſine ullo addito criterio, in-
ſignitus fuit; multo minus *ſeniores* abſolute appellati ſunt
viri illuſtres, quibus Deum in monte licuit adire & vi-
dere. *Seniorum* eo minor ratio habenda eſt, quod de re-
bus antiquiorum temporum, non ſuorum, teſtari debe-
rent, ut ex verſ. ſuperiore patet. d. *Noach* & non *Abra-
ham* tanquam teſtis citari debuiſſet, cum *illius*, & non
hujus, tempore contigerit *diviſio*, quam hic præcipue in
oculis habet Moſes; *illi* & non *huic* conſilium Dei de pel-
lendis Cananæis, & introducendis in eorum terram *Semi-
tis*, primum fuerit revelatum. e. Nihil difficultatis parit
numerus ſingularis, *roga Patrem tuum*, ad quem nonnul-
li offenderunt: pertinet enim oratio ad *ſingulos*, iique
rogantur, ut *quiſque ſuum* interroget ſuperſtitem *Patrem*.
H. Venema.

dem Teſtamentum Vetus ea pars divini Conſilii, qua poſteris Abrahami conſtituit dare terram Cananæam, Gen. XII. 7. Et tamen cave credas, id tum demum Deo conſultum deliberatumque fuiſſe, quando Abrahamum juſſit exire ex Chaldæa: imo vero eſſe Teſtamentum æternum, jam vulgatum per Noam Prophetam.

XV. Inde jam patet *vis convictionis*, in hac diſceptatione vel demonſtratione judiciali: docet cauſſidicus, exaggerando amorem, quo Deus proſequutus eſt Iſraëlitas, Abrahami poſteros, cum alias ſit ſummus; ſi ſpectetur in *effectis ſuis*: tum vero multo adhuc majorem videri, ſi ſpectetur in *prima ſua cauſſa*. Quod enim Deus Iſraëlitas elegerit in populum, eduxerit ex Ægypto, ac vindicaverit, non eſſe referendum ad aliquod Dei conſilium occaſionale, in tempore captum: ſed Deum jam à ſæculo, cum deſcriberet univerſum ordinem ſuæ providentiæ erga Mundum & Eccleſiam, rationem habuiſſe poſterorum Abrahami, & cogitaſſe de danda illis terra, quæ amplitudine ſua poſſet reſpondere numero, ſive multitudini hominum, in quam excreſcerent.

XVI. Id unum ſupereſt in his verbis, de quo moneam; nempe quod in hac pericopa dicitur, *conſtituit fines populorum ſecundum numerum filiorum Iſraëlis*, viſum fuit aliquibus obſcurius, & antiquis præcipue Interpretibus ea verba multum faceſſiverunt negotii, cum Græci Interpretes locum verterint: *ſecundum numerum Angelorum Dei*, acſi pro בני ישראל legiſſent, בני אל. A Non convenit inſtituto noſtro aliorum expoſi-

A. Anſam de *angelis* cogitandi non tam diverſa lectio, acſi בני־אל

poſitiones varias recenſere, probabilis, &, ut putem certa eſt expoſitio, quam hic attuli: nempe Deum,

בני־אל legiſſent LXX, quippe inter quam & noſtram nimis magnum eſt diſcrimen, quam cum communis opinio de angelis, populorum præfectis, præbuiſſe videtur, tum offenſio, quam vulgata lectio paganis præbere poterat, ſi omnium populorum termini reſpondere dicantur *numero* Iſraëlitarum, inter quæ nulla videtur eſſe proportio. Quæ a conſuetudine τῶν LXX haud abhorrent. Alias enim nonnunquam eos excogitaſſe interpretationes easdem ob rationes, jam a Doctis obſervatum eſt. Colorem quæſiverunt in oppoſitione בני ארם & בני ישראל *filiorum Adami* & *filiorum Iſraëlis*, quæ in hoc verſu reperitur: quemadmodum enim Gen. VI. 2. *filii Dei* & *filiæ Adami*, ubi nonnulli cod. LXX *angeli Dei* habent, inter ſe opponuntur: ita & hic Angelos intelligendos eſſe opinati ſunt. Phraſin denique *filiorum Iſraël* ad hanc opinionem accommodarunt, ſive בני אל legendum eſſe contenderint, ſive, quod malim, ישר אל pro nomine & epitheto Dei habuerint, ita ut ישר אל ſit *rectus Deus:* ſpeciem opinioni, ab ipſius linguæ genio licet recedenti, conciliare potuerunt ex eo, quod populus in hoc cantico *Iſraëlis* nomine nuſquam veniat: Deus vero ישר *rectus* vers. 4. ſingulari cum emphaſi appelletur. Incidit & aliud, quod a vero propius abeſſe videtur: LXX ſcilicet vers. 9. poſt vocem *hæreditatis ejus* addiderunt *Iſraël*, & verterunt: σχοίνισμα κληρονομίας αὐτοῦ Ἰσραήλ: Conjiciamus itaque eos in codice ſuo legiſſe

יצב גבולות עמים למספר בני אל
כי חלק יהוה עמו יעקב חבל נחלתו ישר

& rationem diverſæ interpretationis haud difficulter detegemus. Vocem ישר אל cum נחלתו copularunt, & אל per ultimas litteras vocis ישר אל, quam ſuo loco non invenerunt poſitam in ſuo codice, excidiſſe in linea ſuperiore in voce בני opinati ſunt. H. VENEMA.

dum finiret terminos Gentium, jam tum cogitaſſe de *familia* peculiari Abrahami: quippe cui, ejus benedictione excreturæ in magnam multitudinem, jam tum decreverit optimam & commodiſſimam terrarum Canaanæam, ut in ea faceret ſedem ſuæ gratiæ. In qua expoſitione per *populos* non intelligimus tribus Iſraëlis, quod Vir quidam doctus *A* in hac interpretatione notavit, ſed *terminos* aliorum Populorum, conſilio ejus circumſcriptos.

XVII. Sequitur exequutio prima hujus conſilii in *electione* Iſraëlitarum *actuali*, facta in tempore, quæ involvebat Populi ejus eductionem & liberationem ex Ægypto, qua Deus illum populum ſibi vindicavit ut ſuum, tanquam quem inſtar *hæreditatis* ſuæ poſſideret, de quo ℣. 9. *Quia portio Jehovæ eſt populus ejus; Jacob funis hæreditatis ejus.* Quam hæc aſſertio Populo Dei eſt glorioſa? quam valide demonſtrat inſignem Iſraelitarum prærogativam? Debebat dici, *Jehovam eſſe portionem populi* ſui *& funem hæreditatis ejus*, cum rectius dici videatur, Deum eſſe bonum hominis & Populi ſui, quam hominem eſſe bonum Dei. Et ita vere eſt: ſed communio, quam Deus cum Populo ſuo habet in gratia, ſive vera, ſive typica, eſt reciproca. Poſſidetur Deus à Populo ſuo, eſtque populi ſui vera hæreditas; & ipſe viciſſim poſſidet ſuum populum, eumque cenſeri vult pro hæreditate ſua, quæ duo Jeremias eleganter inter ſe conjungit cap x: 16. Hic vero poſterius emblema adhibetur ad deſignandum ſummum Dei amorem erga Poſteros Abrahami, quod non tantum in conſilio ſuo jam à ſæculo eos elegerit in Populum: ſed & electionem illam confirmaverit & ratam fecerit illius Populi eductione & redemp-

A. Joh. Clericus.

redemptione ex Ægypto, quando eam gentem occupavit ut ſuam, eamque ſibi vindicavit, & a cæteris populis orbis terrarum ſecretam actu poſſidere cœpit: Illuc enim reſpici, manifeſte patet ex Pſ. LXXIV. 2. ex quo loco hic noſter illuſtrandus eſt. Verba Sancti Viri hæc ibi leguntur: *Recordare cœtus tui, quem tibi olim acquiſiviſti; tribus hæreditatis tuæ, quam redemiſti.* Deus ipſe ſibi teſtamento decreverat hanc hæreditatem: quæ cum eſſet in poteſtate hoſtium & peregrinorum, ipſe eam ſibi vindicavit & actu occupavit. Sic factus eſt Iſraël portio Jehovæ, cujus conſilium erat in electione Abrahami & poſterorum ejus, habere in terris Populum, apud quem vigeret notitia, fides, & cultus veri Dei. Alluditur autem phraſi, *funis* hæreditatis, ad morem Veterum, qui terram funibus ſolebant metiri in erciſcundis hæreditatibus, & alius alii admetiri: quare ipſa *hæreditas* nomine *funis* venit, Pſ. XVI. 6. obſervatio eſt tralatitia, cui non inhæreo.

XVIII. Et hæc quidem beneficia pertinent ad vocem קנה, *acquiſitionem* ſive *comparationem Populi Judæi*. Alterum beneficium capitale & ſummarium in Populum Judæum collatum eſt עשה *facere*, Factio, conditio & fictio Populi Judæi. Ad quod illuſtrandum hæc quatuor beneficia referuntur,

α. *Inductio & circumductio* ſive potius curatio illius Populi in & per deſertum, expreſſa voce סבב, ℣. 10.

β. Inſtructio populi, ſive Legiſlatio in deſerto, deſignata voce בין. ipſo quoque ℣. 10.

γ. Conſervatio illius Populi in deſerto ab hoſtibus vicinis, ℣. 10.

δ. Cura ſingularis in illo Populo excitando, fovendo, docendo, adminiſtrando, illuſtra-

ta

ta ſimilitudine deſumpta ab Aquila, ℣. 11. 12. quæ ſingula ordine ac ſtrictim expendemus.

XIX. Primum beneficium, quod ad τὸ עשׂה *factionem* & *fictionem* Populi pertinet, eſt illius inductio & circumductio in deſertum, de quo in initio, ℣. 10. *Invenit illum in terra deſerti, & in vaſta ac ejulabili ſolitudine, & circuivit eum.* Vide quantam artem, quantam elegantiam adhibeat Vates in hoc carmine pangendo. Debebat dicere, ut videtur, Deum Populum ſuum ex Ægypto liberatum duxiſſe in vaſtas Arabiæ ſolitudines. Sed cum id minus videri poſſet, quam Populus à bonitate & gratia Divina videbatur expectare debere, dicit, *Invenit illum in deſerto*, acſi Populus non ductu Divino ſed caſu in deſertum deveniſſet. *A* Per *deſertum* autem, cujus hic mentio fit, non

A. Magnam emphaſin hic habet τὸ מצא *invenire* a enim indicat, Iſraëlitas in deſerto, tanquam *oves errabundas*, omni ope & auxilio deſtitutos, fuiſſe vagatos; ita ut Deus eos *errantes*, adeoque tempore *opportuno*, invenerit. b. Illos ſua culpa, non Dei ductu & prima intentione, in eum locum & conditionem eſſe delapſos: ita ut eos eo in ſtatu potius *invenerit*, quam *collocarit*. Rectiore & breviore via in Cananæam perveniſſent, niſi a via recta, ipſis præſcripta, aberraſſent, ſeſeque graviſſimis criminibus contaminaſſent: ut ex ſcriptura conſtat. Deinde indoli ſuæ ferociſſimæ & refractariæ oberrationem ſuam in deſerto acceptam ferre debebant, quippe quæ alias domari non poterat. c. Deum magni facere hunc populum, & in ejus felicitate efficienda quaſi *lucrum* ponere, ita ut Deus eos quaſi *quæſiviſſe*, ac tanquam portionem ac hæreditatem ſuam *inveniſſe*, dici queat: vid. ℣s. 9. d. Denique, Deum ſeſe iis *præſto exhibuiſſe* in loco & ſtatu deſperato, ut videbatur: eos miſeros & errantes ſuſcepiſſe,

non eſt dubium deſignari deſertum Arabiæ Petrææ, quæ vere pars eſt vaſti illius & terribilis deſerti Arabiæ, quæ ab eo *deſerta* dicitur, cujus *deſerti* partem mediam inter Ægyptum & Judæam Abrahamidæ calcarunt, & in qua oberrarunt ſpatio 40 annorum. Vocat illud Vir Sanctus non tantum proprio ſuo nomine ארץ מדבר *terram deſerti*, quod nomen apud Hebræos vere eſt communioris ſignificationis, & notat omnem planitiem terræ, non diſcretam, licet habitabilem, in quam vagus eſt curſus *A*: *Sed vaſtum eju-*

cepiſſe, eorumque *deſideriis ſatisfeciſſe*. Unde *ſufficiendi* ſignificatio, in Lexicis proſtans, fluxit, quæ in hac radice ineſt. Qui enim alicui neceſſaria ſubminiſtrat, is eum ſecundum ejus *deſideria* invenit. Huc LXX reſpexerunt cum *ἀυτάρκησεν ſufficienter ſuppeditavit*, reddiderunt: nec non Chaldæus, qui habet ספק צרכיהון *ſuffecit neceſſaria ipſorum*. H. VENEMA.

A. Cum vox מדבר latius pateat, ut ab Auctore ad Jeſ. XVI. 1. & aliis clare ſatis evictum eſt, omnemque regionem, *late patentem*, in agros & arva non diſcretam, ubi pecora *agi* poſſunt, in origine denotet, adeoque *terram non ſatam*, ut Jer. II. 2. exponitur, *incultam* in genere hic ob oculos ponat, quod recte notandum eſt: aliæ mox ſubjunguntur voces, quæ tractus illius inculti *attributa* clarius explicant. In quibus illuſtrandis, & ad hocce deſertum applicandis, Auctor operam non collocavit, quod ejus ingenium in Libris obſerv. l. V. c. 15. pluribus demonſtraverit. Quibus nihil addam, præter *vocum* emphaſin, ſi quam hic habeant peculiarem. Deſertum תהו appellatur, quod *vaſtum* & *inordinatum* ſit, adeoque viatores *vagabundos* reddat & *attonitos*, deſertum *magnum* & *horrendum*. Deut. I. 19. VIII. 15. Conferri enim debet, ut videtur, ad radicem Arab. تاه תהו *per terram vaga-*

tus

labilem ſolitudinem. Hebræa proprie ſonant majoris emphaſios cauſſa, *in vaſto, ejulabili ſolitudinis.* Vox תהו notat inanitatem, vacuitatem, eoque reſpicit, quod paſſim non eſſet habitatum deſertum. Deut. I. 19. VIII. 15. Hoſ. XIII. 5.

XX. Cura divinæ Providentiæ erga Iſraëlem in hoc

tus fuit attonitus. Sic a תמה *attonita mente ſtupuit*, eſt תהום *abyſſus*, profundum maris, ad quod quis *attonitus ſtupet.* Accedit, Arabibus κατ' ἐξοχὴν hoc ipſum deſertum appellari ſolere تيه بني اسرايل תהו בני ישראל. *Terribilitatis* intellectum adauget vocabulum ילל, quod *ejulationem* cum exclamatione *væ mihi* propria vi continet, אללי enim eſt vox ejulatus, *væ mihi:* unde forte quis conjecerit, eſſe vocabulum ab ejulantium gemitu אללי fictum. Dicet itaque deſertum, quod horrorem incutit, & illud *væ mihi* viatoribus extorquere aptum natum eſt: vel & multo murmure reſonans, eene huilende wildernisse recte exprimitur Belg. Ipſa denique vox ישמון, *deſertum* denotans, ſolum depingit *maledictum* & *infauſtum*, ubi omnia horrent & ſqualent, ſpinis ac dumis plena ſunt, terram *ſterilem*, & *infelicem*: quod deſerti, ſic proprie dicti, genuinum eſt criterium. Hoſ. XIII. 5. *Terra* תלאובות *arida & ſiticuloſa* dicitur, ut ex Arabiſmo poſt Aben-Ezram & Kimchium obſervat Doctiſſimus Pocockius *not. miſcell.* c. 3. p. 37. Radix vero noſtræ vocis ישמון videtur eſſe Arab. شأم *ſiniſter* fuit, & inde *infauſtus.* Cæterum in hoc *deſerto* ita verſabantur Iſraëlitæ, antequam Deus lege eos ornavit, ut & ipſi *deſerti* ſpeciem præferrent, adeoque eadem ejus attributa in ſe, conditioneque ſua, exprimerent. Nihil enim non *confuſum*, *infauſtum*, & *miſerabile* in animis eorum, cognitione rerum neceſſariarum & virtute deſtitutis, in ſtatu externo nondum ordinato, ſeſe offerebat. Rudes erant, & *infructuoſi*, inſtar deſerti. Quod verbo attigiſſe ſuffecerit. H. VENEMA.

hoc deſerto vaſto & terribili, in quod pervenerunt Judæi transgreſſi mare Rubrum, deſignatur duabus notionibus, *invenit eum* & *circuivit eum*. Sic vertenda eſt vox יסבבנהו, ut patet ex Pſ. xxvi. 6. non *circumduxit*, ut belgæ noſtri aliique Interpretes: *circumductio* enim Iſraëlitarum in deſerto per ſpatium 40 annorum magis habuit rationem pœnæ, quam beneficii. *Invenit* Deus Iſraëlitas in deſerto, ubi ſe iis præſentem exhibuit, & de præſentia ſua gratioſa certos fecit per ſigna glorioſa ſuæ præſentiæ, *Nubem gloriæ*, profectionis per deſertum ducem, caſtra antecedentem. Effectus illius præſentiæ fuit id, quod Moſes eleganter expreſſit voce סבב *circuitionis*, quam nos optime vertimus per curationem, ἐπισκοπήν, inſpectionem: deſignatur cura providentiæ ſingularis, qua Deus verſatus eſt erga Iſraëlitas in deſerto, ad illos conſervandos, ſuſtentandos, fovendos, & neceſſariis ſubſidiis inſtruendos, ne in vaſta illa eremo, in qua neceſſaria vitæ ſubſidia iis deerant, miſere perirent. Metaphora deſumpta eſt *A* à curatione diligentis Patris familias erga domeſticos, Paſtoris erga oves, Medici erga ægros, Hominis benefici erga egenos, circa quos providentia & cura ita verſantur, ut de neceſſariis iis proſpiciant, quæ curatio conjuncta eſt cum affectu. Sunt autem beneficia, quæ Moſes hic præ-

 cipue

A. Niſi ſequentia, ubi *cuſtodiæ* Dei fit mentio, obſtarent; metaphora quoque duci poſſet à *cuſtode* urbem *circumeunte*, Cant. v. 7. השמרים הסבבים בעיר *cuſtodes, qui per urbem circumeunt*. Quum *circumire* idem eſſet ac *cuſtodire*, quemadmodum Gr. ἀμφιβαίνειν, de quo conſulendus eſt Illuſtr. Ez Spanhemius ad Callim. Del. vers. 27. p. 346. H. Venema.

cipue reſpicit, ea ipſa, quæ recenſentur à medio cap. xv. Exod. usque ad cap. xix. veluti quod aquas in eorum uſum in Mara ex amaris dulces fecerit; pane illos cibaverit cœleſti; aqua ex rupe; carnem quoque edendam dederit in coturnicibus, in quibus rebus Iſraëlitæ habuerunt argumenta affectus, curæ & providentiæ ſingularis, qua Deus circa illos verſatus eſt. Illud eſt, quod Hoſ. xiii 5. *Ego te novi in deſerto, in terra ſiticuloſa.* Sed eſt hic præcipue conferendus Ezechiel, qui beneficia Dei in Populum hoc tempore collata recenſet myſticis & emblematicis locutionibus, cap. xvi. 23. & Jerem. cap. ii. 31. *An Iſraëli fui deſertum, terra caliginis?*

XXI. Alterum beneficium eſt, quod Moſes deſignat, voce יבוננהו *erudivit illum:* proprie *prudentem* illum fecit. A Eleganter. Pertinet vox ad νομοθεσίαν *Legiſlationem*, factam in Mara, ad Montem Sinai, & per totum tempus moræ Iſraëlitarum in deſerto ad oſtium

A. Radix הבין primigenia poteſtate ſignificat, *diviſit, diſtinxit, rem per medium ſecuit*, ut Cl. Schultens clav. dial. ad litt. *Jod* verbo annotavit, & ex ipſa lingua Hebr. confirmari poſſet, ſi opus foret: *Secundario* dicit, *diſtincte intellexit*; & tranſitiva ſignificatione, ut hic in Pih. occurrit, *fecit*, ut quis *rem diſtincte* intelligat, inter res *prudenter* diſtinguat. Unde egregia emphaſis huic loco exoritur. Deus populum in deſerto fecit proprie *prudentem*, quæcunque ad *prudentiam*, non vulgarem, & ſuperficiariam, ſed *accuratam* & *diſtinctam* efficiendum neceſſaria erant, abundanter ei ſuppeditavit, ita ut, ſi voluiſſet, inter bonum & malum accurate diſtinguere potuiſſet, & ſumma claruiſſet *prudentia*. Unde בינה paſſim pro *prudentia* uſurpatur: ut recte advertit & demonſtravit Cl. Auctor ad Jeſ. xi. 2. H. Venema.

oſtium Tabernaculi Videlicet cum Judæi vere eſſent rudes, inculti, falſis de Deo imbuti præjudiciis, qui tamen ſervabant tabulas Teſtamentorum Divinorum, eosque ſibi Deus elegiſſet in Regnum & in Populum: erat conſilii & prudentiæ, hunc Populum non admittere in Cananæam, antequam formatus eſſet in Civitatem & Rempublicam: atque adeo ipſe ut novi hujus Populi Rector illis præſcripſit leges, ſtatuta, judicia, tam Sacras quam civiles, & univerſam eorum Rempublicam ordinavit. Initium fuit in Mara, Exod. xv. 25. poſtea & præcipue ad montem Sinai, Deut. xxxiii. 3. inde ſeorſum cum Moſe egit in monte, & poſtmodum per totam moram Iſraelitarum in deſerto ad oſtium tentorii conventus. Nec leges tantum, ſed & promiſſa dedit, & docuit eos totam viam ſalutis. Leges autem bonæ, utiles, ſalutares, rationales; quarum radix & principium amor & timor Dei, inde prudentia. Rom. iii. 2. ix. 4. Pſ. cxlvii. 19. Neh. ix. 13. 14. Deut. iv. 8. Equidem inter leges, populo Dei præſcriptas, aliquæ quoque comparuerunt rituales, quas Scriptura leges carnales vocat: ſed erant ipſæ quoque ordinatæ ad prudentiam, ut qui eas vero ac ſpirituali oculo inſpiceret, diſcere ex iis poſſet omnia myſteria Oeconomiæ Gratiæ, cui tota legiſlatio fuit ſubordinata, & ad eam illuſtrandam inſtituta, videlicet ut Deus Iſraelitas doceret veram ſalutis viam in gratia obtinendam, ejusque obtinendæ media.

XXII. Tertium eſt: *Conſervavit illos ut pupillam oculi.* Tertium inquam eſt beneficium ordine propoſitum; quod referendum eſt ad factionem & fictionem populi. *Pupilla oculi* eſt inquam illud in tunica oculi cornea, per quod inſtar feneſtræ ſpecies rerum intromittuntur, & ad mentem deferuntur; eſtque a-

 deo

deo id in oculo, quod corruptum viſum tollit vel minuit. Cum autem inter ſenſus omnes viſus homini maxime ſit utilis & neceſſarius: pupilla oculi cenſetur res omnium cariſſima, cui conſervandæ quisque ſummo ſtudio invigilat: quæ cauſſa eſt, quod ubi cura tenerrimi amoris, quo Deus Populum ſuum proſequitur, & ſtudium ejus protegendi ac præſervandi, ſcriptura hac utatur phraſi, qua hoc in loco Moſes; Pſ. xvii. 8. Zach. xi. 8. Sic eſt: dum Iſraelitæ vagabantur in deſerto, maximam partem imbelles ac inermes, obrui poterant ab Ægyptiis, Arabibus, Amalekitis, Cananæis, Moabitis, qui aliqua parte hoc deſertum circumdabant. Sed Deus interceſſit ſua providentia & cura; avertit ab iis hoc malum, & cum Amalekitæ eos aggrederentur, indulſit iis victoriam, ad quam hiſtoriam, quæ habetur, Exod. xvii. 8. ſeqq. hic præcipue reſpici probabile eſt.

XXIII. Quartum beneficium, quod eſt curæ ſingularis Divinæ Gratiæ in illo Populo excitando, fovendo, docendo, adminiſtrando, proponitur ℣. 11. 12. *Ut aquila nidum ſuum excitat; ſuper pullitiem ſuam ſe motitat; alas ſuas expandit; illos accipit & geſtat ſuper pennas ſuas: Jehova ſolus duxit illum, & non erat cum eo Deus peregrinus.* Non convenit perfecte inter Interpretes in verſione horum verborum. Cum enim verba complectantur πρότασιν & ἀπόδοσιν, h. e. beneficia divina erga Iſraelitas propoſita ſub ſimilitudine curæ & ſtudii Aquilæ erga pullos ſuos; & ἀπόδοσιν applicationem illius ſimilitudinis ad Deum: plerique cenſent τὴν ἀπόδοσιν contineri tantum ℣. 12. & integrum ℣. 11. referunt ad aquilam. Sed alii & pauciores, inter quos Cl. Coccejus, illud in fine verſus, *aſſumpſit illum & portavit ſuper pennas ſuas*, referunt

ad

ad ἀπόδοσιν, h. e. ad Deum reſpectu Iſraelitarum, non ad *Aquilam* reſpectu pullorum: differentia hic non eſt notabilis, quia ipſi quoque illi, qui ad aquilam referunt, ea tamen ipſa ad Deum in ἀποδόσει applicant. Sed probatur nobis *A* maxime ſententia eorum, qui verba referunt ad τὴν πρότασιν, ſive ad *aquilam*. α. Quia affixum in יקחהו neceſſario ad idem ſubjectum, ad quod affixum idem in גוזליו pertinet. β. Multo plus dicetur in ἀποδόσει quam in προτάσει. γ. Liquet aliunde eſſe hæc aquilarum attributa, ut Exod. XIX. 4.

XXIV. Patet hæc verba inſpicienti, ea complecti deſcriptionem beneficiorum in Iſraëlitas errantes in deſerto Arabiæ collatorum, ſimilitudine elegante deſumpta

A. Omnino exiſtimaverim, πρότασιν & ἀπόδοσιν inter ſe permiſceri ỳs 10, 11., & ỳs 12. eo tantum collineare, ut Deo *ſoli* hæc laus attribuatur, quemadmodum ex ipſo verſu elucet. Opinio his innititur rationibus. a. Quia ſermo ex præcedenti ductus melius fluit, ſi de eadem perſona ſermo *directe* continuetur. *Ipſe circuit ipſum, prudentem fecit ipſum, cuſtodiit ipſum ut pupillam oculi: ipſe inſtar aquilæ nidum ſuum æmulatur* &c. b. Quia mox ỳs 11. ad *populum* directe reſpicitur, cum dicitur: *ipſe ſuſcepit ipſum:* ad *pullos* enim non pertinere, numeri diſcrepantia evincit: nec *apodoſin* hic incipere, ratio a Cl. Auctore allata demonſtrat. c. Quia ỳs 12, qui apodoſin continere deberet, protaſin non ad Deum ſimpliciter refert, ſed Deo *ſoli* vindicat, quod ſupra de Deo dictum fuerat: argumento, ſuperioribus hoc verſu quid addi, & ad Deum ſuperiora quoque eſſe referenda. d. Accedit denique, & alibi eadem ratione utrumque permiſceri, ut Exod. XIX. 4. *Et portavi eos ſuper alas aquilarum*. Deut. I. 31. & ſæpe alibi. H. VENEMA.

ſumpta ab aquila, ut adeo contineat πρότασιν, propoſitionem hujus ſimilitudinis ℣. 11. & ἀπόδοσιν, applicationem ad Deum, ℣ 12. Poſſunt autem verba accipi duplici modo, vel ſc. ut beneficia ſuperius propoſita, quæ jam memoraverat, hac ſimilitudine illuſtret; vel ut contineat deſcriptionem beneficii novi, quod ſuperioribus non directe involvitur. Media ſententia hic nobis verior videtur. Nec enim Moſes hic idem plane dicit, quod dixerat in ſuperioribus; nec plane diverſum. Sed ut ab una parte illuſtrat beneficia ſuperiora; ſic ab altera omnino iis novum proponit beneficium, quod non tam diſtincte memoraverat; h.e. curam & ſtudium Spiritus S in Iſraëlitis docendis, excitandisque ad ſtudium virtutis & bonorum operum, & omnem bonum animi affectum.

XXV. πρότασις, propoſitio, exhibens ſimilitudinem curæ Aquilæ erga pullos ſuos, quam Moſes adhibet ad explicanda beneficia divinæ curæ & gratiæ erga Populum Abrahamidarum, comprehenditur ℣. 11. Illa vero ſic eſt concepta, ut literarum ſtudioſo magnam præbeat diſſerendi materiam: ſed expedivit ſingula & otium nobis fecit Vir ſummæ eruditionis Samuel Bochartus Hieroz. Part. 2. Lib 2. Cap 3. ubi prolixe omnia exequitur. Docuit itaque ille, *nidum* hic ſumi metonymice pro *pullis* ſive pullitie. Vocem רחף *ſe agitare* A illam proprie ſignificare actionem *aqui-*

A. Radicem רחף *agitationis* & *motitationis*, ut ea *alarum* eſt, præferre poteſtatem, etſi Interpretum ſatis conſtans ſit opinio, nullo ſolido fundamento ſuperſtructum eſt. Rabbinorum enim, aliorumque interpretum, ab auctoritate ſi recedas, præter conjecturam, hoc ex loco & Gen 1.2. elicitam, cui nemo prudens in Linguis fiderit; nihil habes,

aquilarum, qua ſe alis expanſis motitant ſupra nidum; ut pullos ſuos ad volandum excitent, & volare doceant; & denique non eſſe alienum à natura Aquilarum,

bes, quo eam ſignificationem adſtruas. Ad ſororias itaque linguas circumſpicienti Arabica, ut alibi, ſic hic percommode occurrit, propriamque & tranſlatam poteſtatem ſubminiſtrat, quæ ex ipſa Scriptura confirmatur. Audiamus Virum in his litteris ſummum, A. Schultens clav. dial. litt. n. رخف valet, *mollis, tenera, aquoſa fuit maſſa:* In 4 أرخف *talem effecit, reddiditque maſſam, fovendo nempe, fingendo, ſubigendo pro diverſitate rei ſubjectæ. Propriam poteſtatem emolliendi ſiſtet tibi* Jer. XXIII. 9. *omnia oſſa mea emollita ſunt. Impropriam cernis in ſpiritu incubante, fovente, emolliente & fæcundante.* Quæ ſignificatio huc egregie quadrat. Quemadmodum enim aquila pullis *molliter incubat*, ut eos foveat, & a prima illa ruditate ad maturiorem ſtatum transferat: ita majore longe emphaſi Deus Judæos, rudes & intractabiles in initio, continuo refragantes, ſumma cum lenitate *emolliit*, feroſque mores edomuit, & *ſibi*, ſeu legi & rationi, ſubjecit: quantum ſcilicet ad media, a Deo adhibita, attinet. Tenerrima itaque Dei cura, qua circa hunc populum verſatus eſt, nec non ejus *finis*, ut eum *emolliret*, & ſaniorem mentem inſpiraret, hac metaphora egregie repræſentatur. Quo & aliæ ſimiles figuræ collineant, ut cum Deus *portaſſe dicitur populum, quemadmodum Pater filium* Deut. I. 31. imo ut *nutrix fovet lactentem.* Num. XI. 12. *Cum Iſraël puer* (נער ferox & rudis) *erat, complexus ſum ipſum.* Hoc eſt illud τροφοφορεῖν, quod occurrit Act. XIII. 18. (ſic enim omnino legendum eſt:) *ad modum nutricis geſtare & tractare.* LXX huc forte reſpexerunt, cum ἐπεπόθησε reddiderunt, niſi cui veriſimilius forte videatur, eos רחם legiſſe, quemadmodum חמל hoc verbo Deut. XIII. 8, verterunt. H. VENEMA.

teneram curam adhibere erga pullos ſuos, aut fatigatos pennis ſuis ferre, ut plures ſibi perſuaſerant, quare cum nihil hic habeam quod addam, tranſeo ad ἀπόδοσιν.

XXVI. Ἀπόδοσις continetur ℣. 12. quæ brevior pro more & elegantia ſtructuræ poëmatis eſt τῇ προτάσει. Ubi enim propoſitio eſt ſimilitudo rei, de qua agitur, conveniens, ejus applicatio facile committi poteſt judicio prudentis lectoris. Solummodo itaque Moſes nos monet, Deum in ducendo, regendo, excitando, ſuſtinendo populo ſuo in deſerto eadem officia ei præſtitiſſe, quæ demonſtraverat eſſe aquilæ erga pullos ſuos: *Jehova ſolus*, inquit, *duxit eum, & non erat cum eo Deus peregrinus.* Duplex ſignificatio ineſt in hac voce, notat *primo* curam divinæ providentiæ erga Iſraelitas, quos per deſerta Arabiæ ipſe columna Nubis & ignis ducens præceſſit, quod beneficium ſæpe extollitur & commendatur in Verbo Dei, ut inter alia Pſ. LXXVIII. 14, 15. *ſecundo* ſignificat curam divinæ gratiæ, qua Populum Judæorum duxit in veram viam ſalutis ad ſalutem per Verbum & Spiritum, quomodo vox ſæpe adhibetur. ut Pſ. XXVII. 11. *Domine doce me viam tuam, & duc me in ſemitam rectam:* Pſ. CXXXIX 24. *duc me in viam æternam.* Similitudo utrobique deſumpta eſt à Paſtore, qui gregi præit, eumque ſua cura & providentia ducit in certa ac tuta loca. Pſ. LXXVII 21. *Ducis populum tuum ut gregem.* Sic ſolent Scriptores Sacri unam metaphoram alii admiſcere, ut tanto copioſius exprimant influxum & operationem divinæ providentiæ & gratiæ. Emphaſin habet, quod dicitur *Jehova ſolus* duxit eum & *non erat cum eo Deus peregrinus.* Oratio concepta eſt ad hypotheſin erroneam gentium illus temporis, quæ hy-

hypotheſis evelli non poterat animis Judæorum, plures eſſe Deos, eosdemque eſſe præſides Gentium & Populorum, eum in modum, ut quæque major Gens aut Populus ſuum habeat Deum præſidem: ſed ita ut Poteſtates illæ cœleſtes ſibi auxilio eſſe poſſent. Ait igitur Moſes, ſoli Deo Jehovæ, à Diis Gentium hoc nomine, ut proprio, diſtincto, hanç deberi gloriam, quod Populum per deſertum duxerit & protexerit, nullum Deum peregrinum ſive alienum, ſi qui detur, ad hunc effectum concurriſſe, imo ne quidem concurrere poſſe: cum ſint אלהי נכר *Dei peregrini*, quibus falſo tribuitur divinitas. ſic Deut. VI. 4.

XXVII. Sed in eo non eſt ſubſiſtendum, cum Moſes modum gubernationis & protectionis Dei erga Iſraëlitas expreſſerit ſimilitudine aquilæ, cujus attributa ad curam Dei erga Populum transferri vult, id ipſum nobis non eſt negligendum. Aquilæ cura erga pullos quatuor membris expreſſa, ad duo capita referri poteſt, α. Ad motitationem & agitationem ſupra pullos, *A* β. ad eorum fatigatorum ſuſtentatio-

 nem,

A. Quatuor omnino hac metaphora comprehenſa ſunt, ab interpretibus non obſervata a *Primum* eſt flagrans Dei in populum affectus, ſeu fervens ejus felicitatis ſtudium, reliquorum beneficiorum fons & origo, verbo יעיר, involutum. Sic enim primum membrum ℣s 11. habet. *Sicut aquila æmulatus eſt nidum ſuum*, nempe Deus. *Æmulationis* intellectum, quem radix apud Arab. præfert, & Cl. Schultens jam olim in obſerv. ad hunc locum annotavit, huic omnino loco redditum velim. 1. Quia, ſi vulgatam verbi עור interpretationem aſſumas, tautologiam vix evitare poteris: *nidum* enim *excitare*, ſeu pullos ad volatum provocare, & *ſeſe ſuper pullos motitare*, idem

nem, ut acceptos ſupra pennas portet. Eſt ſane operæ pretium videre, quid hæc ſignificent in Spiritualibus. Sunt ex Interpretibus bene multi, qui excitationem ad volatum referunt ad ſtudium Dei erga Iſraëlitas, quo ipſos in Ægypto per Moſem, & Aaronem excitavit, monuitque, ut Ægypto egrederentur: expanſionem autem alarum & portationem ſuper

dem plane dicunt: ſi vero noſtram explicationem, ſupra datam, admittas, ab emblemate prorſus recedet *excitandi* ſignificatus; aquila enim *nido molliter incubans*, pullos *fovere*, ſed non ad volandum evocare, cenſeri poteſt. 2. Quia *alarum expanſio*, quæ ad ſequens omnino membrum pertinet, jam ante facta, & ad præcedentia reſpicere haberi debet: cum non niſi *expanſis alis* motum in pullis cieat aquila. 3. *Æmulandi* poteſtas egregie huic loco convenit, ut ſponte ſua elucet, & ex aliis Script. locis confirmatur. Nihil enim frequentius eſt, *æmulandi* notione in affectu Dei erga populum exprimendo, ut ex verbo קנא, ejuſdem plane ſignificatus, ac עיר, pluribus in locis eo ſenſu occurrente, facile colligitur. Zach. I. 14. VIII. 2. &c. Quid? quod *aquilæ* omnium optime attribuatur. Ζηλοτυπώτατον δὲ ἐςι ζῶον αἰετὸς περὶ τὰ νεόττια. *Ex omnibus enim animalibus maximo ſtudio in fœtus ſuos exiſtit*. Ælian. Hiſt. anim. l. 11. c. 40. de quo vid. Cl. Bochart. l. c. b. *Secundum*, verbo ירחף comprehenſum, tenerrimam Dei curam, qua populum, a ſe *amatum*, molliter tractavit, & *formavit*, ob oculos ſiſtit, ut dicta evincunt. c. Tertium, quo *alis expanſis populum ſuſcepiſſe* dicitur, ad *longanimitatem* Dei, qua mores & peccata ejus tulit, nec non ad *defenſionem*, qua eum tuitus eſt & ab hoſtibus vindicavit, præcipue pertinet: ut ex emblemate facile enitet. d. Quartum ſeſe ulterius extendit, quippe quo Deus in *altum evexit* populum, & in terram Cananæam *miraculoſe*, non aliter acſi aquilæ incum-

ſuper alas ad protectionem & defenſionem & curationem omnem divinæ providentiæ erga Iſraëlitas, qua ipſos in deſerto proſecutus eſt tam defendendo adverſus hoſtes, quam neceſſaria ſubſidia ſuſtentationis iis ſubminiſtrando. Et ſane negare nolim, hæc aliquo modo dici poſſe; & verum eſt Exod. XIX. 4. portationem Iſraëlitarum inter alia de hoc beneficio exponi. Sed elegantius multo emblema eſt, quam ut in eo poſſimus ſubſiſtere. Ordo quoque beneficiorum, quæ in hoc Cantico proponuntur, ſupponit, Iſraelitas fuiſſe in deſerto, & jam accepiſſe νομοθεσίαν, & à Deo neceſſariis vitæ ſubſidiis procuratos fuiſſe. Erga quid multa? Significantur his verbis præcipue beneficia ſpiritualia, quæ Deus in Iſraelitas rudes, ſive in *Iſraëlem puerum*, ut dicitur Hoſ. XI. 1. qui recte cum *pullis* comparatur, quales erant in prima ætate, qua ducti ſunt ex Ægypto, contulit. Vera itaque clavis interpretationis hujus loci eſt in inſignibus locis parallelis Jeſ. LXIII. 7. ubi חסדי אל beneficentiæ Dei erga Iſraelem recenſentur: & inter ea primaria, quod Deus iis præter *Angelum Goëlem & Servatorem*, conceſſerit רוח הקדש *Spiritum Sanctitatis, quem illi dolore affecerint & exacerbarint.* & Neh. IX. 20. *Et ſpiritum tuum*

cumbens in eam volaſſet, introduxit, & populos illos longe lateque ei ſubjecit. Quemadmodum enim aquila pullos ſuſceptos *ſuper alis portat*, & *in excelſa loca defert:* ſic Deus populum ſua *potentia* & *gratia*, *alis duabus*, in terra Cananæa fixas dedit ſedes, & potentes ac excelſas gentes ei ſubjugavit: quod ℣s 13. declaratur. Phraſis enim *vehere in edita loca terræ* ad aquilæ metaphoram adhuc pertinet, & ℣s 12. per parentheſin inſertus eſt, ad illuſtrandum ℣s 11. ut ſupra obſervavi. H. VENEMA.

bonum dediſti in medio illorum, *ut eos erudires* ſive prudentes faceres: Alluditur ad Num. XI. 25. ubi Deus ſeptuaginta Viris præter Eldadum & Medadum in caſtris ex Iſraelitis electis, ut cum Moſe portarent onus Populi, *dediſſe* dicitur *Spiritum*, & quidem Spiritum Prophetiæ, eundem videlicet ſpiritum, qui fuerit ſuper Moſen. Hoc illud eſt magnum beneficium gratiæ, quo Iſraelitæ illo tempore gaviſi ſunt, ut argumento indubio Divinæ in eos, non providentiæ tantum, ſed & gratiæ. Ergo, a. Actus aquilæ, quo pullos excitat ad motum & volatum, alas ſuper eos expandens & motitans, hic ſignificat curam divinæ gratiæ, qua Iſraelitas rudes toto tempore moræ illorum in deſerto per Moſen, Aaronem, Mirjam, & ſeniores, ſuper quibus erat Spiritus Domini, *excitavit* ad motus veræ fidei, reſipiſcentiæ, fiduciæ in Deo ponendæ, & virtutum *omnium*, vero Dei populo convenientium, ſimul etiam illos erudivit, & de vitiis, erroribus, præjudiciis falſis, convicit, eosque redarguit, ut ex Iſraelitis eliceret actus veræ fidei, amoris Dei & reſipiſcentiæ iis convenientes; quo officio Moſen & Seniores erga Populum functos eſſe per ſe facile intelligeremus, licet nulla ejus rei ſupereſſent argumenta: ſed habemus inſignes illas & ſapientes conciones Moſis. *Alæ* Dei ſunt ſymbola gratioſæ Dei providentiæ. *Pennæ* illarum alarum figurant potentiam & gratiam divinam, quæ gratioſæ Dei providentiæ veluti fulcra ſunt & baſes. *Motitatio* illarum alarum expanſarum ſuper pullos ad illos excitandos ad volatum eſt actuoſitas Gratioſæ Dei providentiæ, qua per Prophetas & Doctores in homine naturali ſtudet excitare motus ſpirituales, ſtatui filiorum Dei convenientes, h. e. ut alis *fidei* & *ſpei* (hæ enim ſunt duæ

alæ

alæ hominis,) *nidum* concupiſcentiæ, in quo per naturam eſt, deſerens, ſe evehat ad ſublimia, ſpiritualia & cœleſtia, & ſe Deo uniat; fidemque & ſpem ſuam jugiter exerceat in ſtudio omnis virtutis; ſtatumque naturalem ac terreſtrem commutet cum ſtatu ſpirituali & cœleſti. Explicat itaque Deus alas ſuas & motitat, ubi per Prophetas & Doctores Publicos hominibus explicat divitias ſuæ gratiæ, eos exhortatur ad fidem & reſipiſcentiam; convincit de officii neceſſitate, aut neglectu, ſubinde acriter etiam redarguit, quippe quæ omnia huc tendunt, ut homo naturalis ſtupidus, deſes, piger, in *nido* peccati & concupiſcentiæ hærens, mortuus in lapſibus & peccatis, absque motu veræ vitæ, ſuſcipiat motum vitæ ſpiritualis, & nidum derelinquens ſe evehat, & evolet ad ſuperiora, quæ actuoſitas cum Oeconomiæ ſit Spiritus, ad ipſum hoc in loco referendum eſt ex locis cognatis & parallelis, quæ allegavi.

XXVIII. Alterum Aquilæ attributum, quo pullos laſſatos & fatigatos ſuper alas expanſas fert, quam eleganter exhibet nobis conſpectum illius beneficii Divinæ Gratiæ, quo *imbecillitati* hominum, ſtatui gratiæ modo initiatorum, rudium adhuc & infantium, ſua gratia ſuccurrit: infirmitatibus illorum ignoſcit, & gratia ſua ſic fert & ſuſtinet, ut non decidant de ſtatu, ſed eum, potentia & gratia Dei ſuſtentati, tueantur. Hæc eſt tenera illa cura Dei erga electos, ſpecimen & argumentum ſummæ Dei dilectionis, quam non neglexit etiam erga Iſraëlitas in deſerto, in quo electi non defuerunt, ex dicto Exod. XXXIII. 10. *Miſerebor quem miſerebor*. Sic Vates ſacer de ſtatu populi in deſerto, Pſ. LXXVIII. 38. *At ipſe miſericors expiabat iniquitatem, & non corrumpebat; & ſæpius iram ſuam*

redu-

reduxit; & non excitavit omnem excandeſcentiam ſuam, & recordatus eſt eſſe illum carnem. Hæc eſt vera idea hominis in ſtatu gratiæ. Imbecillis eſt, ex ſe agens laſſatur & deficit. Indiget baculo, quo ſe ſuſtentet, Pſ. XXIII. 4. brachio, quod eum ſimul portet, Jeſ. XLIX. 22. quod ipſum quoque beneficium Divinæ Gratiæ erga credentes, præcipue in fantes in Chriſto, rudes, carnales, h. e. non adeptos magnum gradum ſanctificationis, qui facile laſſantur. 1 Cor. III. 1. 3. coll. cum cap. IV. 8. adminiſtratur à Spiritu S. ad cujus Oeconomiam pertinet, ſemen Dei per Verbum Gratiæ in credentibus conſervare, fovere, iisque in infirmitatibus ſuccurrere, ac potenter ſuſtinere, ſive, ut cum Apoſtolo loquar, *una opitulatur noſtris infirmitatibus*, Rom. VIII. 26. Atque hæc interpretatio egregiæ ſententiæ eſt efficaciſſima, quæ tamen non excludit alteram de protectione Populi Judæi temporali, quam Deus pariter ſua Gratia Populo in deſerto indulſit.

XXIX. Sic factus formatusque fuit Populus Iſraëlitarum, ſed nondum in ſtatu ſuo *confirmatus*, ſive ſtabilem adeptus ſedem & expertus benedictionem divinam in terra Cananæa ex promiſſis Patrum, quam confirmationem ſtatus Populi Vates ℣. 6. incluſerat voci כון, ad quam duo beneficia refert, Primum, introductionem in Cananæam, ℣. 13. & benedictionem uberrimam, quam in Cananæa variis gradibus & articulis temporum experiretur, ℣. 13, 14.

XXX. Introductio in Cananæam exprimitur his paucis verbis ℣. 13. *Fecit illum equitare ſive vehi ſuper celſa terræ.* Proprie. *Vexit illum in celſa terræ.* Senſus eſt, Deum Populum Iſraëlitarum primum per Moſen duxiſſe in Campeſtria Moabi, iisque vicinos montes ac colles,

les, quantum occupabant Amoræi; inde vero in Batanæam, & fertiliſſimos montes Gileadis: mox per Joſuam illos duxiſſe in ipſam terram Cananæam, *A.* ibidemque Divina ope adjutos munimenta illorum ac fortalitia in montibus aut collibus ſita occupaſſe. Phraſis, *vehi ſuper celſa terræ*, aliis quoque locis reperitur, & inter alia Jeſ. LVIII 14. Sunt autem *celſa terræ* munimenta, fortalitia, arces in editis locis, quæ ab hoſtibus inſidentur. *Vehi* autem *ſuper celſa terræ* eſt alterius auxilio tanquam vehiculo ſublevatum illa *celſa terræ* occupare & conſcendere. Id itaque eſt, quod Moſes dicere vult, Deum Iſraëlitas, conſcenſuros arces & munimenta hoſtium, extuliſſe, ſublevaſſe, & ſua ope in illas arces duxiſſe, acſi ipſe iis vehiculo fuiſſet: eodem modo ac David Pſ. 18. à ℣. 30. quæ verba cum his conferri debent, ubi Perſona ſancta, quæ ibi loquitur, ſe cum Deo *currere adverſus turmam, cum ipſo inſilire & tranſilire murum; illum ſe accingere virtute; pedes ſuos ponere ut cervarum, manu* in-

A. Ad primam terræ Cananææ occupationem non reſtringerem hanc phraſin; ſed ad ſequentia tempora, quibus Judæi ſub Davide, & poſtea ſub Maccabæis, vicina quoque *regna* ſubjugarunt, omnino extenderem, cum quod phraſios amplitudinem nulla ſit coarctandi ratio, tum quod eo præcipue tempore *in altum* evectus ſit populus, tum denique quod *benedictionis* beneficium, cujus mox ſit mentio, eousque ſeſe omnino porrigat. Nec a cantici ſcopo ac argumento illud abhorret, cum illud ad finem reip. durare debeat, adeoque quævis beneficia & crimina populi complectatur. Conferenda ſunt loca Deut. XXXIII. 29. Pſ. XVIII. 34. Hab. III. 19. De phraſi videndus eſt Cl. Auctor ad Jeſ. LVIII. 14. H. VENEMA.

inſtruere ad prælium. Quod quî factum ſit, quantoque auxilio potentiæ divinæ gaviſi ſint Iſraëlitæ in occupanda Cananæa, Urbibusque eorum expugnandis & occupandis, patet ex Libro Joſuæ.

XXXI. Sic primo confirmatus & ſtabilitus eſt ſtatus Populi in Cananæa. Alterum beneficium huic ſuppar eſt *benedictio* Iſraëlitarum in hac terra, quæ ℣. 13. med. eleganter deſcribitur, & dein ℣. 15. indirecte ad tres gradus ſive articulos temporum refertur.

XXXII. Generalis deſcriptio his conſtat: ℣. 13. *Et comedit germina agri; & fecit illum ſugere mel de petra, & oleum de duro rupis,* ℣. 14. *Butyrum armenti, & lac ovium cum adipe agnorum & arietum Batanæorum; cum adipe renum tritici; & ſanguinem uvæ bibis merum.* Depingitur his verbis, ut quisque ea perlegens ſentit, proſpera & quieta habitatio Iſraelitarum in terra Cananæa, gaudentium ſtatu pacis & quietis omnibus temporalibus prærogativis, quas Deus illi terræ ſuper plures alias large ac cumulate indulſerat. Sic vere ſe res habet, terram Cananæam in Verbo Dei ubique deſcribi ut fertiliſſimi ac optimi ſoli, omniumque fructuum, qui ad generis humani uſum aut voluptatem faciunt feracem, Exod. III. 8. Num. XIII. 27. Deut VIII. 7. Frumentum omne genus, triticum, oleum, mel, dactyli, poma, uvæ, ficus, poma omnis generis, aliique fructus, tum quoque ſe commendabat lætis ac uberis ſoli paſcuis ad alendum propagandumque pecus aptiſſimis. Atqui hoc eſt argumentum pericopæ, in qua verſamur. Vates noſter, quod reverenter dictum ſit, dramatice hæc ipſa beneficia recenſet, & figurate atque eleganter ſingula deſcribit, quæ prolixe exponere non eſt inſtituti præſentis, cum diffi-

difficultas in his nulla hæreat, & abunde Eruditi Interpretes, præcipue tamen Cl. Bochartus, huc attulerint in medio poſita, quæ ad pericopam hanc illuſtrandam pertinent. Tantum itaque id agam, ut eam leviter percurram, & pauca ad intelligentiam neceſſaria obſervem.

XXXIII. Primum membrum, *Et comedit fructus* ſive *proventus agri*. שדי Non eſt *plurale anomalon*, ut vir quidam doctus *A* ſcribit, ſed ſingularis terminationis conſenſu Grammaticorum. Vox תנובות notat proprie fructus naturales, quales terra quæque ex ſuo ingenio profert, ut cuique terræ ſua eſt indoles, ſuum ingenium. Membrum alterum: *Et fecit illum ſugere mel de petra*, h e. fecit illum ſugere mel de favis in petris ſive rupibus paratis. Apes autem ſolere in petris vel rupibus aut cavis quibusque locis mellificare, ſatis notum, & Naturalium rerum ſcriptores omnes produnt. Locus eſt huic parallelus & ad eum efformatus, Pſ. LXXXI. 17. *Ego ſaturaſſem illum melle ex petra*. Eſt autem

 tem

A. שדי non plurale anomalum, ut Cl. Clericus, quem Auctor in oculis forte habuit, ſed ſingularis numeri nomen eſſe, nuper etiam demonſtravit Cl. O. Verbrugge obſerv. Philol. p. 156. Sed שדה & שדי ejusdem poteſtatis voces, utramque *adjectivam* eſſe, a radice שדה *madefecit*, *rigavit*, haud ita vulgatum eſt. Conſtat autem ex comparatione cum Arab. ثدا ut verbo etiam annotavit Cl. Schultens clav. dial. litt. ש. Significat itaque שדה & שדי *irriguum*, uberi vena madentem, ſcilicet *agrum* aut *campum*. Quam emphaſin huic loco, nec non Jeſ. XXXII. 12. Jer. XVIII. 14. omnino redditam velim. Supereſt præterea primigeniæ poteſtatis veſtigium in voce שד cum *ſchin*, quæ *uberem* dicit *Mammam*. Quam vocem Lat. & ad *agros* transferunt: ut notum. H. VENEMA.

tem emphraſis in voce *ſugere*, quia qui ſugunt omnem, quæ in cibo eſt, ſuavitatem ac delicias percipiunt. Membrum tertium: *Et oleum ex duro rupis.* Paradoxa ad ſpeciem locutio, & eſt vere, atque adeo tanto elegantior. Oleæ in Cananæa, in ipſis montibus ac collibus petroſis, quales in Cananæa plures ſunt, ſatæ uberem producebant fructum, unde oleum quaſi ex ipſis rupibus, quæ cæteroquin maxime ſteriles videntur, provenire & percipi dicuntur. Emphaſis hic eſt in voce חלמיש [A] quæ notat *durum* illud, quod eſt in petra aut ſilice, quod nemo prudens ita capiat, acſi oleæ in ipſis petris plantari queant: Sed quod ex collibus petroſi ſoli, glebæ mixtis, naſcerentur, aut ex fiſſuris petrarum prodirent.

XXXIV.

A. חלמיש & חלמות inter ſe confert Cl. Guſſetius, ac *vitellum* intelligit, acſi *vitellus* rupis ejus *meditullium* diceret. Quæ remotiſſima non tantum ſunt, ſed & nullo fundamento nixa. Ipſum enim, חלמות pro *vitello* ſumi Job. VI. 6., ubi tantum occurrit, mihi nondum patet. Nihil enim impedit, quominus ריר חחלמות intelligatur de *ſaliva ſomniantium*, quacum fatua hominis minus ſani verba aptiſſime comparantur, a חלם *ſomniare* eſt חַלָּם *ſomniator*, & hinc f·cile חלמות *flatus ſomniantis.* De voce חלמיש rectiora nos docuit Cl. Schultens clav. dialect. in append. cap. 1., eam ſc. ex חלק *glaber* & למש, משש vel מוש *palpavit manu* eſſe compoſitam, ac *ſaxum glaberrimum palpatu* denotare. Erit itaque adjectivæ formæ, ac petræ epitheton, quare poſtponitur Deut. VIII. 15. Hic vero præmittitur ſubſtantivo, quod a ſtylo orientalium non abhorret, ut *glabra petræ* ſit pro petra glaberrima. Sic בחלוקי נחל *in lævibus vallis* Jeſ. LVII. 6. & *lævia lapidum* pro lapidibus longe lævigatiſſimis: 1 Sam. XVII. 40.
H. VENEMA.

XXXIV. Membrum quartum: *Butyrum armenti*, ſive *boum*, *& lac ovium cum adipe agnorum & arietum Bataneorum* & *Hircorum*. In phraſi, *cum adipe agnorum & arietum*, eſt metonymia. Non enim vult dicere Vates, Iſraelitas *adipem agnorum & arietum comediſſe*, quia iis ex Lege non licebat *adipem*, h. e. unctuoſum illud, quod extremis muſculorum adhæret, comedere, non magis quam *ſanguinem*, Lev. III. 17. ſed dicere vult, illos *comediſſe* agnos & arietes, optimi generis, adipe onuſtos; & quidem quales in Batanæa alebantur, aut iis ſimiles erant. Eſt autem *Baſan*, in Hiſtoria & Libris Scripturæ V. T. notiſſima illa regio Batanæa, montibus conſtans, & convallibus, ſoli fertiſſimi ac uliginoſi; paſcuis optimis ac uberrimis abundans, ſupra mare Galilææ, à Torrente Jabbok excurrens verſus agrum Damaſcenum, in Septentrione. Nihil hic aliud habeo, quod obſervem, niſi quod vox יאכל ex initio ý. 13. in principio hujus *verſus* 14. repetenda ſit, in hunc ſenſum: *Et comedit butyrum armenti*, &c. Membrum quintum: *Cum adipe renum tritici*. Quanta copia & ubertas eſt ſermonis Orientalium? *Renes tritici*, *A* id

A. Quamvis *renes* interiorem *triciti* partem, *medullam*, æque ac *cor*, cum *renibus* conjungi ſolitum in ſcript., intimum cuiusque, quo nihil frequentius eſt, eleganti figura denotare poſſint, ita ut *abſurdam* minus recte *hanc locutionem* pronunciaverit Cl. Clericus: non inepte tamen *renes* cum *adipe* conjunxeris, ita ut *adeps renum* pró præſtantiſſimo adipe, quo *renes* operti ſunt, ſimpliciter ſumatur, & *adeps renum tritici* ſit pingue triticum optimi generis. Cæterum, quæ Moſes hic de *fertilitate* terræ Cananææ habet, illuſtrari poſſunt ex iis, quæ præter alios attulit Cl. Moyne Var. Sacr. tom. II. p. 660. H. VENEMA.

quod in tritico penitiſſimum & intimum, adeps, pingue illud, quod in tritico præſtantiori laudatur, ac deguſtatur, Pſ. CXLVII. 14. Fuiſſe autem Judæam tritici feracem, patet ex Ezech. XXVII. 17. Sextum denique membrum: *Et ſanguinem uvarum bibis merum*, vinum, ſic eleganter dictum: cum rubrum, colore ſanguinem referens, apud Veteres in maximo haberetur pretio. Confer Prov. XXIII 91. Eſtque hæc ratio, quare Heros ſanguine hoſtium tinctus comparetur homini, qui *calcaverat torcular*, Jeſ. LXIII. 2. Phraſis eſt elegantior: qua tamen ante Moſen jam uſus fuerat Jacobus in vaticinio, Gen. XLIX. 11. Emphaſin habet, quod dicat חמר h. e. *merum*, *A meracum*, temetum, quod Veteres vocabant ἄκρατον: contradiſtinctum vino aqua diluto. Notatur, ut jam à doctis obſervatum eſt, vini copia, cum non tantum ob valetudinem, ſed & raritatem, aqua temperari ſoleat: quanto intolerabilior eorum eſt ſententia, qui auſi ſunt profiteri Cananæam non fuiſſe vini feracem contra Hiſtoriæ Sacræ & profanæ certam traditionem.

XXXV.

A. Voce חמר non tam *merum*, quam præſtantius & fortius vinum, quod facile *fervet* ſeu *fermenteſcit*, ac *fæces* deponit, denotare poſt Cl. Dieu, ad Pſ. LXXV. 9. rectius docuit Cl. Auctor ad Jeſ. XXVII. 2. חמר enim Arabibus eſt *fermentari*, *fermenteſcere*, indeque *vinum* hoc nomine inſignitum eſſe monent Critici Arabum. Nec tamen *rubedinis* intellectum, qui radici حمر ſine ח punctato ineſt, hic excluſum velim; cum hæc duo optime conſiſtant. Vina enim *ſubruſa* erant optima in terra Cananæa, & ad ea hic reſpici vel ex *ſanguinis uvarum* phraſi facile colligitur. Accedit, ipſam vocem ענב *uvam* præſertim *rubram*, *purpuream*, ſignificare ex obſervato Cl. Schultens ad Harir. p. 102. H. VENEMA.

XXXV. Hæc erant beneficia, quibus Judæi gauderent larga copia in terra Cananæa; quæ tantum ſpeciminis loco proferuntur, cum alia addi poſſent. Tantum diligenter obſervandum eſt, in externis hiſce beneficiis non eſſe nobis ſubſiſtendum: etſi vere Moſes orationem ſuam hic accommodet ad captum popularem. Spectanda ſunt hæc beneficia temporalia cum reſpectu ad ſpiritualia, quæ in ſuperioribus recenſuerat, ut pignora divini favoris & gratiæ, tanquam in quibus & ex quibus perciperent & deguſtarent divinam in ſe bonitatem, favorem, gratiam, quæ externa hæc & temporalia beneficia iis ordinaverat ut emblemata, pignora & ſacramenta verorum bonorum ſpiritualium, quæ pariunt pacem & tranquillitatem conſcientiæ, cum ſenſu veræ jucunditatis, voluptatis, lætitiæ, poſſidendum in ſua communione in gratia & gloria. Sed eſt etiam alia hic obſervatio: Beneficia hæc temporalia, quibus Judæi gaviſi ſunt in terra Cananæa, reſpectum habent ad tria temporum intervalla, quibus Judæi iisdem gauderent diſtinctis articulis & gradibus, quæ exprimuntur ℣. ſeqq. 15. *pinguedinis*, *obeſitatis*, ſive *incraſſationis*, & *ſaginationis*, ut mox diſtinctius uſu veniet monere. Vitandæ enim confuſionis cauſſa primam partem ἐξηγήσεως Cantici hic termino.

Pars

Pars Altera ἐξεργασίας ſive διηγήσεως hujus Cantici, complexa crimina ingrati animi à Populo poſterorum Abrahami adverſus hæc beneficia commiſſa.

I. RECenſuerat Vates, cauſſam agens Dei adverſus Populum, beneficia à Deo in gentem ex Fœdere collata, quæ pars actionis eo præcipue tendebat, ut demonſtraret, Deum in exequendus promiſſis genti factis partibus ſuis non defuiſſe. Eſſe illum Deum, cujus opus ſit perfectum, nullam in eo eſſe iniquitatem, omnes vias ejus eſſe jus & juſtitiam, ut præfatio fuerat ℣. 4, 5. Nunc alteram partem Prologi demonſtrare aggreditur, vitium ſive *culpam* ipſorum eſſe: ut dixerat ℣. 6.

II. Id vero ita exequitur, ut beneficiis in gentem collatis opponat vitia & crimina fœda animi pravi & ingrati, quibus Judæi Leges fœderis transgreſſi turpiter fefellerunt fidem, Deo fœderato, benefactori ſuo, quin patri quoque, debitam, à ℣. 15. usque ad ℣. 19. quam criminationem ſcite, non poëtice tantum ſed & prophetice exequitur, & quidem hac ratione, ut primo in genere *tribus* magnis Dei *beneficiis* opponat tria crimina ſive delicta, illis beneficiis oppoſita, ℣. 15. Dein tria illa *crimina*, genti objecta, illuſtret ac verificet, ordine ſingula explicans, ℣. 16, 17, 18.

III. Generalis Accuſatio comprehenditur his verbis,

bis, ℣. 15. *Et pinguis factus eſt Jeſchurun, & recalcitravit: Pinguis factus es: incraſſatus es: pinguedine obductus es; & dereliquit Deum qui fecit ipſum; & impie tractavit rupem ſalutis ſuæ.* Ut verba arte conſtructa ſunt, continent propoſitionem gravem tertia perſonæ conceptam, veluti cauſſidicus ſe verteret illa enuncians ad auditores, aut teſtes hujus ſuæ orationis. Sed mox idem ſe convertens ad reos, quos criminatur, alloquitur illos perſona ſecunda, & convincit illos de abuſu beneficiorum Divinorum: at rurſus per indignationem ab iis veluti avertens oculos, ſe denuo convertit ad auditores, ut crimina gentis apud illos exponat. Eſt enim trina hic perſonæ mutatio: ſecundum quam pertractatio verborum componenda eſt.

IV. Primum membrum eſt. *Et pinguis factus eſt Jeſchurun & calcitravit.* Senſus eſt, ut cuique patet, Iſraëlitas in Cananæam introductos, ex largo uſu beneficiorum divinæ in eos curæ & providentiæ laſcivos factos, calcitraſſe, h. e. Deum verum ejusque Religionem ignominia affeciſſe, Deum repudiaſſe; ejus honorem læſiſſe, & quidem ex petulantia; planeque teſtatum eſſe, ſe communione Dei ut Domini non delectari: quæ omnia inſunt in calcitratione, quæ ſolet eſſe laſcivientium aut pravi ingenii jumentorum, equorum, boum, mulorum. Hebraice eſt, יבעט: quæ vox haud dubie hic recte vertitur *calcitrare*, Interpretibus fere conſentientibus, & præter h. l. duriore paulo tranſlatione uſurpatur 1 Sam. 2. 29 Reſpicitur autem hic absque dubitatione *idololatria* Iſraëlitarum ſive defectio à Deo per idololatriam, ut Vates ipſe metaphoram mox explicat ℣. 16. ſqq. Sunt autem in idololatria omnia attributa *calcitrationis*, quæ modo recenſui. Repudiatur in idololatria publice communio

Dei cum ejus contemptu, honoriſque ejus læſione. Exaggeratur crimen: *Et pinguis factus eſt Jeſchurun.* Boves aut equi calcitrones calcitrare ſolent vel ingenii pravi vitio, vel ubi jugum iis imponi ſolet, vel ubi ſaginantur in ſtabulo: quod vitium eſt inexcuſabilius, quod benefactores ſuos lædant. Poſtremum hujus generis hic reſpicitur, & pertinet ad emphaſin ſententiæ. Dum Deus illos in terra Canaanæa fovit cura ſuæ providentiæ, & large ſubminiſtravit beneficia, ubi veluti à Patre & benefactore tanquam in ſtabulo ſaginabantur calcitrarunt. Sed non id tantum. Tertia gradatio: *Pinguis factus eſt* ישרון Certum & in confeſſo eſt, per *Jeſchurun* intelligi Iſraëlem, Populum Abrahamidarum, qui hòc nomine appellatur præter h. l. Cap. ſeq. 33. 5. 26. Jeſ. 44. 2. Sed non ſatis claro liquet, quænam genuina vocis ſit ſignificatio. Communior ſententia eſt, duci à voce ישר *rectus*, quod Iſraëlitis quod ad inſtitutionem & ſtatum ſuum varia de cauſſa tribui poſſe cenſent: ſed Cl. Coccejus cum aliis cenſet deduci poſſe à voce שור *videre* & formatum eſſe nomen ex futuro ישור, ob hanc quidem rationem, quod Iſraëlitæ Deum olim viderent, & hic ſupponantur vidiſſe, Deum in carne manifeſtum factum. Sed videtur id vere nimis eſſe remotum & quæſitum: nomina enim rebus imponuntur ab attributis proximis & facillimis. Certe non eſt probabile, nomen tempore Moſis impoſitum fuiſſe Populo ab aliquo attributo, à quo à nemine forte præterquam à Prophetis cognoſcebatur. Putem itaque vere nomen ישרון deduci à ישר *rectus*, [a] eſſe autem inſolentiorem termi-

[a]. Nec rationes Clar. T. Haſæi, in diſſertat. de *Jeſchurun*, nec nova ejus conjectura, licet neutiquam ſit ſpere-

terminationem indicium teneritudinis & affectus, ut no-
tet *rectulum*: quæ tamen terminatio facile comparari po-

ſpernenda, me ab hac facillima interpretatione dimo-
vere potuit. Tantum abeſt, ut a *ſcopo* Moſis abhorreret, populum a primæva *rectitudine* in hoc cantico denominare, in quo ejus *perverſitas* quam maxime depingitur, quæ præcipua Viri Clar. ratio eſt, ut contra nihil magis ad rem faciat. Inſigne quippe in eo eſt acumen, & fortiter pungens aculeus, cum *rectus* populus, tantis mactatus beneficiis, in tantam *perverſitatem* incidit, ut contra ipſum benefactorem ſe inſolentiſſime gerat. Simile habuimus ℣ſ. 5, 6, 9. Sic & Jeſ. XLII. 19. *Quis cæcus* כמשלם *ſicut perfectus* ſc. ſervus meus Iſraël. Vid. & Jeſ. I. 21, 22. Jer. II. 21. Accedit, *recti* titulum directe ad præcedentem vocem pertinere, & eam populi conditionem moralem repræſentare, qua tum præditus fuit, cum beneficiis Dei *ſaginatus* eſt, ita ut *rectus* Dei populus, a Deo magnis bonis ornatus, per ea ipſa beneficia deſciverit, & inſolentiam induerit. Denique, ſi quis ad reliqua loca attenderit, in quibus hoc titulo condecoratur populus, Deut. XXXIII. 5. 26. Jeſ. XLIV. 2. primævum & *rectum* populi ſtatum eo comprehendi haud difficulter detexerit. Quod vero ad Viri doctiſſimi opinionem attinet, ei nihil magis obſtat, quam quod *Jeſchurun* ad ſtatum populi pertineat, quo dives & pinguis factus eſt, nondum erat: *Jeſchurun pinguis factus* vix eſſe poteſt: *affluens opibus dives factus eſt*: ſed, *rectus* quibusvis bonis cumulatus eſt, aptiſſime dicitur, eoque rectius, quod opes in *rectum* populum collatæ eum *pejorem* efficere non debuiſſent, ſed *meliorem*: *rectitudinis* mentio ad crimen ingratitudinis aggravandum omnino erat neceſſaria. Prætermitto inſolitam vocis יש pro *opum affluentia* ſignificationem, cujus forte exemplum in Scriptura non reperitur, quod extra controverſiam eſt. Locus enim Prov. XI. 24. יש מפזר

teſt cum nominibus bene multis deſinentibus in ון. [d] Ratio nominis eſt, quod Populus Iſraël ratione inſtitutionis ſui ſtatus unus omnium Gentium totius orbis terrarum verum Deum coleret, de Deo vero recte judicaret ac ſentiret, eundemque vero cultu, obſequio, veneraretur. Confer Deut. IV. 8. Objici poteſt in contrarium, Populum Judæum talem non fuiſſe: ſed reſpondeo, nomina ſemper deſumi ab inſtitutione ſtatus, & attributis

recte cum interpretibus verti poteſt, *qui cohibet ſe plus quam rectum eſt*, vel *parcit rei ſuæ plus æquo*, ut ab aliis demonſtratum eſt. Quid? quod ipſe Cl. Schultens, qui ישר primum de *opulentia* interpretatus eſt, mox vulgatæ opinioni accedere videatur, eamque confirmet. Vix tamen dubitaverim, quin rectius vertatur locus: *qui ſe coërcet a rectitudine* ſeu *liberalitate*: qua quis *ſimplici corde*, ut ſic loquar, in alios erogat: ut 1 Chron. XXIX. 17. *Ego* בישר לבבי *in rectitudine cordis*, ſeu *pura liberalitate animi*, *hæc ſponte largitus ſum*, quemadmodum Rom. XII. 8. ὁ μεταδιδοὺς, ἐν ἁπλότητι, & 2 Cor. VIII. 2. πλοῦτος ἁπλότητος, *liberalitatem* ſignificat. Cæterum videtur nomen proxime convenire τῷ ידתון 2 Chron. XXXV. 15. Quæ ipſa comparatio LXX forte in oculis fuit, cum ישרון ab ipſis redditur ὁ ἠγαπημένος *dilectus*, quæ ipſiſſima eſt ſignificatio, & ſolet eſſe interpretatio nominis ידתון, eſt enim pro ידידון. Sive autem LXX ſignificationes nominum inter ſe contulerint, ut *rectulus* ſit idem ac *dilectulus*, utrumque dilectionis vocabulum, ſive in codice ſuo legerint ישרון, quod, cum inſolentius eſſet, cum ידתון levi mutatione commutandum cenſuerint, mihi perinde eſt. H. VENEMA.

d. Nihil vulgatius eſt terminatione ון & ין in nominibus propriis, ut ex eorum catalago, quem contexuit Cl. M. Hillerus onomaſt. ſacr. p. 184., elucet. H. VENEMA.

butis ejus benigne expoſitis. Confer Jeſ. XLII. 19. Inde patet quam emphaſin vox habeat in hac propoſitione elenctica. Calcitravit Iſraël, Deum repellens & gloriam ejus lædens. Calcitravit pinguis factus, ex petulentia. Calcitravit *Jeſchurun* h. e. Populus à Deo in hunc finem electus, ut veram Religionem, veræque Religionis profeſſionem inter omnes mortales tueretur: rectus ipſe rectum aliis oſtenderet de Deo ſenſum, ejusque cultum.

V. Membrum alterum. *Pinguis factus es, incraſſatus es, pinguedine tectus es:* Vates ſacer, poſtquam de Iſraëlitis, qui præſentes in hac ſcena ſupponuntur fuiſſe, in tertia loquutus fuiſſet perſona, quæ ipſis minus invidioſa oratio erat, veluti zelo correptus convertit ſe ad præſentes: imo ait, nihil temere aut falſum dixi, ubi vos pingues factos *calcitraſſe* dixi. Utique enim *pinguis factus es, incraſſatus, & pinguedine obductus es:* ſignificatur, ut quisque ſentit, ſub locutionibus figuratis incrementum ſtatus Iſraëlitarum per varios gradus & articulos temporum, metaphora deſumpta ab homine, vel & hic a bove macilento, gracili, qui ſaginatus primo pingueſcit; inde incraſſatur, mox opimitate obducitur. Metaphora nos manifeſte ducit ad tres gradus ſive articulos temporum: uno enim eodemque tempore jumentum non opimatur, incraſſatur &c. Ergo probabilis eſt ſententia, [A] quæ ſtatuit re-

[A]. Quamvis Iſraëlitæ non ſubito, & uno eodemque tempore, ſed per gradus & ſucceſſive, ut ad ſummam proſperitatem, ita ad perverſiſſimos mores, perveniſſe cenſendi ſint: vereor tamen, ut Cl. Auctoris opinio, a Cl. Coccejo primum excogitata, mox a plerisque adoptata, quanta etiam ſeſe ſpecie commendet, de *tribus articulis* tem-

referenda eſſe verba ad tria tempora Judææ Gentis. Primum eſt ſub Judicibus, usque ad Reges. Alterum ſub Regibus usque ad Exilium Babylonicum Tertium à Reditu ex Exilio, & maxime poſt afflictionem Epi-

temporum, tanto intervallo diſſitis, accuratius explorata ſe tueri poſſit. Trina verborum repetitio ℣ſ. 15., quæ anſam præbuiſſe videtur, ad *ubertatem* & *emphaſin* orationis manifeſte pertinet, & tum ſummum pinguedinis gradum, & *varias* ejus *ſpecies*, tum loquentis affectum vividiſſime exprimit, nullum diverſarum periodorum argumentum ſuppeditat. Nihil enim in poëtarum & prophetarum ſtylo vulgatius eſt, earundem vel Synonymarum vocum repetitione emphatica in oratione *affectuoſa*, ita ut exemplis opus non ſit. Vid. Jeſ. v. 15, 19. LII. 13. 1 Reg. VIII. 57. Jeſ. XXIV. 19. Nah. II. 11. Deinde affectui commotiori verius quam myſterio, trina repetitione involuto, verborum ſynonymorum accumulationem eſſe adſcribendam ex eo etiam elucet, quod per apoſtrophen ſermo vertatur ad ipſum populum, cum reliqua oratio tertia perſona decurrat. Oratio enim ſubito mutata, & ad *Jeſchurun* directa, loquentis impetum, & ſermonis vehementiam clare deſignat. Nec dubium videtur, quin uno eodemque tenore dixiſſet propheta: *pinguefactus, incraſſatus, pinguedine obtectus eſt*, ſi ſimile quid intendiſſet: nunc cum primum dicat: *pinguefactus eſt Jeſchurun*, & *inſolenter ſe* geſſit; & mox per apoſtrophen repetat id *pinguefactus* eſt, aliaque duo addat vocabula; inſinuatum, ni fallor, voluit, ſe ſub *pinguefactionis* vocabulo, non qualemcunque, ſed ſummam omnis generis *pinguedinem*, intelligere: unde patet, apoſtrophen ex abrupto quaſi inſertam eo tantum tendere, ut emphaſin verbi שמן, quo in generali propoſitione uſus fuerat, luci exponat, non ut varias temporum periodos inculcet. Hoc præterea ſi animo habuiſſet poëta ſacer, ſingulas benedictiones & crimina

Epiphanicam uſque ad Chriſtum, imo incluſis beneficiis gratiæ, per Chriſtum allatis. Facilis eſt meditatio, quam cum in meis reperirem obſervatis, meæ putabam eſſe diligentiæ: ſed vidi nunc, Cl. Coccejum

crimina ingratitudinis iis reſpondentia copulaſſet, &, ut incepit, continuaſſet ſermonem, hac ratione: *Pinguefactus eſt Jeſchurun, & recalcitravit; incraſſatus eſt & deſeruit Deum factorem ſuum: pinguedine obductus eſt, & flagitioſe tractavit rupem ſalutis ſuæ.* Obſtat enim vehementer huic opinioni, quod *benedictionis* deſcriptionem continuata & non interrupta trium verborum repetitione uno halitu efferat; quippe quod *continuatæ* quoque felicitatis eſt clarum argumentum: cum tamen inter *ſecundam* & *tertiam* periodum graviſſimum Dei judicium, hic in cantico deſcriptum, quo in exilium abducti ſunt Babylon., interceſſerit, quod opinioni vehementer repugnat. Denique & illud me male habet, quod *crimina* Iſraëlitarum ad diverſas temporum periodos referantur, cum in phraſibus ipſis nihil ſit, quod periodos diſtinguat & caracterizet, nec ultima phraſis, *flagitioſe tractare rupem ſalutis*, in qua maxime ſeſe fundare videntur viri doctiſſimi, nos primo & directo ſenſu ad *Chriſti tempora* ducit, ut mox videbimus. Ergo cum tot rationes hanc opinionem oppugnent, nulla eam ſtabiliat, nemo mihi vitio vertat, quod eam ſuo loco relictam velim. Quid itaque? equidem eo omnino cenſuerim collineare apoſtrophen, *pinguefactus es, incraſſatus es, obeſus factus es*, ut ſummum omnigenæ pinguedinis gradum ſe ſub eo verbo in initio verſus intelligere indicaret Moſes. Qua apoſtrophe eleganter inſerta, in populi ingratitudine aggravanda, ut cœperat in initio verſus, pergit. Quæ ſatis clara & facilis eſt connexio. Poſtquam enim ſummam bonorum terreſtrium copiam, & inde ortam incredibilem reip. proſperitatem ac felicitatem deſcripſiſſet, populi ſtupendam ingratitudinem empha-

jum hanc meditationem jam anticipaſſe, ſed quod nobis perinde eſt. *Pingues facti* ſunt ſub *Judicibus*, dum conſtabiliti in Canaan inter populos, ubi educti ſunt ex Ægypto, rem fecerunt & ſe confirmarunt ſub Judicibus, licet inter varia experimenta afflictionum, quas ſtultitia ſua ipſi provocarunt. *Incraſſatus* eſt Jeſchurun ſub Davide, Salomone, ſubſequentibus Regibus, quando ſtatus Populi magis magisque confirmatus eſt, & Reſpublica Populi Dei dominationem ſuam late extendit. Sed præcipuum ſtatus incrementum exſpectabatur noviſſimo reipublicæ tempore, quod ſequeretur Reditum ex Exilio, & afflictionem Epiphanicam, ubi Populus benediceretur & multiplicaretur ſupra Patres Deut. XXX. 5. quando *opimis illis bonis* N. T. Juſtitia

ſc.

emphatice a verſ. 15. in lucem profert, ut quam juſta ſint Dei judicia, quæ ei infligenda forent, luce meridiana clarius eniteat. Cæterum cum ſcena *proleptica* cantici ſit in exilio Babylonico, ut in prolegomenis demonſtratum eſt, *benedictio* & *defectio* populi directe ad populum ante exilium pertineat neceſſe eſt, ita ut *benedictio* culmen ſuum attigerit Davidis & Salomonis temporibus: ad quæ tempora *benedictionis* periodus duravit: *defectio* autem, quæ eam excepit, a 3tio Rehabeami ſit ducenda, & ad exilium usque, quo ſummum gradum adepta eſt, extendenda, quod ex 2 Chron. XI. 17. XII. 1. Ezech. IV. 5. Jer. II. 32. egregie confirmatur. Sed eadem *Scena* adhuc ſemel majore cum emphaſi renovaretur tempore deſtructionis reip. per Romanos; quare & eadem *benedictio* ac *defectio* recurrere deberet; quod longe excellentius quoque contigit a temporibus Maccabaicis, quando graviorum etiam criminum ſe reos fecerunt, & *veram rupem ſalutis ſceleſte tractarunt* in Meſſia. Hac ratione cuncta, ni fallor, apte cohærent. H. VENEMA.

ſc. Chriſti Jeſu, cum omnibus prærogativis, Regni Dei inter ipſos manifeſtati, à Deo donati beatique ſunt, ex quibus ipſi quoque pingueſcere & opimari poſſent. Hæ ſunt *pinguedines domus* Dei, quæ pingues faciunt comeſtores, Pſ. XXXVI. 9. ſic Jeſ. LV. 2. in alloquio ad Judæos & Gentes, quo invitantur ad communionem Chriſti Jeſu: *Audite me & comedite bonum, & oblectet ſe anima veſtra in opimitate.* Confer Jer. XXXI. 14. Non vult Propheta, Judæos omnes his beneficiis eſſe uſos: ſed α. Deum illa beneficia Genti obtuliſſe juxta promiſſa Patrum. β. Meliorem Populi partem, licet minorem, h e. electos Dei in Populo, in quibus cæteri cenſebantur, his beneficiis eſſe uſos, & ex iis, in uſum ſuum converſis, pingues & craſſos factos eſſe.

VI. Tertium membrum: *Et dereliquit Deum factorem ſuum, & ſcelerate tractavit Rupem ſalutis ſuæ.* Vertit ſe Cauſidicus rurſus à Populo ad teſtes & auditores, dum Gentem Judæam ream agit turpiſſimi vitii, cujusmodi eſt illud ingrati animi. Sunt autem vitia duo, quæ hic memorantur: ſed quæ cum tertio, quod jam occurrit in primo membro, comparari debent; ut enim tria hic recenſentur beneficia Dei in Iſraëlitas collata, ſive tria ſtatus Populi incrementa: ſic pariter tria maleficia illis beneficiis oppoſita, quæ recte cum iisdem temporum gradibus & articulis comparantur. Δ Primum eſt, *calcitrare:* quod ad tempus pertinet,

 quan-

Δ. Quemadmodum tribus verbis ſummum proſperitatis gradum repræſentat; ita tribus quoque utitur phraſibus ad incredibilem populi ingratitudinem exprimendam. Quæ ſelectæ ſunt voces, aliæ aliis efficaciores, בעט *de jumento paſto laſciviente, & longius recedente, ſeſeque inſolenter geren-*

quando idololatria nec univerſalis nec conſummata fuit. Alterum, *deſerere Deum qui fecit eum*, recte referas ad ſtatam idololatriam Gentis Ephraimiticæ à Jeroboamo introductam, & defectionem Judæorum à Deo,

quarto

gerente, proprie dici videtur, ut ex Arabica lingua colligi poteſt, unde *conculcationis* & *recalcitrationis* ſignificatus apud Chald. & Syr. fluxit: qui num in Script. ſuperſit affirmare non auſim. Laſcivientis enim, & cum inſolentia a lege & officio *diſcedentis*, idea huic loco aptiſſima eſt, & 1 Sam. II. 29. unice convenit. Filii Eli erga ſacrificia & munera ſeſe *inſolentius* geſſiſſe, & a *lege* longe *diſceſſiſſe*, recte dicuntur, ſed contra ea *recalcitraſſe* inſolentiore phraſi dicerentur. Nec alibi occurrit. A Deo ejusque cultu & lege non tantum præ *petulantia* deſcivit Jeſchurun, & pro *libitu* quaquaverſum vagabatur, *in deſideriis animi ambulans*: Deut. XXIX. 19. verum eo cum tempore devenit, ut Deum penitus *neglexerit*, ſeſeque omni vinculo exſolverit; & Deum quaſi res ſuas ſibi habere permiſerit, absque quo fere ullam amplius *curam* cultus Dei habeat, quæ emphaſis eſt verbi נטש. 1 Sam. X. 2. *Ecce Pater tuus cauſam aſinarum* נטש *omiſit*, non curat amplius. 1 Reg. VIII. 57. *Ne deſere nos, nec nos nobis relinquas*, ואל יטשנו *Te omni cura noſtri exſolvas*. vid. Pſ XXVII. 9. Quæ verbi poteſtas quam maxime etiam conſpicitur in iis rebus & perſonis, quæ omni vinculo ſolutæ libere vagantur. Jeſ. XXI. 15. חרב נטושה eſt gladius ſibi permiſſus, ſine modo graſſans. 1 Sam. XXX. 15. Amalekitæ dicuntur נטשים ſoluti, ſine ordine diſcurſantes, ſibi plane relicti. Sed curam Dei non ſimpliciter & honeſte depoſuit Jeſchurun, verum *turpiſſimo* modo, & non ſine inſigni *contumelia* Dei, tum quod a lege & cultu Dei ad *deteſtandum* & peſſimum idololatriæ genus deſciverit, adeoque Deum abominandis idolis poſtpoſuerit, tum quod Deum pro *emarcido* & arido fonte habuerit, qui populo

ſalu-

quarto Rehabeami anno 1 Chron. XI. 17. 2 Chron. XII. 1. non quod hactenus plane à Deo deſciſceret, ſed quod major pars id animo ageret, à Deo alieno, & plerique cultum veri Dei ſuperſtitionibus adjectis corrumperent, & poſtea ſæpius ſub impiis Regibus

ſalutem & conſolationem adferre nollet, vel non poſſet: quæ eo atrocior erat injuria, quod Deus ſeſe *rupem ſalutis* inter ipſos luculenter demonſtraſſet. Quæ emphaſis ultima phraſi comprehenſa eſt: וינבל צור ישעתו. Verbum נבל in Pih. pro *ſprevit*, *ignominia affecit*, *contumelioſe tractavit*, vulgati eſt in Script. uſus, ut ex Jer. XIV. 21. Mich. VIII. 6. Hab. III. 6. Hoſ. II. 12. conſtat. Quo ſenſu & hic ab interpretibus, qua antiquis, qua recentioribus, paſſim ſumitur. Sed majorem præfert emphaſin, ex propria ejus poteſtate eruendam. Cum enim primigenia vis in *marceſcendo* ſita ſit, ut præclare Cl. Coccejus, cum vis & ſuccus vitalis plane abſumtus eſt quaſi tabe: in Pih. ſignificabit, quem efficere aut habere ac tractare *emarcidum*, tanquam *virtute interiore*, & ſucco, deſtitutum. Quare opponitur τῷ חסר & נרב ut Jeſ. XXII. 5. *Non dicetur amplius* לנבל נריב *emarcido ſucculentus*, id enim חסר & נרב proprie denotant. Hoc ſenſu Judæi egregie dicuntur *rupem ſalutis ſuæ* tractare, & habere tanquam omni *virtute* & *ſucco* caſſam, quæ populo nec *firmum* poſſit eſſe habitaculum, nec uber felicitatis fons, ac continuo fluens benedictionis vena. Unde acumen, quod hic latet, elucet. *Petram* enim ſalutis, rem firmiſſimam, & *aqua fluentem* in deſerto, pro re *emarcida* habere, quid erat ſtultius? quid Deo ignominioſius? præterea petram, quæ *populum genuerat* ℣ſ. 18. ſucco vitali deſtitutam exiſtimare & tractare, idem flagitium erat, ac quo *filius Patrem* dicit נבל, ut eſt Mich. VII. 6. Ex quo elucet, deteſtandum *idololatriæ* crimen hic primo ſenſu intelligi, quippe quo a Deo *fonte vitæ* & *petra ſalutis*, tanquam emarcido, & ſucco

jugum Dei excuſſerint, de quo omnes Prophetæ conqueruntur. Id eſt miſſum facere Deum; illum negligere, ſe alio vertere. Sic Jer. xv. 6. *Tu dereliquiſti me, inquit Jehova, ceſſiſti retro.* Metaphora deſumpta eſt à ſervo, qui ſe domino, aut milite, qui ſe imperatori ſubducit vel ſubtrahit. Exaggeratur crimen, ubi additur, *qui fecit eum.* Repetenda eſt ſignificatio ex ℣. 6. reſpicitur hic *factio* ſive *factura* non Naturæ, ſed Gratiæ, ſecundum quam Deus Iſraëlitas fecit formavitque in Populum. Tertium eſt, *& ſcelerate tractavit rupem ſalutis ſuæ.* Hebraice eſt vox ינבל, ſingularis emphaſis, quam Cl Coccejus in Lex. demonſtravit valere proprie, *flagitium* in aliquo committere, ex Mich. vii. 6. & *infamare*, dehoneſtare, ex Jer. xiv. 21. nam quod inſuper addit, *cadaver facere*, non patet ex analogo: quod vitium ſi quis generatim inſpiciat, non eſt dubium, quin referri queat ad omne peccatum, & præcipue ad peccata idololatriæ, ſive publicæ defectionis à Deo, in qua ineſt infamatio & dehoneſtatio Dei ut Rupis ſalutis, quæ Judæam Gentem genuerat & finxerat. Verum ſi vocem referas ad tertium intervallum temporis *A* & ſtatus Iſraëlitarum, quod

ſucco ſalutari carente, fonte exſuccato, ſeſe ad idola turpiſſima, ciſternas fractas, aqua deſtitutas, tanquam bonorum venas uberrimas, contulerunt, & ab iis benedictionem exſpectarunt, Jer. II. 13. Hoſ. II. 10. 14. Huc pertinet conteſtatio Dei Jer. II. 31. *an fui Iſraëli deſertum?* מאפליה *an terra caliginoſa?* vulgo, ſed aptius: an terra exhauſta, *ſterilis*, infructuoſa, ut LXX γῆ κεχερσωμένη. Arabes enim hac voce utuntur de *lacte areſacto*, uberibus exhauſtis. H. Venema.

A. Quominus hæc verba ſenſu *ſecundario*, ut dicitur, & ſubli-

quod ſequutum eſt Reditum ex Exilio Babylon., deprehendis in ea ſingularem emphaſin: quam ante eventum difficile erat intelligere & aſſequi, ſed poſt eventum clariſſime perſpectum habes. Spiritus enim ſic direxit cogitationes, & verba Vatis, ut eventui maxime reſpondere poſſet. Populus poſt reditum ex Exi-

ſublimiore ad Meſſiam, a Judæis ſcelerate tractatum, referantur, eæque obtineant verbi נבל interpretationes, quas inſigni induſtria hic accumulavit vir doctiſſimus T. Haſæus in Diſſertatione de *Jeſchurun*, equidem non intercedo. Sed directe & primo ſenſu illuc pertinere neutiquam cenſuerim. a. Quia in textu nihil eſt, quod ſenſum ad Meſſiam directe reſtringat, ut ex ſuperiore obſervatione noſtra clarum eſt. b. Quia ſunt, quæ generaliorem ſenſum vocis *rupis* & totius phraſios, confirmant. 1. *Rupis* emblema hic ad Deum refertur, quatenus ſeſe Iſraëli exhibuit in initio & progreſſu Oeconomiæ Veteris, & non ad Meſſiam, ut ſeſe in carne manifeſtavit, quod ex ℣s 4. non tantum, ut in ſuperioribus explicitum eſt, ſed ex hoc ipſo textu, ubi *Rupes ſalutis* & *Deus factor populi* inter ſe permutantur, & ℣s 18. in primis, luculenter elucet. Quod enim hic eſt, *rupem ſalutis ſcelerate tractare*, illud ℣s 18. dicitur, *rupis*, *quæ te genuit*, *oblivisci*, & *Dei*, *qui te peperit*, *non meminiſſe*. vid. & ℣s 30. 2. Quid? quod ℣s 37, 38. *Deus*, ex ipſorum horum interpretum opinione, intelligendus per *rupem*, in qua populus Dei fiduciam collocavit ab antiquis temporibus, ibi *rupes* appelletur, *qui adipem ſacrificiorum comedit*, & *vinum libationum bibit*, adeoque qui ritibus legalibus cultus fuit. 3. Sequens contextus, ℣s 16, 17, 18. qui de *idololatriæ* crimine præcipue loquitur, & hunc verſum noſtrum, quippe qui in ſequent. exponitur, de eodem delicto primo ſenſu intelligendum eſſe evincit; ut inſpicienti patebit. H. Venema.

lio Babylonico incidit in duo graviſſima crimina. Primum fuit profanitas ſententiarum de Deo, & atheiſmus conjunctus cum contemptu publico Religionis Patriæ: adverſus quod crimen, quod Moſes prævidebat aliquando à Gente committendum eſſe, proprie inſtituit declamationem propheticam, quæ extat Deut. xxix. 18. Hoc dehoneſtamentum Divini Nominis, omnium quod hactenus commiſerat graviſſimum, non quidem univerſale, attamen ſacerdotum & ſpectabilium de vulgo non paucorum, incidit in tempora Epiphanica, & ex illorum temporum hiſtoria explicari debet. Alterum, hoc gravius, eſt ignominioſa & propudioſa rejectio Meſſiæ, Rupis ſalutis ſuæ, ejusque traditio ad mortem, & quidem omnium probroſiſſimam, fœdiſſimam: quod ſcelus Dominus declarat in conſilio agricolarum, quibus commiſſa erat cuſtodia vineæ Matth. xxi. 38. *Ecce hic eſt hæres, venite interimamus illum, & vindicemus nobis hæreditatem. Rupes ſalutis* Judææ Gentis eſt Pater, ut ſe manifeſtum Judæis fecit in Filio, Redemptore, & Salvatore electorum per omnes temporum Oeconomias; cujus curæ Pater commiſerat Judæam Gentem; cujus gratiæ & favori omnes liberationes ſuas debebat; cujusque *juſtitiæ* ſemen electum redimendum erat ex ſervitute Diaboli & peccati ad ſalutem & gloriam æternam: quo medio ſalutis ignominoſe ſpreto, ſpretus & contemptus eſt ipſe Pater, ut Dominus Luc. x. 16. *Qui me ἀθετῶν ſpernit, illum ſpernit, qui me miſit.* In hac vero ἀθετήσει & ἀποδοκιμασίᾳ *filii Dei*, ut cauſſæ medii ſalutis, deprehendimus omnia attributa vocis נבל, quippe α. Eâ Deum ejusque gloriam maxime infamarunt & dehoneſtarunt. β. In ipſo commiſerunt flagitium omnium maxime fœdum

&

& horrendum, quod ipſum Meſſiam à Patribus exſpectatum tractarint ut ſceleratum. γ. Et quidem commiſſum eſt flagitium directe & immediate erga Deum, ut Rupem ſalutis, cum ſe maxime talem in Filio Judææ Genti exhiberet, quare etſi à priore nemo, niſi à Prophetico Spiritu illuminatus, id in his verbis videre potuerit: à poſteriore tamen poſt rem geſtam & eventum non poſſumus hanc emphaſin abjudicare voci, quam Cl. Coccejus in ea obſervavit.

VII. Hæc generalis eſt propoſitio elenchi. Specialis hæc ſingula explicat cum reſpectu ad eadem hæc temporum intervalla ℣. 16, 17, 18. Primum eſt ℣. 16. *Ad zelum illum provocarunt per Deos alienos ſive peregrinos: per abominationes ipſum irritarunt.* Sunt hæc verba eum in modum concepta, ut generalem continere videantur ſententiam, quæ ad omnem ſtatum defectionis Populi Judæi à Deo recte applicetur. Nec ego id abnuo: verum cum in ſuperioribus manifeſte diſtinguantur tria intervalla ſtatus Gentis Judææ, decurſura per totum tempus durationis Oeconomiæ ejus, iisque reſpondentia tria vitia: recte facere videmur, ut hanc clavem interpretationis non dimittamus. *Dii alieni* hic loci ſunt *Dii Gentium* vicinarum, Moabitarum, Ammonitarum, Cananæorum, Philiſtæorum, quæ Gentes fœdis ritibus Soli vel Veneri, vel utrique ſimul, ſub variis nominibus Sacra faciebant. Uſus eſt vocis זרים *peregrini* ſc. אלהים ſatis receptus Prophetis, Pſ XLIV 21. Jeſ. XLIII. 12. Idem eſt quod Vates ℣. 12. אל נכר. Contradiſtinguuntur autem Dii Peregrini, Deo Patrio, ſive illis Diis, quos Latin. Veteres vocare ſolebant *Deos patrios indigetes.* Erant autem Dii Patrii indigetes proprii cujusque gentis à majoribus culti, ut Carthaginienſibus *Juno*, *Mars*,

Mars Romanis, Minerva Athenienſibus, Hercules Tyriis. Sic Jerem. II. 11. *Tranſite ad inſulas Citteorum, aut Kedarenos, & percunctamini an Gens ulla mutaverit Deos ſuos, licet Dii non ſint.* Hos Deos Gentes ut Deos tutelares reſpiciebant, ut ſervatores, nec facile mutabunt. Sic itaque Deus Diis Gentium, de quibus loquitur ex ſenſu vulgi, acſi vere exiſterent, ſe contradiſtinguit ut Deum Patrium tutelarem, ut Deum fœderatum Ezech. XVI. 32. quem cum his mutare non poterant, niſi cum ſumma injuria, & dehoneſtatione. Quæ tanto major erat, quod cultus earum Gentium eſſet abominandus & turpiſſimus, ab omni ſana ratione alienus, a. Quia apud plerasque illas Gentes obtinebat ἀνθρωποθυσία, qua homines Molecho ſive Soli conſecrabantur per mortem; b. Quod Sacra Veneris apud illas Gentes celebrarentur, ſpurciſſimis & impuriſſimis ritibus, libidinem & luxum incendentibus: quare Milcom Ammonitarum, Camoſch Moabitarum, Aſtarte Zidoniorum Dii, paſſim in Hiſtoria Sacra & ſtylo Prophetarum שקוצים ſive תועבות *abominanda*, deteſtabilia vocantur. Recte autem, quod hic dicitur, referas ad tempora Judicum, quibus Iſraëlitæ adverſus Deum *calcitrarunt*, & a vero Deo ad cultum horum deorum defecerunt. Sic exerte Jud. III. 7. *Et fecerunt malum in oculis Domini, & obliti ſunt Jehovæ Dei ſui, & coluerunt* הבעלים ואשרות *& lucos.* Sic vulgo Interpr., ſed recte vertas per *Veneres.*

VIII. Sequitur ℣. 17. *Sacrificarunt Dæmonibus, non Deo; Diis, quos non cognoverunt; novis qui è propinquo venerunt; quos non horruerunt majores ipſorum.* Sequentia nos docebunt, reſpici hic præcipue ad cultum profanum τῶν *Baalim*, ad quem cultum

Reli-

Religioſum maxime abominandum inſana quadam ſuperſtitione adhinnierunt tam Judæi quam Iſraêlitæ. Id ſibi vult quod dicitur ℣. 17 *Sacrificarunt Dæmonibus, non Deo.* Accipienda eſt oratio cum emphaſi: *Etiam* Sacrificarunt Dæmonibus שדים, eo venerunt inſaniæ, ut Deos *deſtructores* tanquam *ſervatores* coluerint. Pendet vis totius ſententiæ à vera emphaſi vocis שדים; quæ omnino derivanda eſt à שדד *deſtruere, vaſtare*; dicunturque שֵׁדִים pro שַׁדִּים. Sic vero appellantur in hoc loco ſpeciatim Dii Gentium, quorum cultus cultoribus non proderat, ſed noxam adferebat, domosque eorum vaſtabat, quales erant *Baalim*, *Molech*, *Milcom*, *Hercules Tyrius*, quorum cultum Ephraïmitæ ſuſceperunt ſub Achabo, & Judæi ſub Achaſo & Manaſſe, ut Hiſtoria Sacra teſtatur. Huc vero alludi patet invicte ex Pſ. CVI. 37, 38. *Et ſacrificarunt filios & filias ſuas* לשדים *dæmonibus deſtructoribus: & effuderunt ſanguinem innocuum, ſanguinem filiorum & filiarum ſuarum, quos obtulerunt idolis Cananæorum, & polluta eſt terra ſanguine innocuo:* perinde ac Ezech. XX 26. Relege nunc locum, & obſerva ſingularium phraſium emphaſin, quam ſatis habeo ſimpliciter oſtendere. Prima gradatio eſt, *ſacrificarunt dæmonibus deſtructoribus.* non aliis tantum Diis, quorum cenſeri poterat cultus minus noxius: ſed abominandis illis Cananæorum idolis, quorum cultus tendit ad deſtructionem cultorum. Secunda, לא־אלה *non-Deo.* h e. in quibus nihil minus eſt quam divinitas, qui omnium Deorum Gentium minime merentur inter Deos cenſeri: quam emphaſin eſſe vocis לא cum aliis conſtructæ, monui ad ℣. 6. Tertia gradatio, *Deos, quos non cognoverunt, novos* qui *e propinquo venerunt.* Excuſabilior videretur ſuperſtitio, ſi

pro objecto haberet Deos aut Heröas antiqui nominis. Sed hi Dii in Cananæam introducti ſunt à Tyriis, Iſraëlitis ignoti, antequam terram occuparunt, imo & ignoti Patribus ipſorum; quæ *quarta* eſt *gradatio*, *quos non horruerunt* vel *formidarunt Patres ipſorum*. Sumenda hic eſt vox *Patres* in omni latitudine, ut non tantum notet Patriarchas, ſed & majores Iſraëlitarum in Ægypto: qui licet ſe polluerint quoque idololatria in Ægypto, hæc tamen Phænicum numina nunquam reſpexerunt, antequam Ægypto egreſſi ſunt. Eſt autem hic obſervandus elegantior uſus vocis שער. Non dicit, quos non *coluerunt*, non *reveriti* ſunt, *metuerunt*, quæ verba uſurpantur de cultu veri Dei: Sed quos non *horruerunt*. *A*. Docet Vates, idola Gentium, quæ placari volebant ſacrificiis humanis, eſſe objecta non amoris, reverentiæ, & metus quoque, ſed *horroris*, quod eos Deos nemo non reſpicere poſſet ut peſſimos, qui tam abominando cultu delectarentur; quos nemo colere poſſet niſi cum horrore, non ex amore & reverentia, ſed ex formidine.

IX.

A. Qui omnem hujus verbi elegantiam penetrare geſtit, ad nomen dæmonum שעירים Lev. XVII. 7. Jeſ. XIII. 22. XXXIV. 14. animum advertat, & τῷ אלהים præterea hoc nomen opponat, neceſſe eſt. Patres eos tanquam שעירים, quos *borreas* verius quam *colas*, non tanquam אלהים *adorationis* & *reverentiæ* objectum, quæ vocis propria emphaſis eſt, reſpexerunt, nec tamen eos licet tales *borruerunt*. Cæterum majores hic opponuntur poſteris, qui τοῖς שדים *ſacrificarunt*. Sunt enim שרים & שעירים iidem infauſti ſpiritus, *nigri* & *piloſi*: ut enim poſterior vox *piloſos*, ſic prior *nigros* videtur ſignificare, ſi cum Arab. سال comparare, & ab ea radice derivare velis. Quod forte non nemini haud improbabile videbitur. H. VENEMA.

IX. Hæc facilia ſunt, & probabilia, quæ in omni interpretatione Scripturæ S. præferenda ſunt: quare non potuit ſe nobis hic commendare expoſitio quædam Docti Interpretis hujus Cantici, qui cum Cl. Coccejo verba ultima ℣. 15. *ſcelerate tractavit rupem ſalutis*, accipiens ut deſcriptionem myſticam flagitii a Judæis in Chriſto commiſſi, hæc verba noſtra & ſuperiora ℣. 16. accepit ut complectentia elenchum *criminis* circa tempora Chriſti Jeſu a Judæis commiſſi. Inſtituit itaque prolixe probare, Judæos ſe circa tempora Chriſti reos feciſſe idololatriæ, in nimio cultu Romanorum, & Angelorum quoque, & eosdem ſacrificaſſe *non-Deo*, quando ſacrificia fecerunt in Templo poſt unicum ſacrificium a Filio Dei oblatum. Sed hæc magnam partem violenter dicuntur, quod ſalvo honore Cl. Interpretis dictum ſit, & paucis prudentibus perſuadebuntur. Propheta reſumit quæ in ℣. 15. dixerat, & quæ ibi figurate dixerat, hic plane & perſpicue effert pro more Prophetarum.

X. Extrema Elenchi continentur ℣. 18. *Rupem, quæ te genuit, oblitus es, & oblitus es Dei Omnipotentis qui te peperit*, vel *parturivit*, quæ ex hypotheſi noſtra pertinent ad tertium temporis Intervallum, quod ſupra deſcripſi. Continent elenchum gravem, qui duabus ſententiis, ſic aptatis, ut oratio in majus ſurgat, continetur. Obliti erant Dei ut Patris, &, reverenter dictum ſit, ut matris quoque. *Rupes ſalutis* eſt Pater, ut ſe manifeſtavit in Filio; emphatice Chriſtus, Filius Dei, Jeſ. LXIII. 9. angelus faciei, idemque Chriſtus Jeſus, verus ſervator populi, myſtice & in ſumma emphaſi dicitur *Rupes ſalutis*, quando manifeſtatus in carne ſe Judææ Genti præbuit ſervatorem Spiritualem, ut Populum ſuum vindica-

dicaret a peccatis, ſecundum interpretationem nominis *Jeſus*, datam ab Angelo, Matth 1.21. coll. cum Pſ. cxxx. 8. Is vero hic eleganter Judæos dicitur *genuiſſe* & *parturiviſſe*. *A*. Genuiſſe videlicet in *vocatione*

A. Ad vocationem Abrahami hic reſpici neutiquam cenſueſuerim a. Quia Deus ut *factor* & *formator*, non *Abrahami*, ſed *populi*, in hoc cantico occurrit ỳs. 6. b. Quia *parere* non præcedit, ſed ſequitur τὸ *parturire*. Non prius pariunt, quam parturiunt mulieres, unde metaphora hic deſumta eſt. *Parere* itaque ad *vocationem* Abrahami, & *parturire* ad eductionem ex Aegypto non, niſi ordinem turbaveris, referre poteris. c. Nihil huc facit Jeſ. LI. 1. cum *Abraham* ipſe, & non *Deus*, ibi cum *rupe* comparetur, ut rectius ad eum locum Cl. Auctor, & alio adſpectu emblema ibi occurrat. Ergo duo hujus verſus membra inter ſe conferamus, ac ex ſe invicem illuſtremus, ut verum eruamus ſenſum. In priore membro Deus dicitur צור *petra*, titulo metaphorico, in poſteriore אל *Deus fortis*, quo *petræ* titulus manifeſte exponitur. Verbum ילד & חולל itidem ſibi reſpondent, ut poſterius priori lucem accendat, & ejus aliquod attributum declaret, ita ut Deum non *peperiſſe* tantum, ſed magno cum *labore* ac *dolore* quaſi enixum eſſe populum, duabus illis vocibus inſinuetur. vid. Jeſ. LXIII. 9. unde patet, utrumque verbum ad *liberationem* populi ex Aegypto, omneſque alios caſus, quibus populum magno cum niſu *acquiſivit*, *formavit*, *fecit*, ỳs. 6., pertinere. Denique נשה & שכח eadem ratione ſibi accendunt lucem: *poſterius* etiam verbum *priori* vim addit & emphaſin, nec *oblivionem* qualemcunque, verum *ſummam* & perfectam intelligi demonſtrat. Radix enim שכח ejusmodi *oblivionem* dicit, qua quid penitus *obliteratur*, exſtinguitur, a lævigando & *complanando*, quæ eſt poteſtas verbi, forte petita & derivata ſignificatione. Cæterum, cum Deus hic ab epithetis, quæ ipſi ſub

tione Abrahami, quo Kimchius ad h. l. recte refert locum Jeſ. LI. 1. ubi Deus dicitur *Rupes*, ex *quo exciſi ſunt;* quod mox exponitur de vocatione Abrahami, & imprægnatione Saræ, qui Genti ſingulari Dei beneficio & providentia dederunt originem. *Parturivit* autem Gentem Judæam, ubi eam eduxit ex Ægypto labore, ut videbatur, magno: quando neceſſe habuit ad ipſos ex Ægypto educendos Populo Ægyptio gravia adeo infligere judicia, & ad populum ſervandum tot patrare miracula, quo referendus Jeſ. LXIII. 8, 9. *factus ipſis eſt in ſervatorem in omni anguſtia illorum ipſi fuit anguſtum.* Ανθρωποπαθῶς de Deo dicitur & fere ſupra fidem humanam, tum ut explicaret Propheta ſummam commiſerationem Dei erga ſuum Populum, tum quoque laborem, ut videbatur, liberando Populo impenſum. Eſt autem, quod hic dicitur, idem quod ℣. 6. & apud Jeſ. cap. 44. 24. *Sic dicit Jehovah redemptor tuus & formator tuus ab utero.* Formatus enim eſt Populus Dei, ubi tanquam Populus Dei a Deo ſolenniter agnitus, vindicatus, & formatus eſt in Rempublicam, cujus Deus ipſe appellari voluit Rex & Præſes. Pertinet autem huc quoque emphaſis vocis אל *omnipotentis*, qualem ſe Deus in Redemptione ex Ægypto demonſtravit. Sunt inter Interpretes, qui hic putant ſimul intelligi poſſe τὰ παθήματα ſive *dolores* Chriſti, per quos Eccleſiam ſeu Populum ſuum redemit: quod non ſpernerem, ſi in aliis occurreret circumſtantiis. Sed hic mentionem eſſe beneficii ve-

ſub Vet. Oeconomia competebant, unice deſcribatur, quam ſolide hic de Chriſto incarnato, primo ſenſu, cogitent nonnulli, obſcurum non eſt. vid. Jeſ. XVII. 10. Hoſ. XIII. 6. H. VENEMA.

veteris patet ex eo, quod additur, *oblitus es.* Ne jam dicam, ipſas illas paſſiones Chriſti hic myſtice proponi, ut crimen graviſſimum, quo Judæi Deum offenderunt; non ut meritum vel beneficium, quo ipſe eos ſibi devinxit Erat autem officium Populi, Deum hunc, ut talem, habere ἐν ἐπιγνώσει: illum colere; ei adhærere; beneficiorum ejus meminiſſe; ea celebrare, extollere; tum præcipue ab eodem Deo & Angelo Redemptore exſpectare Liberationem Spiritualem, qui tot Liberationes temporales iis præſtiterat per totum curſum temporis, quo Reſpublica à Deo formata ſubſtiterat. Sed contra accidit: imputat Vates Populo crimen, quod Deum rupem ſalutis, Omnipotentem, qui ipſos genuerat & parturiverat, obliti ſunt. Videtur in voce ad primam ſpeciem minor eſſe emphaſis: ſed eſt maxima: quare Prophetæ paſſim Judæam Gentem criminantes & graviſſimæ noxæ ream agentes hac voce emphatice utuntur, ut exempla ſunt Jeſ. XVII. 10. Jer. II. 32. Notat non-agnitionem Dei ut benefactoris, quod vitum eſt animi peſſimi, ſive ſit ex ſtupore & ἀνοησίᾳ, ſive indolis malitia & pravitate, ut paſſim obtinet. In illa autem non-agnitione Dei eſt incredulitas & contemptus Dei: vel enim, qui id agunt, non credunt vere Deum tantorum beneficiorum ſibi fuiſſe auctorem, vel ea beneficia tanti non faciunt, & ex pravitate eorum pretium imminuunt. Conſequens autem ejus eſt craſſa ignorantia Dei, & veri modi ac rationis ejus colendi, in quam Judæi tandem inciderunt, ut tandem nec Angelum Fœderis, qui ipſos redemerat, nec viam veram ſalutis, nec Juſtitiæ amplius cognoverint, de quo Jeſ. cap. I. I. ſeqq. Hoc vero vitium prodiderunt Judæi in omni defectione à Deo, & præſertim idololatria: ſed myſtice, quo hic alludi-

tur

tur ex ſerie orationis, ubi Filium Dei Angelum fœderis, *qui ab initio non locutus fuerat in obſcuro*, ex ignorantia maximam partem rejecerunt. ſic Johann. I. 17. Act. IX. 13. I Cor. II. 8. I Tim. I. 13. 2 Cor. III. 15. In qua oblivione Dei & ignorantia miſera Gens adhucdum ſubſiſtit. Ab altera enim parte ſtupet admirabilia effecta Regni Chriſti, ab altera parte præjudiciis excœcata non poteſt ſe exſolvere præjudiciis, ex ignorantia & oblivione Dei contractis.

Pars tertia ἐξεργασίας hujus Cantici, complexa enarrationem ſententiæ judicialis, à Deo in degeneres filios latæ.

I. HUc uſque diſputaverat Vates adverſus ingratam Gentem, eamque convicerat de neglecto in Deum officio, ejusque officii turpitudine. Nunc aliam inſtruit ſcenam, eamque ſpectatu valde lugubrem. Cum enim hactenus Deus inter tot defectiones, quibus à Gente Judæa irritatus fuerat, in omni punitione ſua eum obſervaſſet modum, ut plus dediſſet gratiæ & longanimitati, quam Juſtitiæ & iræ: nunc enarrat conſilium à Deo captum de ſumma ſeveritate in Gentem Judæam exercenda, delictisque eorum, quod Juſtitiæ ratio flagitat, pœna graviſſima penſandis, eamque pœnam & ſupplicia, Genti ingratæ decreta, prolixe & emphatice enarrat: quod argumentum eſt tertiæ partis διηγήσεως hujus Cantici quæ incipit à ℣. 19. & terminatur, ℣. 27. & quatuor membris

bris abſolvitur, prout materiæ ipſius ductus, & ordo naturalis poſtulabat. Primo narrat *affectionem* Dei erga Populum tam graviter & continue delinquentem. ℣. 19. Secundo, conſilium de noxiis pro merito ſuo puniendis, rupto baculo clementiæ & longanimitatis, ℣. 20. Tertio, modum pœnæ infligendæ geminum, ſive geminum ſupplicii genus, quorum alterum Spiritualia, alterum temporalia ſpectat, ℣. 21-25. Quarto gradum pœnæ, ſive gravitatem ejus & temperamentum, ℣. 26, 27.

Membrum primum.

Affectio divina erga Populum delinquentem.

II. *Affectio* Dei erga delinquentes, quæ primum membrum enarrationis facit, his conſtat, ℣. 19. *Et vidit Jehova & ſprevit, præ ægritudine ex filiis filiabusque ſuis concepta.* Tranſitus eſt naturalis, ſed, ut ſolent Scriptores S. de Deo loquentes, ad modum moris & affectus humani expreſſus. Poſtquam Iſraëlis poſteri tam enormiter delinquerent, & officio turpiter adeo deeſſent: primum erat, quod quærebatur, quomodo Divinus animus, liceat loqui, erga hoſce defectores & transgreſſores fœderis fuerit affectus? Id vero paucis narrat & conciſe, ſed emphatice: *Et vidit Jehova & ſprevit*, h. e. *ut vidit, ſprevit.* Vox נאץ [A] eſt *ſpernere* ex indignatione, contemptu, aver-

A. Antiquæ verſiones verbum נאץ per *vehementiore ira* & excandeſcentia eſſe *commotum* hic loci reddiderunt. LXX habent *παρωξύνθη ad iracundiam concitatus eſt*, ut vertit Vulg.

averſione oculorum; & rectiſſime uſurpatur de ſuperiore erga inferiorem, qui ab inferiore offenſus geſtu, ore, vultu, vel vultus averſione prodit, ſe indignari & ægerrime ferre, & quod geſtum eſt vehementer improbare. Sic Jer XIV. 21. *Ne ſpernas propter nomen tuum; ne dedecore afficias ſolium gloriæ tuæ*. Ergo notat in hoc loco indignationem Dei graviſſimam erga Populum, quæ ſecum ferret illius populi ἀποβολήν. Cauſſa autem *ſpretionis* & contemptus erat *ægritudo*, qua Deum ſuis hiſce actionibus & moribus affecerant, quod exprimi putamus verbis: מכעס בניו ובנותיו *præ ægritudine ex filiis ac filiabus ſuis concepta*, ſive qua filii ac filiæ ejus ipſum affecerant: vel, præ indignatione in filios & filias ejus concepta: quod ſenſu idem; licet prius Hebraismo magis conveniat. Sic fere Interp. usque ad Cl. Coccejum, qui his verbis alium dedit ſenſum ex hypotheſi ſua. Per *ægritudinem* filiorum & filiarum Dei intelligit vexationes & affli-

R ctiones

Vulg., voces enim καὶ ἐζήλωσε, quæ in textu Græco comparent, omittendæ ſunt, ut recte Doctiſſ. Maſius, mihique gloſſam redolere videntur, additæ ad τὸ *videre* Dei explicandum. Chald. habet תקיף רגזיה *fortis iracundia*, eodem verbo [illegible] hic utitur Syr. Videtur quoque ipſa radix in origine ſua hanc poteſtatem præferre, quod ex *irritandi* ſignificatu, quo in Pih. gaudet, quod eſt *facere ut quis iraſcatur*, provocare ad iram, non tantum elucet, ſed ex Arab. [illegible], quocum noſtrum נאץ, ni fallor, comparandum eſt, confirmatur. Ea enim radix ab *elevandi*, ſeſe *efferendi* poteſtate ad *iram*, qua animus intumeſcit, tranſitum feciſſe videtur. Nec ſimpliciter *ſpernere*, ſed præ *ira* & *indignatione* ſpernere, denotat apud Hebr. ut Thren. II. 6. H. VENEMA.

ctiones, quibus Chriſtiani primi temporis, Eccleſiam facientes Apoſtolicam, veri Dei filii & filiæ, affecti fuerunt à Judæis incredulis, qui Meſſiam interemerant: quam vexationem, & perſequutionem filiorum & filiarum Dei putat hic doceri, eſſe cauſſam ſpretæ Gentis ingratæ. Eſt id ſane ſubtiliter ſatis cogitatum: ſed ſive phraſin quis inſpiciat, ſive rem, diſcedit à ſimplicitate, ut vere non videatur Moſes ita loquuturus fuiſſe, ſi id dicere voluiſſet, quod Vir eruditus putat. An enim vexatio & perſecutio acris inſtituta adverſus Chriſtianos commode ſatis exprimitur nomine *ægritudinis* animi, quæ vera vocis notio eſt? Certe ſi id admitti queat, potuiſſet tamen Vates clarius loqui: vel an videtur Moſes rationem ſummam τῆς δυσβο-λῆς Gentis Judææ derivare voluiſſe à vexatione Eccleſiæ Chriſtianæ, cum tot alia eſſent propiora, & majora, quæ hic adhiberi poterant. Mitto jam, in ſuperiore contextu orationis nullam plane occaſionem dari cogitandi de ſubjecto, quod hic veniat nomine *filiorum* & *filiarum*, diſtincto ab illis filiis & filiabus, qui redarguuntur hoc Cantico, & de quo ℣. 20. ſeq. *filii in quibus nulla fides* eſt. Urget Vir Doctus, *filios degeneres* non poſſe ſatis recte dici *filios* ac *filias Dei*. Sed reſpondemus, id per totam ſcripturam fieri, quæ degeneres & rebelles vocat *populum* & *ſervos Dei*, cum reſpectu ad inſtitutionem ſtatus, & profeſſionem ſtatus publicam: de quo vid. ad ℣. 15. Utique cum ℣. 20. appellentur Judæi degeneres *filii*; filii autem notio ſit relativa: relatio autem hic nulla concipi queat, niſi quæ Deum reſpicit: patet utique illos recte dici filios & filias Dei. Ergo nos per כעס *ægritudinem filiorum & filiarum ſuarum* intelligimus ægritudinem, qua filii & filiæ Dei illum affecerunt, eodem modo, ac quo mox

ipſe

ipſe Moſes ſe eadem voce interpretatur ℣ 20. *Illi* ſc. Iſraëlitæ, כִּעֲסוּנִי *ægritudinem mihi concitarunt vanitatibus ſuis*, & dein ℣. 27. כַּעַס אוֹיֵב *ægritudo adverſarii*, eſt ægritudo, qua adverſarii vanis ſuis gloriationibus Deum afficerent, vel quæ adverſarios reſpiceret. Affixa enim poſſeſſiva apud Hebræos admittunt ſignificationem tam objectivam quam ſubjectivam, ut Jer. VII. 29. *Generatio excandeſcentiæ Dei* eſt, quæ objectum eſt excandeſcentiæ Divinæ. Obad. ℣. 10. *Violentia Jacobi* eſt vis Jacobo illata à fratre Eſavo. Sic ſenſus dicti eſt, Deum vidiſſe hos degenerum filiorum ſuorum mores cum indignatione ſumma, & ſignis variis huic Genti demonſtraſſe, mores ipſorum ſibi diſplicere, nec poſſe aut velle illos amplius ut Populum ſuum ferre, ex *ægritudine*, qua ipſorum cauſſa affectus fuerat, quamque ipſe in ipſos conceperat. Metaphorica hæc dictio arguit criminis in Deum commiſſi magnitudinem, qua ſe indigniſſimos fecerant favore divino & communione ejus, & has agendi rationes vehementer improbaſſe, & ita ſe geſſiſſe, ut ſe gerere ſolent ſuperiores erga inferiores, ſi immerito ab iis læſi ſint. *Signa* autem illa Divinæ *diſplicentiæ*, quæ hic innuuntur voce נָאַץ *ſprevit*, contempſit, ſunt *initia calamitatum*, *αἱ ἀρχαὶ τῶν ὠδίνων* phraſi Domini Matt XXIV. 8. quæ præceſſerunt Excidium Aſſyriacum, Babylonicum, & Romanum, per quæ Deus illos monuit, ſe eos deſerturum & communione ſua ac favore excluſurum, niſi ſe in melius converterent: de quo mox diſtinctius.

III. Hanc affectionem animi Divini, ſi ſic loqui liceat, ſequitur ſententia judicialis in Populum lata, exponens conſilium Dei de Populo miſſo faciendo, eoque plectendo pro criminum merito poſt longani-

mitatis ſuæ abuſum: de quo ℣. 20. *Et dixit, occultabo faciem meam ab ipſis: videbo, quodnam ſit extremum eorum, quia generatio ſunt perverſiſſima. filii in quibus nulla fides eſt.* Sententia eſt Fori cœleſtis, expreſſa voce, *Et dixit;* & ſententiæ ratio: in duo enim membra hoc colon, ſententiam ſive Conſilium Divinum de Judæorum punitione captum continens, diſtinguitur. Sententia duobus enunciatis effertur. Prima eſt: *Occultabo faciem meam ab ipſis.* Senſus eſt: privabo illos omni favore meo, cura, & providentia peculiari, qua hactenus erga ipſos uſus ſum, omnique gratiæ meæ influxu; non reſpiciam illos amplius ut populum meum, ſeparabo me ab eorum communione; permittam illos ſibi ad omne crimen excœcati, & obdurati animi, tradamque eos omnibus calamitatibus. Uſus phraſeos frequens. Deut. XXXI. 17. Pſ. LXXXVIII. 15. Jeſ. VIII. 17. Jer. XXXIII. 5. Sed hic duo obſervanda, α. Hic reſpici ad uſum phraſios Deut. XXXI. 17. β. Nullam eſſe rationem, quæ nos vetet eam accipere in omni ſua latitudine; quippe quod ſequentia ſuadent. Primus itaque ſenſus, qui ſub hac phraſi latet, eſt, Deum Judæos deſtituturum eſſe illuminatione, gratia, favore, inſpectione, & ſpeciali cura ac providentia ſua, qua hactenus gaviſi erant; eosque permiſſuros ſibi, ſuisque conſiliis. Id ad primum aſpectum videtur quid negativum, atque adeo levius: ſed in Scriptura proponitur ut Judicium omnium graviſſimum, quod Deus ut extremum malorum peccatori infligit. Sic Vates ſacer de eodem ſubjecto, Pſ. LXXXI. 19. *Et ego illos miſſos feci, ut incederent ſecundum ſententiam cordis ſui; ut irent in conſiliis ſuis.* Ratio eſt, quod, qui à Deo deſtituuntur, ſimul tradantur Satanæ ad conſilia ſtulta & carnalia, tendentia ad exitium ipſorum temporale

tale

rale & æternum, ut adeo hoc malo involvantur. α. Excæcatio & induratio ſpiritualis ad omnem errorem improbitatem, libidinem, ſcelera, flagitia, ſenſumque reprobum. β. Secundo ad calamitates omnis generis, hujus ſtatus ſpiritualis conſequens, à Deo irato hominibus immiſſas, ut patet ex loco cap. 31. 17. modo allegato. Huc pertinet locus Michæ inſignis, cap. VII. 4. *Dies ſpeculatorum tuorum venit, nunc erit perplexitas eorum*, h. e. Dies manifeſtationis Regni Chriſti, qui prædictus erat à Prophetis, tanquam Dies gratiæ, & ſeveritatis extremæ in Judæos carnales, veros Dei & Juſtitiæ ejus oſores.

IV. Alterum enunciatum eſt, *videbo quis ſit finis eorum*, h. e. *quem exitum habeant conſilia illorum ſtulta*, carnalia, à præſcripto Legis & Evangelii abhorrentia? quorſum tendant. Metaphora non id tantum monet, Deum ut otioſum ſpectatorem (reſpectu ſc. habito non ad ordinariam & communem, ſed ad extraordinariam ejus providentiam & curam, qua hactenus circa Judæam Gentem verſatus fuerat:) Judæos obſervaturum eſſe ſtultis conſiliis ſuis pereuntes, negato iis ullo auxilio, totiens ſpreto: ſed ex hoc ipſo conſpectu delectationem capturum eſſe, ut dicitur Pſ 11. 4. *Deus qui in cælis habitat ridebit*. Prov. I. 26. *Ridebo in exitio eorum*, quod de Deo ἀνθρωποπαθῶς dictum prudenter intelligi debet; non vere, acſi exitium hominis miſeri, & ſtultitia ſua voluntaria pereuntis, Deo delectationem adferat; ſed quod mala, quæ graviſſimi peccatores juſte perferunt, maxime conveniant rationibus Divinæ Juſtitiæ, in cujus exercitio Deus acquieſcit, & ſibi placet.

V. Adſcribitur ratio tam gravis & feralis ſententiæ, quia ſunt *generatio perverſiſſima, filii, in quibus nulla*

fides eſt. In Hebræo eſt *generatio perverſitatum*, ſive, ſi proprie loqui liceat, *inverſitatum*, contrarietatum, h. e. perverſiſſima, quod jam dixerat ỳ. 5. *Generatio contorta & implicita*, tum quod Judæi ſententias foverent in negotio Religionis in ſe mutuo incurrentes; quod vellent gaudere prærogativis Populi Dei, & tamen ſequi idololatriam Gentium, tum quod ſemper in negotio ſalutis cum reſpectu ad viam & medium ſalutis aliud vellent ac Deus volebat; ut cum Deus fidem præſcriberet, illi opera; Deus illis paraſſet ſalutem & Salvatorem ſpiritualem, illi vellent carnalem & temporalem, de quo dicta non repeto. Tantum obſervanda emphaſis in voce אמון, quæ tam fidem quam conſtantiam & fidelitatem notat. Judæi carnales non habebant certam & ſtabilem de Religione ſententiam, ſive, יצר סמוך cogitationem firmam, ſolidam, Jeſ. XXVI. 9. unde ſemper variabant. Certa autem & ſolida cogitatio in negotio Religionis unica eſt, cum abnegatione ſui ipſius & ſuæ juſtitiæ quærere juſtitiam apud Deum in Mediatore Teſtamenti Gratiæ per fidem, ex dicto Prophetæ Jeſ. XXVIII. 16. Hab. II. 4. Atqui hæc cogitatio id ipſum eſt, quod *fides* dicitur. Inde *infidelitas* & *inconſtantia* eorum in obſervandis pactis fœderis, cum iis initi: inde hypocriſis, à Prophetis & Chriſto Jeſu caſtigata.

VI. Et hæc quidem ſufficiunt ad ſenſum verborum Grammaticum intelligendum, ſed non ad propheticum. Reſtat enim quod quæratur, in quem temporis articulum ſententia hæc, & ſententiæ executio inciderit? quando Deus id dixerit, quod in *initio* hujus *verſiculi* habetur. *Et dixit*. De quo ut prudenter judicemus, repetendus eſt Canon, quem præſcripſi & adſtruxi ut certiſſimum in *Anacriſi* hujus Cantici,

tici, videlicet Prophetas, qui præceſſerunt Exilium Babylonicum, ubi Judæis prænunciarunt ſumma & graviſſima mala, ipſis olim immittenda, in oculis habuiſſe utramque calamitatem tam Aſſyriacam & Babylonicam, quam Romanam, & calamitatem Aſſyriacam & Babylonicam reſpexiſſe, ac reſpici velle, ut præludium vel proſcenium Romanæ; rurſus Calamitatem Romanam ut complementum Babylonicæ. Id vero idem ibi dixi eſſe clavem hujus Cantici recte intelligendi. Qui Prophetas antiquos Jeremiam, & Ezechielem, legit, ex iis clariſſime intelligit, calamitates Genti Ephraimiticæ & Judææ illo tempore infligendas & inflictas fuiſſe graviſſimas: atque adeo abſurdum ſit, ea mala non comprehendere ſub occultatione faciei Divinæ, quod Interpretes aliqui inſtituunt, hæc mala unice reſtringentes ad Calamitatem Romanam. Dices, Deum memorem gratiæ ſuæ, Populum ex illa afflictione rurſus liberaſſe, & terræ ſuæ reddidiſſe. Reſpondeo, occultationem faciei Dei ab hac Gente omni tempore & caſu futuram, vel factam, ſemper intelligendam eſſe cum reſpectu ad reprobos, qui majorem Populi partem facerent, exceptis electis; idque ipſum quoque obtinuiſſe in reprobatione Judææ Gentis, facta tempore Evangelii. Res hic plane eadem eſt. Electi ſemper judicio divino excepti ſunt. Ergo ſecundum hanc hypotheſin occultare Deus cœpit faciem ſuam ab Ephraimitis poſt mortem Jerobaami, quando, cum exſpiraſſet tempus Divinæ Longanimitatis, Populus per factiones & turbas civiles primo ſe ipſum conſumpſit, dein conſumptus eſt ab hoſtibus, ex prophetia Jeſ. ix. 18, 19. Occultationis faciei Dei reſpectu Judæorum varii ſunt articuli: ſed verum & ultimum tempus deſignatum

natum eſt ab Ezechiele cap. x. 1. ſqq., ubi Propheta vidit gloriam Jehovæ, quæ hactenus incubuerat arcæ, ſe loco ſuo moventem, & primo procedentem ad limen Templi, inde ad portam Orientalem. Eſt autem edita Viſio ſexto anno poſt deportationem Jechoniæ, menſe ſexto, die quinto, ut liquet ex cap. VIII. 12. Erat igitur ille annus ſextus Tſedekiæ Regis, uno aut altero anno ante fatalem Reipublicæ deſtructionem. Verum terminus ultimæ occultationis faciei Dei ab hac Gente incidit in undecimum Neronis, qui primus eſt præfecturæ Geſtii Flori, Ae. Chr. 65. quique præceſſit fatales Reipublicæ motus. Ad illum enim annum referendum eſt, quod Joſephus narrat Bell. Jud. L. VII. Cap. XII. auditam eſſe in Templo vocem: *Migremus hinc*. Mox ſequuta fuit triſtis caligo, & longa inexplicabilium calamitatum ſpiritualium & temporalium ſeries, ruptis duobus *Pedis Paſtoralibus* Concordiæ inter ſe & cum Romanis, Zach. XI. 10. 14. Sed quod Deus tum finaliter & complete executus eſt, jam *dixerat* ante ſe facturum. Quando vero & per quem dixit? Per Jeſaiam inquam, qui hoc Judicium Dei in Gentem clariſſime revelavit, cap. VI. 1. ſqq. VIII. 15 XLII. 1. ſqq. LIII. 1. &c. Inde Joannes cap. XII. 39. *Ideo non poterant credere quia iterum dixit Jeſaias*. Matth. XIII. 14. Hujus dicti Dei per Jeſaiam enunciati conſequens fuit excæcatio & induratio in præjudiciis ſapientium carnalium, ſpirituali faſtu turgentium, & plebis miſeræ illos ſequutæ, ad quam Dominus, Matth. XXIII. 38. Luc. XIX. 42. Dixit itaque per Jeſaiam, quod finaliter tandem exequutus eſt, ſed cum temperamento gratiæ.

VII. Hæc hactenus de ſententia Judiciali: ſequitur tertio *modus* ſententiæ exequendæ, qui quidem geminus

nus eſt per Judicia Spiritualia & temporalia. *Spirituale* Judicium, ℣. 21. *Ipſi me ad zelum provocarunt per non Deum &c.* In Grammatica interpretatione ſententiæ nihil eſt, quod nos moretur. Quod ad rem ipſam, patet ea inſpicienti & patebit ex ſequentibus, his verbis deſcribi modum pœnæ, quam Deus imponeret Iſraëlitis: quod Deum idololatria & vanitatibus ſuis offendiſſent, hoc eſt, cum ipſi, ſpreto Deo ſuo, cui ex fœdere obſtricti erant, alios ſibi feciſſent & elegiſſent Deos, quo ipſo Deum graviter offenderant atque irritaverant: illum viciſſim, ipſis ſpretis, alium electurum eſſe Populum, cui ſe in gratia revelet, Gentes videlicet à communione Dei & Eccleſiæ alienas, ſtulta hactenus ſequutas conſilia, idque ita facturum eſſe, ut Judæis conciliet ægritudinem & dolorem animi. Hic ſenſus ultro ſe legenti offert: qui involvit magnum beneficium conferendum in Gentes, & triſte Judicium exequendum in Iſraëlitas: Deum videlicet ipſis, vel majore ipſorum parte ſpreta, electurum & ſibi vindicaturum eſſe Gentes in populum; ut adeo involvant hac verba magnum illud μυςήριον ἀποβολῆς, reprobationis majoris partis Judææ Gentis, & ἐυλογῆς electionis Gentium ad Divinam communionem: quem ſenſum Apoſtolus quoque his verbis dedit, ac demonſtravit, Rom. x. 19. Et tamen Judæi, & ex noſtris quoque Judaizantes, qui omne μυςηριῶδες fugiunt in Scriptis Prophetarum, licet ſenſum nullum alium tolerabilem dare poſſint his verbis, quærunt tamen latebras & effugia: quæ verba relegendo atque exponendo detegam.

VIII. Verba Vatis continent *culpam* & *pœnam*, eamque, ut videbimus, ſpiritualem. Culpa continetur hoc priore membro: *Illi me ad zelum provocarunt*

per non Deum, per vanitates ſuas me irritarunt, ſive *ægritudine affecerunt*. Per לא אל intelliguntur idola Gentium, quæ dicuntur לא אלה. עֹּ ſ 17. Senſum eſſe demonſtravi in idolis nihil minus eſſe quam divinitatem. Hic vero emphaſis eſt in voce אל, ut לא־אל ſint Dii, in quibus nihil minus eſt quam potentia. Iidem dicuntur הבלים A. *vanitates*, quod ſint divinitates falſæ & fictæ, ſecundum id, quod Ap. 1 Cor. VIII. 4. quæ ut ipſæ non ſunt & demonſtrari poſſunt, non eſſe: ſic cultus eorum in nulla fundatur ratione, quodque cultus eorum non tantum nihil proſit, ſed & obſit, ut ſi magno ſumptu ac labore in eorum cultu verſatus fueris, tandem deprehendas, rem tibi vertiſſe in pejus. Conferatur locus inſignis 1 Sam. XII. 21. Nec tamen ego ſignificatione *vanitatum* excludo *ſuperſtitiones* operoſas, poſt abolitam idololatriam

A. Partes ſententiæ ita ſibi reſpondent, ut poſterior ſit *prioris* explicatio, ejusque ſenſum & emphaſin pandat. Idola ſunt לא·אל *nihil minus quam Deus*, ſed הבלים *vanitates*, quæ nihil habent *virtutis*, aut *roboris*, ut אל: ſed *vapor* & halitus: quæ vocis הבל vera eſt ſignificatio, ut recte Cl. Coccejus in Lex. & ad Eccleſ. I. §. 12. Sic de idolis Jeſ. XLI. 29. רוח ותהו *ventus & vanitas*. vid. & 1 Sam. XII. 21. Eadem ratione poſterioris membri partes inter ſe comparandæ ſunt. Gentes ſunt לא·עם *nihil minus quam populus*, ſed *gens ſtulta:* לא·עם ergo eſt populus *non ſapiens*, verſ. 6. ubi vid. dicta. Sed aliud ad ſermonis elegantiam obſervandum eſt. Quemadmodum לא·אל & לא·עם ad ſe invicem reſpiciunt: ſic, הבלים & גוי-נבל *vanitates* & *gens ſtulta* inter ſe conferendæ ſunt: הבל *vaporem*, rem leviſſimam, dicit, quæ nihil habet ſolidi: נבל proprie *marcidum* denotat, in quo nihil *roboris*, *vigoriſve*. Idola erant הבלים, ſi cum *Deo* אל comparentur: gentes גוי-נבל ſi ad Iſraëlitas referantur. H. VENEMA.

triam in Religionem introductas à Pharisæis, in quibus docebant conſtituendam eſſe juſtitiam operum, quod Deus ægerrime tulit. Id Moſes emphatice ita effert: *ad zelum me provocarunt & irritarunt*, de eo jam vidimus ad ℣ſ. 19. *zelus* & *ægritudo* animi ſunt affectus violenti, orti ex honore, quem quisque ſibi carum habet, læſo; de Deo uſurpati docent, in idololatria & quæſitione juſtitiæ propriæ eſſe, & committi maximam læſionem Divinæ Gloriæ, quam Deus ſibi cariſſimam habet, ac proinde, effugere non poſſe ſeveram animadverſionem qui hac parte Deum offenderint Vide phraſin 1 Reg. XVI. 13. 26.

IX. Alterum membrum: *Et ego eos ad zelum provocabo per non-populum, per Gentem ſtultam iis conciliabo ægritudinem.* Verba vere myſtica, quorum ſenſum ſupra jam indicavi, nempe Deum loco Judæorum, quos aſſumpſerat in Populum, ipſis ſpretis, electurum eſſe Gentes in Populum, cum manifeſtiſſimis gratiæ, ac favoris ſui indiciis, & hoc ipſo ad invidiam & æmulationem provocaturum eſſe Judæos, à quo ſenſu qui diſcedunt, nihil hic adferre poſſunt quod ſatisfaciat verbis. Eſt Vir Doctus, qui, cum hunc ſenſum fugeret, id velle Moſen dixit, Deum Babyloniis indulgendo victorias in Judæos commoturum zelotypiam Judæorum. Babylonios vero dici non Populum & Gentem ſtultam, quod illorum Leges tam malæ ſint, ut illorum Reſpublica ſimilior videatur latrocinio quam Politiæ. Sed hæc interpretatio miſere laborat. Ut enim à poſteriore ordiar, abſurde dicitur, Babylonios, qui ſuis ſuberant Monarchis, ut cæteri Populi Orientales, hoc ſenſu dici poſſe *non Populum* & *Gentem* ſtultam, reſpectu externæ politiæ. Hæc itaque fruſtra & abſque ratione dicuntur.

 tur.

tur. In Politia Babyloniorum externa nihil plus vitii fuit, quam in ea Iſraëlitarum. Interpres aliquis Judæus eo refert dictum Moſis, quod Chaldæi dicantur non *fuiſſe populus*, Jeſ. XXIII. 10 ſc. quod olim non fuerint populus ſpectabilis. Verum id quoque præter rationem, quia, ſi hic reſpiciatur ad Chaldæos & Babylonios, debent illi reſpici quo ſtatu erant, cum Deus ipſis utebatur ut executoribus Judiciorum ſuorum, quando Regnum faciebant maximum & ampliſſimum in Orbe. Sed quod ad prius: ſi Judæi per victorias Babyloniorum ad Zelotypiam revocarentur: ſupponere illi debebant, Chaldæos hac prærogativa gaudere per favorem & auxilium Dei Iſraëlis. Sed id certe idololatræ inter Judæos non credebant. Adſcribebant illos ſucceſſus favori Beli Babylonici, ut Dei potentioris: quod non potuit eſſe argumentum, illos abducendi ab idololatria, ſed contra, eam perſuadendi. Recte id applicatur ad Romanos, ut mox videbimus, & eorum victorias de Judæis, quando jam renunciaverant idololatriæ. Sed interpretationem de Chaldæis non admittit.

X. Ergo alio nos vertamus. Per לא־עם *Non populum & Gentem ſtultam* intelliguntur *Gentes*, alienæ à Republica Populi Dei, non directe cum reſpectu ad ſtatum earum civilem, ſed ſpiritualem & religioſum, quod *excluſi* eſſent communione Dei, & væſanas foverent de Divinitate ac Religione ſententias. לא־עם *Non populus* eſt *Populus* à Deo vero non electus in Populum; in electione Populi præteritus; excluſus Divina communione & gratia: abalienatus à politia Iſraëlis, & extraneus quod ad pacta promiſſorum Gratiæ, Epheſ. II 12. Sic manifeſte phraſin interpretatur Hoſeas, cap. I. 10. Confer Deut. VII. 6. *Quia populus ſan-*

ſanctus es Jehovæ Deo tuo, te elegit Jehova Deus tuus ut ipſi eſſes populus peculiaris ex omnibus populis per ſuperficiem terræ. Hujus reſpectu Gentes ſunt לא־עם *Non populus*. Eædem ſunt גוי נבל *Populus ſtultus*, reſpectu abſurdæ Religionis, ſive potius ſuperſtitionis & idololatriæ, cui Gentes illæ ſe mancipaverant; & illæ præcipue, quæ hic reſpiciuntur, per quas Deus Populum ſuum ad zelotypiam commoveret, eumque ægritudine afficeret: ſunt autem Aſſyrii, Babylonii, Syri, Romani De Aſſyriorum & Babyloniorum idololatria, quam *fœdam admodum* appellat ipſe Herodotus, videndus eſt hic Hiſtoricus, Lib. 1. p 92. ed. Steph. Syrorum & Phœnicum ſpurciſſimos ritus in Religione, & præcipue in cultu Veneris, omnes Hiſtorici notant. Romani, licet eſſent populus civili prudentia excultus, omnium tamen Gentium in fœda plurium deorum idololatria, eaque ſtulta & inſana, fuerunt ſuperſtitioſiſſimi, ut ex hiſtoria Gentis patet.

XI. Per has autem Gentes Deus Judæos dicitur ſecundum Legem talionis acturus eſſe ad *Zelotypiam & ægritudinem animi.* Duæ voces adhibentur, metaphorice hic uſurpatæ. Eſt autem metaphora hic manifeſte deſumpta à marito, qui cum ab uxore ſua illicitis amoribus indulgente ſe ſpretum videat, & inde ægritudine affectus, ut viciſſim ipſi ægre faciat, & ad zelotypiam commoveat, non ſimulate ſed aperte amorem & affectum ſuum ad aliam transfert, ignobiliorem etiam mulierem; eamque, uxore ſua ſpreta, ut videtur, in torum aſſumit. Quo ipſo ſignificatur, a. Deum, ſpreta ac repudiata majore parte Gentis Judææ, favorem ſuum converſurum ad Gentes, idque duplice ratione, primo, quod illo etiam tempore,

quo Judæi firmiter tenebant, Deum Patrum ſuorum unum eſſe verum Deum, à quo fata Mundi dependent, Gentibus in ipſos indulgeret victoriam: quod factum, ubi à Romanis ſubacti, & Reſpublica illorum exciſa eſt. Deinde, quod Gentes vocaret per verbum evangelii ad veram notitiam & fidem Dei Iſraëlis, & cum iis communicaret bona gratiæ ſuæ, easque aſſumeret in filios ſuos & in fœdus, ut adeo Abraham in Gentibus acciperet filios multos, Hoſ. I. 10. quæ pœna eſt ſpiritualis ἀποβολῆς, quam experti Judæi tempore evangelii. b. Deinde ſignificatur, Deum hoc ipſo Judæos affecturum eſſe ægritudine, quod viderent ſe à Deo ſpretos, & Gentes gaudere beneficiis Divinæ Providentiæ & Gratiæ, quæ illi putabant ſibi ſolis deberi Id Judæis adeo eſt moleſtum, ut quosdam eorum agat in deſperationem & Blaſphemiam, ut patet ex Jeſ. VIII. 21. 22. Imo primi Chriſtiani ex Judæis ipſi hoc myſterium nondum perfecte intelligentes ægre ferebant, Petrum Gratiam divinam communem feciſſe cum Gentibus Act. XI. I. ſqq. Significatur, Deum tamen hoc ipſo medio uſurum eſſe ad Judæorum converſionem, ut tandem, poſtquam clare viderint, divinam Gratiam tranſlatam eſſe ad Gentes, ad ſe redeant, & zelo bono commoti ſtudeant ſe relictis vanitatibus Deo rurſus unire, & ad ejus reverti communionem, ut veniant in partem ejusdem Gratiæ, quam Gentibus impertivit. Ideo Vates adhibet vocem הקניא ad *zelum movere*, cum enim ſit zelus æque vitioſus ac laudabilis, ac malus & damnabilis, id myſtice involvitur hac voce, Gratiam Gentibus impertitam tandem verſum iri in argumentum, quo Judæi diu excluſi fœdere Dei moveantur rurſus ad

offi-

officium & Deo reconcilientur, ſic Paulus Rom. xI. 14.

XII. Hujus interpretationis veritatem perfecte demonſtravit eventus. Videmus Judæos hoc ipſo tempore in eo ſtatu, qui hic deſcribitur, & in Parabola Luc. xv. 28. *Filius ſenior* ὠργίσθη. Judæi ſumma afficiuntur ægritudine, quod viderint Gentibus favere Deum ſua providentia, cujus beneficia ſibi negantur, & ſe per judicium divinum ſubjici gentibus ad ſervitutem, dum ſoli inter omnes Populos terrarum Orbis per Orbem totum vagabundi Republica & Regno carent. Altera invidiæ ratio eſt, Gentes profiteri communionem Dei Abrahami, ejusque fidem, ſe dicere eſſe verum Dei Populum, & venire ſecum in communionem ejusdem ſpei. Uruntur & rumpuntur, dum id vident & audiunt. ut Act. XIII. 45. *Viſa autem turba Judæi repleti* ſunt ζήλῳ. Sed hic ζῆλος πικρὸς aliquando tranſiturus eſt in παραζήλωσιν laudabilem, ut exſpectamus. Interim ex his, quæ dixi, conſequitur, α. Contineri his verbis pœnam ſpiritualem rejectionis Judæorum & electionis Gentium. β. Comminationem hanc præcipue implementum conſequi debuiſſe ſub Oeconomia Nova ſecundum hypotheſin ſuperius demonſtratam: cum implementum hujus Pericopæ alio tempore demonſtrari nequeat. Denique γ. In ea obſervatam eſſe legem talionis. δ. Pœnam hanc ſpiritualem eo cum temperamento à Deo infligi, ut tandem ſecundum divitias Divinæ Gratiæ convertenda ſit in beneficium Gratiæ, hoc eſt. ζῆλον πικρὸν Judææ Gentis vertendum eſſe in παραζήλωσιν, quod eveniet in fine temporum, ubi viderint deſtructam idololatriam & ſuperſtitionem, & Liberationem Eccleſiæ.

XIII.

XIII. Et hoc quidem prius eſt ſupplicii genus, ſive modus pœnæ Judæis imponendæ. Sequitur alterum Malorum corporalium, eorumque graviſſimorum, quibus affligendi eſſent, à ℣ſ. 22. uſque ad ℣ſ. 26. his verbis: *Quia ignis ardet* in naſo *meo*, &c. Legenti pericopam integram, duo clariſſime patent, a. Deſcribi ea graviſſima mala temporalia, quibus Deus proſequuturus eſſet crimina idololatriæ & defectionis adverſus ſe commiſſa: & quidem b. eadem illa, quæ Moſes iis interminatus fuerat ac late deſcripſerat; Lev. XXVI. 14. ſqq. Deut XXVII. 28. 29. Sunt autem duo, quæ requiruntur ad intelligentiam Pericopæ, a. Ut ſenſum demonſtremus b. Ut videamus, cui tempori conveniat implementum. Prius nos hoc tempore minus exercebit, quia Interpretes hic paſſim officio bene uſi ſunt. Ergo id ſolummodo agam, ut paraphraſtice verba percurram, & ſi quid dubii occurrat, expediam.

XIV. Pericopa eſt bimembris. Primo occurrit præfatio, quæ exhibet generalem aſpectum malorum, eorumque effecta, ℣ſ. 22. 23. Secundo, ſpecies malorum particulatim deſcribuntur, ℣ſ. 24. 25.

XV. Prius his conceptum eſt verbis: *quia ignis eſt accenſus in naſo meo.* A Sic recte Interpres: etſi nihil vitii eſt, ſi quis vertere velit in *ira mea.* Sed *ignis* eſt ipſa

A. Vehementiam ſermonis irati, majeſtatemque orationis, non illa, ſed hæc verſio exprimit. *Certe ignis proſilit in naſum meum*, perque eum erumpens *ardebit uſque ad orcum infimum:* קדח propric eſt *emicare*, *proſilire*, אף naſum dicit, & *iræ* concitatioris ſedes eſt, de quo conſulendus eſt Cl. Schultens Orig. Hebr. l. 1. c. 2. Quod vero כי red-

ipſa *ira* Dei, & ſtylo ſcripturæ iræ Dei ſedes ſive ſignum dicitur eſſe in naſo, Pſ XVIII. 9. 16. Metaphora ab irato, qui gravius ex naſo exhalat. Significatur hac metaphora. α. Pœnæ gravitas. β. Neceſſitas, quod faciat ad Gloriam Dei eam infligere. γ. Studium Dei intenſiſſimum in ea infligenda. Tantum obſervandum, voculam כי ſic connecti cum pericopa ſuperiore, ut utriusque involvat rationem. *Et ardebit usque ad inferiora inferni.* Senſus eſt, effecta ejus non tantum conſpicientur in terra, ſed & infra terram, ut in Judicio Sodomæ & Gomorrhæ, & Hieroſolymæ, quod hic peculiare. Proprie hic eſt *exarſit*, ſc. ſtylo Prophetico, futura pro præteritis. *Et abſumet terram & proventum ejus*, hoc eſt, conjungetur cum deſolatione terræ. *Et inflammabat* fundamenta montium, hoc eſt Montes ipſos loco ſuo movebit. Obſervanda emphaſis, non montes, ſed *fundamenta* ℣ſ. 23. *Accumulabo in ipſos mala.* Sic recte vertitur: vox אספה *A* hic idem valet quod συνάγειν, ſive quod hic

T ἐμφα-

reddiderim *certe*, *profecto*, ſic poſtulante orationis emphaſi & nexu, nihil commiſi a voculæ frequenti uſu alienum. Habet enim ſæpiſſime *aſſeverationis* poteſtatem. ut Jeſ. XLIX. 18, 19. Gen. IV. 23, 24. Deut. IV. 22. Mich. VI. 4. Zach. IX. 13. ſæpe alibi. Illud adhuc notandum ב in באפי non tantum *in* ſed & *per* ſignificare, ut ignis non tantum *in naſum*, ſed & *per eum* proſilire dicatur, quod ſequens membrum omnino exigit. vid. Jer. XIV. 14. XVII. 4. H. VENEMA.

A. Verte, *corradam ſuper eos mala*, undique aggeram, & conquiſita effundam, vel, *radere faciam ſuper eos mala*, ad modum tempeſtatis, ſentiesque orationis emphaſin augeri. Vid. Cl. A. Schultens Origin. Hebr. l. 1. c. 13. H. VENEMA.

ἐμφατικώτερον eſt, *συναθροίζειν*, congregare, aggregare. Senſus eſt, miſeriam calamitatemque illorum non conſtituram eſſe uno malo: ſed plura concurſura eſſe ad *illos miſeros faciendos*. *Tela mea conſumam in ipſos*. O grave & tremendum dictum! Poteſt Deus hominem miſerum, quem perditum vult, uno telo ſic ferire, ut eum plane proſternat. Quod futurum erit, ſi Deus tela & ſagittas plures mittat, quid ſi ea in homine feriendo conſumat! Eſt enim in hac pericopa triplex gradatio. Per *tela Dei* ubique in Verbo Dei intelliguntur mala judicialia, tendentia ad hominis exitium, quæ Deus pro juſtitiæ ſuæ ſerveritate iis immittit, ut deinceps ℣ſ. 42. Confer Pſ. VII. 14. XXXVIII. 3. Sic dicuntur, α. Quod à Deo omnipotente & omniſcio ad ſuos fines certo dirigantur, β. Certo preſſoque conſilio. γ. Magna vi cum demonſtratione omnipotentiæ δ. Ad interiora ſtatus penetrent, eumque ſubvertant, quippe ad eas partes diriguntur, in quibus homo lædi poteſt. ε. à Deo irato & cum hominibus belligerante proveniant. Teſtantur illa, bellum eſſe inter Deum & hominem, & Deum cogitare de homine ſevere puniendo.

XVI. Hæc pertinent ad propoſitionem generalem, in qua Vates non ſubſiſtit. Enarrat itaque particulatim, quænam tela, quas ſagittas iræ Divinæ ipſe maxime reſpiciat. Sunt autem in interminationibus divinis, ad quas Moſes hic alludit, ſpeciatim recenſita, & in his inſignia, fames, peſtis, lues, bellum, gladius, cum omnibus ejus triſtibus conſequentibus. Primum eſt ℣ſ. 24. מזי רעב *Uſti erunt fame*, voce derivata à Chaldæo אזא

ure-

urere, [A] cum aliud etymon non pateat Cappellus vertit, *ardores famis*, mutans concretum in abſtractum: quod ferri poteſt. Sed ſequens membrum minus favet interpretationi. Metaphora eſt inſignis. Fames *urere* dicitur quod hominem exedat & depaſcatur, abſumat, & veluti ab igne intus urente ac coquente abſumeretur, cuti ejus conciliet atrorem, quo reſpicitur Thren. v. 10. Extat hoc malum in interminationibus Dei. Deut. XXVIII. 48. *Cum fame, cum ſiti, cum nuditate, & omnium rerum penuria.* Alterum, & *abſumpti anthrace, & exitiali malo amaro:* quæ duo inter ſe conjungo, quod eodem ſpectent. Cappellus vertit, *æſtum anthracis*, quod nos, *abſumptos anthrace*, derivans vocem לחומי à חמם. Sed non eſt hic neceſſaria fictio vocis novæ & ignotæ, & rariſſimæ conſtructionis. Vocis רשף hic certa ſignificatio eſt; [B] Notat *prunam* peſſilentialem, ſive anthracem,

 aut

A. Et hic Cl. Schultens obſerv. Phil. rem acu tetigiſſe videtur, cum vertit: *exſucti fame* ex Arab. مصر, quod τῷ מצה & מצץ Hebr. reſpondet. Coccejo, viro doctiſſimo, idem fere in mentem venerat: ſic enim in Lex. ſubjungit. *Quid ſi referamus* ad מצה, *ut notet exſanguem, exſuccum?* LXX, qui dederunt τηκόμενοι, ſimile quid forte intenderunt. H. VENEMA.

B. Vocis רשף adeo certum eſſe ſignificatum, quo *anthracem* denotat, non exiſtimaverim. Scripturæ enim loca, in quibus reperitur, *tremulæ vibrationis* in igne & fulmine cogitationem quidem ſuſcitant, ut recte, meo judicio, advertit Cl. Guſſetius, ſed *anthracis* intellectum non ſuppeditant. Job. v. 7. בני־רשף *altum volant coruſca utique vibramina ignis*, ſeu filiæ coruſcationis, *ſcintillæ*. Pſ. LXXVI 4. רשפי־קשת ſunt *fulmina arcus*, ſeu ejus vibramina, id eſt, *tela* inſtar fulminum. Cant. VIII. 6. רשפיה

רשפי־

aut qualemcunque tumorem corporis, cum vehementi inflammatione conjunctum, qui corpus cito depaſcitur, ut ſumitur vox apud Hab. III. 5. unde petenda eſt hujus loci interpretatio. *Coram ipſo procedit peſtis, & exit* רשף *pruna peſtilentialis*, carbunculus, ante pedes ejus. Latior paulo ſignificatio eſt vocis קטב, quæ notat qualecunque malum *exitiale*, *A* ut eſt *lues* variæ

רשפי־אש *coruſcationes ejus* (amoris) *ut vibramina ignis*. Nec alio ſenſu occurrit. Hab. III. 5. *Ante ipſum prodibit* דבר *peſtis* vulgo, ſed LXX & Theod. λόγος, quod non ſpreverim, *& egredietur ad pedes ejus* (poſt ipſum) רשף *vibratio coruſca*, ſeu fulmen; quod textui egregie convenit: fulguratio enim & majeſtatis Divinæ ſignum eſt, & hoſtium conſumtrix. Sic Pſ. LXXVIII. 48. *Tradidit grandini armenta ipſorum, & paſcua ipſorum* לרשפים *fulminibus* cœlo lapſis. Sic noſtro loco לחמי־רשף ſunt *comeſti fulguratione*, velut qui ſiderati & fulmine tacti tabeſcunt. H. VENEMA.

A. Radix קטב proprie eſt *ſcindere*, *ſecare*, quemadmodum ex Arab. & Chald. lingua patet, ita ut vicinitate radicis קצב, ad quam hic confugit Güſſetius, opus non ſit. Sed metaph. ſignificat apud Arab. *miſcere* & *diluere* vinum, quaſi dicas *ſecare* aqua alioque liquido admixto, quo in linguis nihil eſt frequentius. Hinc, ut ſæpe fieri aſſolet, in deteriorem partem verſo uſu ad *venenatas*, & amarulentas mixtiones factus eſt tranſitus, ita ut vox קטב recte a Cl. Coccejo in Lex. reddita ſit *venenum exitiale*: noſtro loco ad ejuſmodi *mixturam* omnino reſpicitur, ut ex epitheto מרירי elucet, קטב מרירי eſt *potio amarulentiſſima*, felle venenato temperata. Solet enim hæc vox in *felle* venenato ſpeciatim frequentari. Job. XX. 14. מרורת פתנים eſt *amaror aſpidum*. vid. & verſ. 25. XVI. 13. ubi *fel* denotat. Sic verſ. 32. noſtri cap. אשכלות מררת *botri amarorum*, & ענבי־רוש *uvæ venenatæ* conjunguntur. Cæterum

variæ ſpeciei. Pſ xci. 6. Eſt autem peſtilentia, malum tremendum, inter interminationes Moſ. Deut. xxviii. 21. *Adhærere tibi faciet Deus peſtilentiam, usque quo conſumpſerit te, &c.* Tertium; *Et dentes beſtiarum mittam in eos cum veneno repentium in pulvere*, h. e. ſerpentum. Beſtiæ ſive feræ tempore famis ipſæ quoque maxime ſæviunt in homines & jumenta, ſuntque inter inſtrumenta, quibus Deus utitur in hominum exitium, præcipue in regionibus Orientalibus, ubi ferarum copia eſt. Eſt de eo inſigis locus Ezech. xiv. 21. ubi Deus quatuor malis deſtructurus dicitur Hieroſ. peſte, fame, feris & gladio, pariter Ap. vi 8. ubi ſeſſori *Equi* pallidi in mandatis datur, ut quartam hominum partem *per famem*, peſtem, bellum, & feras terræ perdat. Eſt autem hujus quoque mali exerta mentio in interminationibus Moſaicis, Levit. xxvi. 22. Nihil hic præterea habeo quod obſervem, quam vocem בחמה quoque uſurpari de feris. Sequitur quartum, ỳſ. 25. *Foris orbabit gladius, dum terror erit in penetralibus, etiam juvenem, etiam virginem, lactentem, cum cano* In re ipſa nulla eſt difficultas. Tantum obſervanda gradatio. Videbantur intus ſaltem ſecuri eſſe poſſe. β. Forte ju-

terum cum Chald. pro מרירי habeat ריחין בישין *ſpiritus malos*, mihi vel ad atram bilem, ſeu *melancholiam*, quæ מרה שחורה audit apud Rabbinos, & Spiritui malo adſcribitur, ut vel ex hiſtoria Saulis conſtat, vel ad uſum vocis מרירי, qua *infortunia* dicit, reſpexiſſe videtur, quam ſignificationem vocis ex Arab. adſtruxit Cl. Schultens ad Job. iii. 4. ubi itidem notavit, Diabolum dici ابو مرة *patrem infortunii*. Sic Chald. בישתא ומרירא *malum & amaritudinem* nonnunquam copulat. Jer. ii. 19. H. VENEMA.

venibus & virginibus parcet. γ. forte ſaltem canis & lactentibus.

XVII. En graviſſima & terribilia mala, quibus Deus pro juſtitiæ ſuæ ſeveritate tandem proſequeretur Judæam Gentem poſt finitam tolerantiam & longanimitatem ejus, quæ mala omnia tam ſpiritualia quam temporalia faciunt ad explicationem interminationis capitalis ꝟſ. 20. *Occultabo faciem meam ab ipſis.* Ubi enim Deus *faciem* ſuam ab homine avertit, exponitur Satanæ traditurque ejus poteſtati ad indurationem cordis, & calamitatem omnem maxime metuendam. Supereſt tantum ut videamus, cui tempori conveniat hæc interminatio, de quo prudenter ſtatuendum eſt. Sunt autem duæ ſententiæ. Altera implementum refert ad Exilium Babyl. altera unice fere adſtringit ad Judicium per Romanos: inter quas ſententias duas mediam nos tenemus, qui ex collatione prophetiarum deprehendimus, duplex eſſe implementum plurium prophetiarum, quæ de Judæorum fatis agunt, alterum inchoatum, alterum completum.

XVIII. Primo quidem, ſi quis ex hiſtoria repetat judicium, quod Deus per Aſſyrios & Babylonios exequutus eſt in Ephraimitas & Judæos, negari nequit, pleraque illa mala, quæ Moſes in hac Pericopa Judææ Genti interminatur, & prophetice prædicit, ei hoc tempore eſſe inflicta ſecundum formulam execrationum in Lege conſignatarum. Inprimis vero hic ratio habenda eſt malorum, inflictorum Judæis, qui diutius tuiti ſunt prærogativam populi Dei, quam Ephraimitæ, quorumque calamitates diſtinctius nobis in hiſtoria enarrantur; & præſertim in prophetiis Jeremiæ & Ezechielis omni fere pagina. Capiatur ſpecimen ex terribili prophetia Ezechielis, propoſita ſub emblemate

mate novaculæ in totum ejus corpus adducendæ cap. v. 1. ſqq. & ex *threnis* Jeremiæ, & conferatur de Ephraimitis prophetia Jeſaiæ, cap. IX. 13. ſqq. quare non poſſumus probare illorum Interpretum ſententiam, qui implementum prophetiæ hujus ita adſtringunt ad ultimum Judicium, quod executus eſt in hanc Gentem per Romanos, ut prioris hujus Judicii nullum fere habeant reſpectum. Rationes noſtræ hic ſunt graviſſimæ, *α*. Quia quæ vere illo tempore facta ſunt, conſentanea huic prophetiæ facta eſſe negari nequeunt. Diſceſſit illo tempore Deus e medio populi, ut exhibitum eſt Ezech. cap. x. 1. ſqq expulit illos terra ſua; excidit improbos bello, peſte, fame, & feris, ut Prophetæ prædixerant, & quæ alia ſimilia hic ex hiſtoria urgeri queant. An igitur id quod factum eſt dixeris non factum; vel cum factum ſit, prophetiam in iis non eſſe conſecutam implementum. *β*. Mala illa dicuntur Judææ Genti infligenda eſſe inter alia crimina ob idololatriam & defectionem a Deo publicam. Atqui Prophetæ omnes hanc potiſſimam oſtendunt cauſſam Calamitatis Aſſyriacæ ac Babylonicæ: ut proinde illa Mala, ob idololatriam manifeſte inflicta, ſecundum ſeriem prophetiæ, hic negligi nequeant. Tertio, Moſes cap. 30. 1. exerte ait; *Et fiet cum evenerint vobis omnes res iſtæ, benedictio & maledictio.* Jam vero ipſe Cl. Coccejus & ſequaces largiuntur, & ſtatuunt rectiſſime, per *Maledictionem* hic intelligi Calamitatem Aſſyriacam & Babylonicam, ſecundum primum prophetiæ implementum. Quarto denique, ſi eam ſequeremur hypotheſin, quæ implementum hujus prophetiæ tantum adſtringit ad ultimum Reipublicæ excidium: ſequeretur, Canticum

hoc

hoc uſum nullum habuiſſe in convincendis & redarguendis Judæis circa tempus deſtructæ Reipubl per Babylonios, quod ab omni ratione remotum videtur. Cum enim Judæi ſe circa illa tempora reos deprehenderint criminum, in eo commemoratorum, & experirentur mala in eo conſignata: quomodo abducere potuerunt animum ab hac cogitatione, Canticum hoc ad ſe convincendos & redarguendos eſſe compoſitum?

XIX Verum ut id certum habeo, ſic ab altera parte teneo, in iis malis, quæ gens perpeſſa eſt ex decreto Juſtitiæ Divinæ in Exilio Babylon. neutiquam ſatis factum eſſe prædictioni hujus Cantici ad extremam lineam, ſecundum ſummam emphaſin. Et quidem α. Quod dicitur, *Occultabo faciem meam ab iis* & videbo, *quis ſit finis illorum:* certum eſt, Deum dici non poſſe illo tempore in tanta emphaſi *faciem* ſuam ab iis *occultaſſe*, h e. illos privaſſe omni luce revelationis, gratiæ, & gloriæ, & ſuam præſentiam iis ſubtraxiſſe, quanta id factum eſſe conſtat tempore deſtructæ Reipubl. per Rom. Reliquit enim Deus illis in Exilio Doctores ac Prophetas; præſtitit iis gratiam converſionis in Babylonia, & poſt decurſum ſpatium Exilio definitum illos ex Exilio reduxit. Sed quando Deus noviſſimo illo tempore faciem ſuam ab illis occultavit, privati ſunt Judæi immorigeri omni luce gratiæ & gloriæ, & miſſi in *tenebras exteriores.* Matth. VIII. 11. & in *infernum, ex quo non potuerunt evadere,* Luc. XVI. 26, 27. *Clauſo oſtio*, Luc. XI. 7. quo pertinet locus inſignis Jeſ VIII. 17. Convenit Luc. XIX. 42. β. Etiamſi utraque Calamitas multa inter ſe communia habeat, Babylonica & Romana, ſunt tamen pauca attributa Calamitatis poſterioris hic expreſſa,

quæ

quæ in priore demonſtrari nequeunt. Veluti *α*. Vocatio Gentium earumque electio in Populum: per quas Judæi ad zelum moti ſunt, malum primo, dein convertendum in bonum ℣ſ. 20. Converſi ſunt ſub œcon. V. aliqui ex Gentium: ſed illo tempore non ſunt reprobati Judæi. Sed pleniſſimum complementum ſub Oecon Nova: ubi Judæi obſervarunt vocationem Gentium, erga eam magna æmulatione & zelo affecti ſunt, quin interiora eorum viſcera penetravit, & eos intimemo mordit, ut hodiedum fit. Expreſſit Dominus Parabola de Fil. Prod. Luc xv. 28 *Indignatus eſt*, ὠργίσθη. *Eſt vocatio* Gentium ipſis pœnæ loco habenda, quod non fuit tempore Exil Babyl *β*. Quod dicitur ℣ſ. 22. *Ignis arſurus eſſe ad infernum inferiorem & conſumpturus fundamentum*, non fuit impletum in primo Excid. Hieroſ. per Babylonios; ſed omnino per Romanos. Montes per Titum & Hadrianum ſunt complanati: infra terram extiterunt effecta Juſtitiæ Divinæ, quod perinde ſe non habuit in prima Hieroſolymorum deſolatione Species Urbis cum montibus ſuis integra manſit. Situs Urbis non eſt immutatus, quippe ex prophetia Jer. eodem modo inhabitandæ poſt Reditum ex Exilio, Jer. XXXI. 38, 39. Eſt autem hic conferendus Joſephus, B. J. Lib VII. cap. XVIII. ubi miſerabilem Urbis deſolationem ad vivum repræſentat. Poſſunt autem ex Threnis Jeremiæ & ex Joſephi lamentabili hiſtoria obſidionis cætera quoque peti, quæ huc pertinent: peſtem, inquam, gladium, famem, feras, ſervitutem, quæ infelices & miſeros preſſerunt. Addo, Judæos ipſos palam fateri, quæ hic prædicuntur, emphatice in Calamitate Romana impleta eſſe, qua de re videatur Moſes Nachmanides, apud Maſium Annot. ad hunc locum, ad calcem.

XX. Huc uſque Vates deſcripſerat graviſſima mala, pertinacibus & malevolis hoſtibus Dei infligenda: quæ ejusmodi erant, ut Gentem deletura videbantur. Sed id noluit Deus: ipſe contra vero adhiberi voluit temperamentum, ne hoſtis ſe adverſus Deum arroganter efferret, & gloriæ Dei ac promiſſorum veritati detraheretur: quod temperamentum proponitur. ℣ſ. 26, 27. & eſt quartum membrum Partis tertiæ ἐξεργασίας hujus Cantici ſecundum analyſin ſuperius datam. *Dixeram: Ego eos exterminabo, delebo inter homines memoriam ipſorum.* ℣ſ. 27. *Niſi ægritudinem vel arrogantiam hoſtium veritus eſſem; ne hoſtes illorum ab alio factum cenſerent*, vel aliene *interpretarentur, & dicerent: Manus noſtra eſt elata; &, non Jehova hæc omnia patravit.* De verſione & ſenſu Grammatico pericopæ paucula monenda ſunt, antequam verum ſenſum ſententiæ realem definiamus & illuſtremus. Vocem אמרתי *dixi*, recte verti, per *dixeram*, h. e. venerat in mentem cogitatio; ſive in mentem venire poterat, an non utile eſſet Gentem immorigeram plane exterminare: quod de Deo figurate dictum eſſe, quisque facile intelligit. Deus dicitur hic cogitaſſe, quod ad primum effectum non abſurdum videbatur, ut faceret ſecundum rationem ſuæ juſtitiæ. Hebræi autem cum formam plus quam perfecti non habeant, eam *perfecto* exprimunt: ut ſatis notum: atque adeo illud אמרתי hic vertendum per *dixeram*, h. e. cogitaveram non abſurdum fore & alienum à rationibus meæ juſtitiæ, ut illos *exterminarem*, & *memoriam* Gentis Judææ inter homines plane delerem, quod, ut jam monui, Deus hic figurate introducitur cogitaſſe dixiſſe, quia id non erat abſurdum Deum facere ſecundum rationes ſuae juſtitiæ, ut ſi cum ipſis agere vellet

vellet jure rigido, & nullus alius reſpectus Deum ab hoc conſilio retraxiſſet, h. e. nullus alius reſpectus Deum aliter melius facere ſuaſiſſet, Deum Judæam Gentem exterminare penitus & delere potuiſſe. Nulla hic difficultas niſi in voce אפאיהם, variis interpretationibus Doctorum Virorum tentata. Notat ad verbum, *angulabo* ipſos, ſi ſic loqui fas eſt, à פאה *angulus:* eſtque hoc loco uſus ſingularis, cum alibi non occurrat, alii itaque verterunt, *propellam eos ad extremos angulos;* alii, *delebo & exterminabo illos,* ſive ex ipſis angulis excidam. Poſterius hic non dubii amplectimur, quia contextus hanc ſignificationem neceſſario arguit. Notat enim vox hoc loco graviſſimum pœnæ gradum, quem Deus quo minus inflixerit, reſpectu ſuæ gloriæ fuit inhibitus. Sed is non poteſt eſſe propulſio Populi in extremos terrarum angulos, quia utique experientia docet hanc pœnam genti inflictam eſſe. Deinde Propheta ſe ipſe interpretatur, ubi addit: *Delebo ex hominibus memoriam ipſorum.* Valet itaque vox הפאה hoc loco *exterminare, exangulare. A.*

A. Si nulla alia foret ratio, quæ *diſpergendi* ſignificatum refutaret, ac quam experientia ſuppeditat, me a verſione LXX dimoveri non paterer. Fuerint Judæi poſt remp. a Romanis deſtructam in omnes terræ angulos quaquaverſum diſperſi, quid hoc ad rem? Dicis, Deum hic non quid facturus ſit, ſed quid *facere* poſſet, & juſtitia exigere videretur, explicare: erras: non enim quid *nullo tempore*, ſed quid *hoc* tempore, ad quod illa verba pertinent, non fieret, exponit. Commiſſa populi ante exilium Babylonicum totale excidium meruerant, ita ut Deus juſte hanc ſententiam de Judæis pronunciaſſet, ſi cum ejus

XXI. Sed Deus hoc conſilium, licet ſatis congruens rationibus ſuæ Juſtitiæ, exequutus non eſt, ut ipſe ℣ſ. 27. *Niſi ægritudinem inimici metuerem, ne hoſtes*

temporis indole id fuiſſet conjunctum; ſed temperavit iram, & in opportunum magis tempus ultimum judicium diſtulit, quo *ratio*, quæ iram Dei inhibuit tempore exilii Babylonici, amplius non exſtaret. Cum enim finem ſuum aſſecuta eſſet œconomia vetus tempore excidii Rom., novusque ex Judæis & gentibus eſſet collectus populus, qui *eccleſiam* Dei conſtituebat, obtrectatio *potentiæ & fidelitatis* Dei, acſi idola vero Numine eſſent fortiora, Deoque eripere poſſent *promiſſorum* repræſentationem, locum non habebat: quem habuit tempore exilii Babylonici. a. *Eo* enim tempore in medio curſu intercepta fuiſſet œconomia vetus: quæ *nunc* ultimo tempore ad finem erat perducta. b. Primo exilio, ſi reſp. non fuiſſet inſtaurata, cum *Dei populo* actum fuiſſet: ſed ultimo excidio *novus* jam veteri ſucceſſerat Dei populus. c. Primo tempore gentes victoriam de Judæis reportatam ſuis idolis vindicare potuiſſent, non *poſteriore*, & ultimo hocce tempore, quia Romani Deo ipſi Judæorum adſcripſerunt, ut in vulgus notum eſt. Romani non dixerunt; *manus noſtra excelſa eſt, non Jehova fecit hoc:* contra, Jehovam Deum Judæorum populum ſceleratum in manus ſuas tradidiſſe confeſſi ſunt. Sic Titus apud Joſeph. B. J. l. VI. c. 9. ed. nov. σὺν Θεῷ γ' ἐπολεμήσαμεν, ἔφη, καὶ Θεὸς ἦν ὁ τῶν δὲ τῶν ἐρυμάτων Ἰουδαίους καθελὼν &c. *Deo, inquit, favente bellavimus, Deus eſt, qui Judæos ex iſtis munimentis detraxit.* Cicero pro Flacco jam ſuo tempore iram Numinis in eos accenſam agnovit: *quam cara Diis immortalibus eſſet gens Judæa, docuit, quod eſt victa, quod elocata, quod ſerva.* Cæcilii itaque verba, quæ in Deum Iſraëlitis effudit apud Minut. Fel. p. 94. *cujus, ſc.* Dei Judæorum, *adeo nulla vis, nec poteſtas eſt, ut ſit Romanis*

hoſtes illorum id alienarent, &c.. Phraſis כעס *ægritudinem inimici* hic duobis modis accipi poteſt, vel, ut intelligatur *arrogantia hoſtium & inimicorum* Dei, qui

manis Numinibus cum ſua ſibi natione captivus: tanquam inepti diſputatoris, qui undiquaque corradit, quod in adverſarium conjiciat, conſideranda ſunt; ut recte Octavius ibid. p. 320. *nec, ut impie loqueris, cum Deo ſuo captos, ſed a Deo, ut diſciplinæ transfugas, deditos.*

Cæterum, Deum hic declarare, quid, etſi non *eo*, *alio* tamen tempore vere *exequeretur*, & illud confirmat, quod ✝ſ. 20. eadem phraſis occurrat eodem plane ſenſu: *Et dixit: occultabo faciem meam ab iſtis, videbo quis ſit exitus ipſorum futurus:* non primo, ſed ultimo reip. tempore, licet & *illo* juſte potuiſſet. ſic ✝ſ. 29. *utinam ſaperent, & ad extremum ſuum animos adverterent*, quo illud futurum eſſe innuitur, nec tamen aliud quid intelligitur, ac quod Deus ✝ſ.26. iis denunciaverat. Nec obſtat, quod Deus *memoriam populi ex hominibus deleturus* dicatur, acſi illud nunquam factum fuiſſet: non enim eam populi exſtirpationem ſignificat phraſis, quæ ne unum quidem Judæum ſuperſtitem relinquit inter homines, ſed quæ a. *celebrem* memoriam penitus exſtinguit, b. *populi* ipſius, ſeu reip. & ſocietatis, nullum relinquit veſtigium. c. Sed ita deleat ex hominum memoria, ut nunquam per reip inſtaurationem ſit revocanda & reſuſcitanda. Quo ſenſu phraſis ſumitur Exod. XVIII. 14. *delebo Amaleki memoriam ſub coelo.* Sed clarius eſt, quod Jeſ. XXVI. 14. reperitur, ubi de adverſario Judæis populo: *mortui tui non reviviſcent, exanimati non reſurgent: propterea viſitaſti & exterminaſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum*, non quod nulli ex Babyloniis, Perſis, Syro-Macedonibus ſupereſſent homines, ſed quod numerum, aut regnum non facerent, nec populo nocere poſſent, eorum nulla ratio amplius haberetur, *non reſurgerent* eo ſenſu,

gloriarentur, ſe vel Deo fuiſſe fortiores, vel Populi Judæi ſtatum & Oeconomiam non fuiſſe fundatam ſuper

quo Judæi afflicti & *civiliter* mortui reſurgerent ỷſ. 19. memoria ergo alicujus deletur, cum illi *nomen amplius non eſt*, על פני־חוץ *in publico* Job. XVIII. 17. quæ vera phraſios eſt interpretatio.

Quid itaque? reddendumne erit verbum אפאיהם *diſpergam eos?* non repugnaverim, ſi *diſpergendi* notio ſumma ſua emphaſi accipiatur, ita ut perfectam & perpetuam diſperſionem comprehendat, quæ populi, qua talis, nullam inter homines relinquit memoriam: quam emphaſin ſequens hujus verſus membrum non tantum confirmat, ſed ipſa verbi poteſtas, ſi a פאה *angulo*, *extremo*, repetatur, exigit. Significat ergo radix *diſperſionem* in ultimos angulos usque, ita ut *recollectionis* ſeu inſtaurationis ſpes plane decolaverit. Quod ſi quis *ſcindendi* & *ſecandi* ſignificatum, quem radix apud Arab. præfert, quod jam obſervavit Cl. Schultens ad h. l., huic loco applicitum velit, ne ſic *diſperſionis* cogitationem deponendam cenſuerim: ſed ejusmodi judicium intellexerim, quo Judæi partim *trucidantur*, partim in omnes partes *ſciſſi* diſſeminantur, ipſa reſpublica penitus *exſcindatur*, ut memoriæ ipſorum nullus locus maneat inter homines. Confer omnino emblema notiſſimum ſed elegantiſſimum apud Ezech. V. ſignificabit itaque radix ejusmodi *ſciſſionem*, qua partes quaquaverſum in omnes *angulos* diſſiliunt. Quo nihil huic loco eſt accommodatius. Cæterum, ut id obiter obſervem, cum Chald. habeat, יתול־רגזי־עליהון ואשיצנו *manebit ira mea ſuper eos, & exſcindam eos*, verbum noſtrum liberius reddidit, ita tamen ut verbum ipſum per ואשיצנו interpretatus ſit, & non per reliqua verba, ut nonnulli male opinantur, acſi ad אף *iram* reſpexiſſet, quippe quæ liberiorem paraphraſin ſapiunt, & explicationis ergo addita videntur. H. VENEMA.

per certa aliqua revelatione, ſed ſuper fraude ac dolo eorum, qui Oeconomiæ hujus populi formandæ occaſionem dederant, vel ſignificare poteſt, *ægritudinem*, quam Deus conciperet ex arrogante hac jactantia hoſtium, Gloriæ Divinæ adverſa, ut ℣. 19. *indignatio* ſive *ægritudo filiorum* & filiarum eſt ægritudo ex filiis & filiabus Dei concepta. Uterque ſenſus ſatis commodus: ſed poſteriorem hic adopto, quia vox כעס ſtylo Scripturæ *iram*, *ægritudinem* ex injuria acceptam, ſignificat; non ſimpliciter *arrogantiam*. Ergo Deus hic dicitur non ſequutus eſſe conſilium de exterminanda Gente Judæa, quod metueret vanam & arrogantem hoſtium jactantiam, quam non potuiſſet percipere abſque *ægritudine*. Quiſque ſentit, id rurſus eſſe dictum figurate & καὶ ἀνθρωποπάθειαν. Senſus figuris evolutus eſt, Deum omnia conſilia actioneſque ſuas ſic inſtituere, ut convenit ſuæ gloriæ, quam amat, atque adeo conſilia & actiones ejus tendere non ad abnegationem & deſtructionem conſiliorum & operum ſuperioris temporis, ſed ad illorum confirmationem: non ad Satanæ & hoſtium Populi ſui vanam arrogantiam & jactantiam fovendam, & adſtruendam; ſed ad eam comprimendam. Ipſe ſe declarat, ubi addit: *Ne alienent hoſtes illorum, ne dicant: Manus noſtra elata eſt*, &c. Sic proprie ſonant Hebræa. Vox נכר improprie valet *alienare A.* quam ſigni-

A. Cl. A. Schultens ad Harir. p. 91. *In 2 conj.* نكّر *fecit, ut quid cognoſci non potuerit: ſpeciatim: ignota & aliena ſpecie induit: transformavit de meliore in deteriorem formam. Sic intelligas diſtinctius:* 1 Reg. XIV. 5. והיא מתנכרת. Quod noſtro itidem loco lumen inſpergit. H. VENEMA.

ſignificationem nos quoque hic admittimus. Eſt hic loci rem ſiniſtre ac perverſe interpretari, quod qui faciunt, factum alienant ab intentione & ſcopo auctoris. Alienat rem aut factum ab intentione auctoris, qui alias ex eo conſequutiones educit ac auctor vellet: quod agunt, qui ex operibus & effectis Providentiæ Divinæ occaſionem captant Deum calumniandi. *Ne dicant, manus noſtra elata eſt, & non Jehova fecit omnia hæc.* Pulchra verba. Ne dicant: h. e. ne dicant illi hoſtes. Doctus Interpres hujus Cantici per אויב *hoſtem*, cui ægritudo tribuitur, intelligit Satanam abuſurum hac ſeveritate Dei ad Regnum ſuum promovendum, quod non ſperno: quia Satanas ſe in omnibus malis & improbis oſtentat. Sed hic loci non eſt neceſſarium, quia id ſemper ſubintelligitur. Sunt Babylonii præcipue & Romani, qui hic notantur, executores Judiciorum Dei in Judæos. Sed quod idem Vir Doctus hic loci in verbis, *Ne dicant*, alias perſonas intelligat, ab hoſtibus Eccleſiæ diverſas: h. e. *hypocritas, nomen Dei in ſpeciem profitentes:* fateor, me non capere, eſtque vere alienum à ſententia Vatis. Exponit utique ille hic loci jactantiam & calumniam hoſtium, ex ipſo facto plenarii exterminii Gentis Judææ cudendam, ut cuique patet, eſtque illa calumnia duplex, ad Gloriam Dei obſcurandam factura.

XXII Prior eſt: *Manus mea elata eſt*, altera, *Non Jehova fecit hæc omnia*, h. e. Res quæ non eſt Jehova fecit hæc omnia: quæ facilia ſatis ſunt intellectu, modo dextre capiantur. Ubi Gentes, puta Babylonii, Romani, non tantum exſcidiſſent Rempublicam ſed & Gentem Judæorum penitus deleviſſent, ut non ſupereſſet Deo ulla occaſio Gentis illius rurſus recipiendæ in gratiam, & implendi promiſſa ei

facta

facta duplicem inde captare poterant calumniæ materiam: vel Numina ſua, quæ colebant, veluti Belum Babylonicum, & Jovem Capitolinum, eſſe fortiora & potentiora Deo Iſraëlis, ſecundum fidem Gentium: quæ cum plures ſtatuerent Deos, qui populis orbis terrarum præſunt, alium Deum alio ſtatuebant fortiorem aut infirmiorem: vel cogitare poterant, quod ex Gentibus vere cogitarunt plures, ut ex Strabone, Tacito, Juſtino Trogi, aliiſque liquet, Rempublicam & Eccleſiam populi Judæi non fuiſſe fundatam à vero Deo. Moſen enim ſuo ingenio fuiſſe uſum in fundanda Republica: finxiſſe autem, ut Populum ſibi haberet obſequentiorem, commercium divinitatis alicujus. Hic eſt ſenſus ſententiæ. לא יהוה *Non Jehova* eſt Res, quæ non eſt Jehova, verus Deus: ſive quæ nihil minus eſt quam Jehova, de quo vidimus in phraſibus לא אל & לא עם, ℣ſ. 21. Si Moſes, Aaron, ſuis uſi conſiliis formaſſent Rempublicam Judæorum, tum verum eſſet, *Non Jehovam hæc omnia finxiſſe.* Atqui utrumque erat Blaſphemum & Deo valde injurium, quare noluit adverſariis ſuæ gloriæ tantum indulgere, ut illos pateretur Populum ſum plane delere ne inde occaſionem caperent Nominis ejus Blaſphemandi. Hæc clara & facilia ſunt: contra vero, quæ Cl. Coccejus & Doctus Interpres hic commentantur, transferentes hæc verba ad alia ſubjecta, valde ſunt obſcura. Sed erit mihi reddenda ratio ad ſequentia.

XXIII. Implementum hujus partis prophetiæ hic non eſt longe quærendum. Eſt enim ita, quod omnes norunt, quod nemo negat, nec in Judicio Babylonico, neque in Romano, Judæam Gentem plenario exterminio fuiſſe deletam. Poſt exilium Babylonicum, licet tot millia gentis & centena millia periiſſent, ex-

creverunt in ipſa terra hoſtili in majorem numerum, mox ſub Imperio Perſico per Babyloniam, Mediam, Perſiam & omnes Provincias ejus diffundendi; & ſub Imperio Græcorum ingente numero per omnes partes orbis terrarum. Sed Imperium Romanum illis videbatur allaturum exitium, ut vel funditus delerentur, vel Religioni Patrum, propter quam tot adverſa ſuſtinuerant, renunciarent. Verum nihil ejus accidit. In univerſis cladibus, quibus affecti ſunt ſub Tito, Hadriano, & poſtmodum in variis Orbis terrarum regionibus, non ſunt deleti, quin tanto numero brevi tempore rurſus progerminarunt, ut Rutilius Sæc. V. illos victores à victa natione Judæorum premi ſcripſerit. Tum præterea de ſacris ſuis & erga Religionem zelo nihil remiſerunt. Perſtiterunt illi in profeſſione ſuæ Religionis, ut adhucdum noſtra ætate perſiſtunt, ab omnibus Populis per Orbem terrarum, Sacris, conſuetudinibus & temperamento quodam corporis diviſi. Quo fine? Niſi ut Deus Patrum aliquando illorum miſertus promiſſa Gratiæ in iis impleat, & manifeſtum faciat toti generi mortalium, illos propter peccata ſua periiſſe; non majore hoſtium potentia, aut Religionis ſuæ falſitate.

Pars

Pars Quarta Materiæ hujus Cantici, continens Δικαιολογίαν ſive defenſionem cauſſæ Dei in Judiciis, quibus Judæam Gentem proſequutus eſt, à ℣ſ. 28. uſque ad *verſum* 35. Ed. Heb. vel 36. ed. Belg.

I. SEquitur tandem extrema pars Judicialis hujus Cantici, qua Juſtificatur ac defenditur Judicium Dei ſeverum in Judæos exercitum præcipue per Romanos, quod extentum eſt à ℣ſ. 28. uſque ad 36 In qua parte Cantici Vates ſacer ex hypotheſi noſtra id agit, ut ſummam ſeveritatem, qua Deus uſus fuit in Judæam Gentem, defendat: quæ defenſio hic maxime videbatur neceſſaria, quia paradoxum videbatur, Deum Populum à ſe electum, & dilectum propter Patres, tam ſevere tractare, quam fecit per Babylonios & Romanos: hoc ordine autem procedit. Demonſtrat juſtitiam viarum Dei, α. Quia à longo tempore compertum erat, Judæum Populum conſilia ſequi ſtultiſſima, & ſibi exitialia, addito voto, ut redeant aliquando ad meliorem mentem, ℣ſ. 28, 29. β Quia nulla alia dari vel excogitari poteſt ratio, quod hoſtes ipſorum ipſis prævaleant, quam quod Deus per ſcelera ipſorum ad vindictam provocatus eos abjecerit, repudiaverit, & ultro hoſtium tradiderit poteſtati, ℣ſ. 30. cui rationi ſecundæ ſubjicitur παραίνεσις, qua Eccleſia vera, propago veræ Eccleſiæ Judaicæ non degeneris,

hoc eſt, ſemen Sanctorum, quod hoc Judicio eximeretur, ſive Eccleſia Chriſti ab Apoſtolis fundata, profitetur, Objectum Religionis, quale Judæi carnales, increduli & impœnitentes profitebantur, à ſua Rupe, h. e. hoc eſt, Objecto Religionis ſuæ eſſe diſtinctum, ℣ſ. 31. γ. Quia Populus Judæorum, qui adverſus Deum rebellavit, & in ejus ſeverum incidit judicium, mortiferas de via veræ Religionis fovebat opiniones, & ſe inſtar Sodomæ & Gomorrhæ graviſſimorum ſcelerum reum fecit, ℣ſ. 32. δ. Quia Deo conveniens eſt vindictam exercere, quando malitia & impietas ſummum attigit gradum, ℣ſ. 33. 34. ubi in diſtinctione verſuum id obſervandum eſt, ℣ſ. 32. à Maſorethis una ſententia concluſum, quæ terminatur in accentu magno diſtinctivo Silluk, à Belgis Interpretibus aliisque in duas divelli, propter geminum Atnach, qui hic occurrit. *A*.

II.

A. Ultimum Judæorum excidium, quod Deus ℣ſ. 19. & 20. interminatus fuerat, quodque tempore exilii Babylon. propter peculiarem aliquam rationem, ne hoſtibus anſa præberetur illud in Dei dedecus rapiendi, non niſi cum *temperamento* & nonnullorum malorum reſpectu exequi decreverat, ut populus, ſi pote, illis judiciis admonitus ad ſaniorem mentem ſe reciperet, & ultimam deſtructionem præveniret, quo tendit pericopa ℣ſ. 21-27. hic a ℣ſ. 28. repetitur, & populo, qui ſuperioribus calamitatibus nihilo prudentior factus erat, certo certius eſſe infligendum inde uſque ad finem cantici prædicitur & *juſtificatur*. Quod enim ℣ſ. 20. denunciatur, *Deum occultaturum faciem ſuam, & viſurum* מה אחריתם *quænam ſit extremum eorum futurum:* quodque Deus primo mox judicio ſe effecturum negaverat ℣ſ. 26, 27. illud ipſis nunc

II. Hæc vero Pericopa in toto Cantico omnium eſt intellectu difficillima, quod aliæ hic in ſcenam introducantur perſonæ, vel perſona, ut videtur. Clariſſimus Coccejus præcipue in Meditationibus ſuis ad hoc Canticum aliam ſequutus eſt rationem, quam plerique alii Interpretes Chriſtiani, cujus differentiæ ſententiarum commodiſſimum fuerit rationem & momentum expendere ad rationem primam δικαιολογίας, ſecundum analyſin à nobis datam.

nunc imminere, poſtquam ſuperiore judicio meliores non eſſent facti, clare innuitur, ℣ſ. 28, 29. & diſerte inculcatur ℣ſ. 30. Cum enim ipſis *voveatur*, *utinam attenderent* לאחריתם *ad extremum ſuum*: eos animum non advertiſſe, adeoque non prævertiſſe *ultimum* excidium, innuitur. Deinde ipſa judicii deſcriptio ℣ſ. 30. eo nos manifeſte ducit, ut de *ultima* reip. deſtructione cogitemus, quæ finem imponeret huic œconomiæ: ut ſuo loco patebit. Præterea ℣ſ. 31. manifeſte reſpicitur ad *rationem*, quæ Deum tunc a *totali* populi exſtirpatione abſterruerat, nunc non amplius impediret, cum *rupes* Iſraëlitarum in novo populo illuſtriore longe modo demonſtraretur, ipſis adverſariis, quorum calumnias antea metuerat Deus, id confeſſuris. Denique & illud ultimi judicii, ab eo, quod a ℣ſ. 22. ad ℣ſ. 27. deſcriptum erat, diverſi, indicium eſt, tum quod inſanabilis & terribilis foret populi corruptio, quæ repræſentatur ℣ſ. 32, 33., tum quod novus eo tempore exiſteret Dei populus, ex Judæis primo & dein gentibus collectus, a carnalibus Judæis, tanquam Dei *hoſtibus*, & non amplius *populo*, ſeparatus, & ab iis afflictus, ut ſuo loco demonſtrabimus. Quæ duo criteria evincunt, & aliud judicium depingi ac in ſuperiore pericopa, & *illud* ob oculos poni, quod cum *occultatione faciei Dei a populo*, ejusque *reprobatione*, conjun-

III. Prima autem ratio δικαιολογίας continetur ex hypotheſi noſtra ℣ſ. 28. *Quia gens perditis conſiliis illi ſunt, & nulla in iis eſt intelligentia.* ℣ſ. 29. *Utinam ſaperent, & hoc prudenter revocarent ad animum, intelligerent extremum ſuum!* Quæ verba patet duas continere ſententias, alteram directam; alteram obliquam. Directa eſt, quæ docet, Judæos merito in Dei incurriſſe indignationem & excandeſcentiam ſummam, quia ſtulta in negotio Religionis ſecuti eſſent conſilia ab omni vera intelligentia ſpirituali diverſa, qualia ſunt conſilia

junctum eſt. Ex hac hypotheſi hæc *analyſis* partis cantici, quæ *judicia* Dei comprehendit, tradenda eſt. α. Ultimum judicium proponitur ℣ſ. 20, 21. β. Ejus *præludium* in exilio Babyl., quippe quo tempore rationibus Providentiæ nondum conveniebat illud plane exequi, licet jam tum fuiſſent commeriti. ℣ſ. 22-27. conf. Ezech. XXXVI. 21. γ. Ipſa judicii extremi *executio* juſtificatur inde ad finem cantici, hoc ordine. 1. Præmittitur *votum*, quo ipſis prudens animadverſio futuri judicii optatur; ut, ſi pote, illud avertant. ℣ſ. 28, 29. quod cum neglexerint, etſi illud facile prævidere & a ſe removere potuiſſent, *ſibi* perniciem ſuam imputare deberent, & *Deum* abſolvere ab omni culpa. Huc enim collineant *duo* illi verſus. 2. Rationem, quæ Deum ſuperiore tempore ab executione decretoriæ ſententiæ deterruerat, ultimo tempore exſtituram non eſſe indicatur ℣ſ. 30, 31. 3. Juſtitia & neceſſitas judicii infligendi defenditur ſequentibus rationibus. a. Prima ſita eſt in horribili corruptione Judæorum ℣ſ. 32, 33. b. Secundam ſuppeditat irrevocabile Dei decretum ℣ſ. 34. c. Tertiam præbet ipſa Dei *juſtitia*, qua eccleſiæ ſuæ hoſtes ulciſcitur, & populo afflicto ſuccurrit. ℣ſ. 35--43. De qua pericopa in ſeq. accuratius agemus. H. VENEMA.

ſilia ſectantium idololatriam, aut ſententiarum in Religione profanitatem, fiduciam ponentium in meritis operum, reprobantium Meſſiam, & tandem prolapſorum ad ſumma ſcelera ℣ſ. 28 Id vero ipſum, quod hic dictum erat directe, mox oblique repetitur ſub Schemate voti, quod à Propheta funditur pro illorum reſipiſcentia, ut videlicet ſaniora eligant conſilia. Quæ hic videntur ſic ſatis eſſe facilia, & commode fluere. Et tamen ſupereſt, ut jam monui, non levis difficultas, & ampla diſputandi materia. Sunt autem, quæ huc pertinent, duo ad veram intelligentiam hujus pericopæ totius intelligendam plane neceſſaria, α. Cujus perſonæ hæc ſit oratio, an Dei, qui in ſuperioribus loquutus fuerat; an vero Eccleſiæ? β. Attributa, quæ in tota hac pericopa occurrunt ad quod ſubjectum applicanda ſint? An ad Judæos, de quibus in ſuperioribus facta fuerat mentio, an ad Judæorum hoſtes, de quibus ℣ſ. 27. *Ne dicant* ſc. hoſtes, *manus noſtra elata fuit*, &c. ut ſenſus ſit, hoſtes Judæorum, hypocritas, falſos Chriſtianos, illorum errores imitantes, eſſe populum pereuntem conſilio.

IV. Prius facilius expeditur: nempe, quod ſæpe fit in hoc Cantico, perſonam hic rurſus mutari, & orationem hanc non eſſe Dei, ſed Eccleſiæ veræ. *A*. Certe

A. Tertia perſona, qua de Deo in hac pericopa uſque ad ℣ſ. 35. ſermo eſt, eam; aliis potius ac Deo ipſi attribuendam eſſe evincit. Deinde, Eccleſiæ Chriſtianæ primævæ hanc orationem vindicat ℣ſ. 32. cum Chriſtiani, ſeu pii ex Judæis, qui ſe a reliquo populo diſtinguunt, ſeſeque tanquam veram nunc Dei eccleſiam, ei, ut a Deo rejecto, opponunt, de ſe in prima perſona loquantur: *quia non eſt ut petra noſtra rupes ipſorum*. Nec alienum eſt ab eorum

te, ſtatuendum eſt mutari in ℣ſ. 30. quippe quod verba ℣ſ. 31. neceſſario evincunt, quæ ſunt Eccleſiæ. Poſſent adhuc hi *duo* verſus Deo tribui. Sed forte commodius eſt hic perſonam mutari.

V. Alterum quæſitum eſt difficilioris tractationis, & gravioris momenti. Quæritur, an ſubjectum omnium attributorum, quæ leguntur à ℣ſ. 28. ſint populi Judæorum, an Paganorum, ſive Romanorum, aut hoſtium veræ Religionis Judææ & Chriſtianæ. Prius paſſim tenent Interpretes Chriſt. Vet. & Recent. Poſterius vulgo Judæi ſtatuunt, ut à Gente ſua amoveant attributa illa, ut videtur, odioſa, quæ adverſa hypotheſis ei impingit: quam eandem ſententiam amplexus eſt Cl. Coccejus, & poſt ipſum Docti Viri plures: quæ ſententia à Cl. Coccejo ipſo omnium forte planiſſime & facillime exponitur. Fundamentum hujus ſententiæ à Doctis Interpretibus jam collocatur in ℣ſ. 27. qui ita habet: *Niſi ægritudinem inimici timerem: ne alienent hoſtes ipſorum, ne dicant manus noſtra elata eſt.* Pertinent verba ad Romanos, ut vidimus, & de iis etiam Docti Interpretes maximam partem interpretantur, eodem modo, ut nos inſtituimus. Sed ultima illa, *Ne dicant, manus noſtra elata eſt*, transferunt ad alia ſubjecta. Ajunt vero, *Ne dicant:* verti poſſe, *ne dicat quiſquam:* intelligi igitur hic hypocritas, nomen Dei in ſpeciem profitentes, hoc eſt, Chriſtianos Pelagianizantes, qui extollebant vires liberi arbitrii ad exemplum Judæorum,

eorum conditione *Votum* ſalutare, quod occurrit ℣ſ. 29. ut ex Chriſti exemplo Luc. xix. 42. & Pauli Rom. ix. 2. aliorumque conſtat. H. Venema.

rum, ut ✝ſ. 31. *Rupes* ipſorum *non eſt* ut *rupes noſtra*, ex hypotheſi intelliguntur *Ariani*, negantes Divinitatem Filii Dei cum Judæis: deinceps vero ✝ſ. 32. *ex vite Sodomæ eſt vitis ipſorum & ex campis Gomorrhæ*, Chriſtiani corrupti doctrina & vitiis ſub Imperio Romano Papali, quod Scriptura Prophetica *Beſtiam* vocat. Senſum itaque eſſe, Deum Judæos non plane perdidiſſe, quin ipſos ſupereſſe, ut ſimul ſupereſſent argumenta, ex quibus falſi Chriſtiani, qui vires liberi arbitrii efferrent, aut Chriſti Jeſu Divinitatem negarent, refutari poſſent Secundum quam hypotheſin, quod hic dicitur: *Nam gens perdita conſiliis* ſunt, *& non eſt in iis prudentia*, intelligunt de Romanis & hypocritis, qui vel Deum teſtantem de Rupe ſalutis non audiverint; vel inciderint in eosdem errores cum Judæis, quorum ſtultitia exaggeratur voto, quod Propheta fundit pro illorum νοίσει & illuminatione.

VI. Noſtra ſententia ſic habet, ſubjectum horum attributorum eſſe Judæos, & quidem ob has rationes. α. Quia, ſi hic intelligantur Romani, quorum perſtringuntur vitia, plane recederetur à principali ſcopo hujus Cantici: qui ſcopus eſt convincere Judæos ſuorum vitiorum & criminum, atque animi ingrati, non Romanos, Chaldæos, vel Babylonios, vel quas alias Gentes. β Quia ipſiſſima attributa, quæ hic tribuuntur ſubjecto, tam in hoc Cantico, quam in aliis partibus Verbi Divini, tribuuntur Judæis, ad idololatriam prolapſis aut rebellibus, ut ex ſingularum partium pertractatione liquebit. γ. Quia vere ab omni ratione alienum eſt, ut Chriſtiani, licet hypocritæ & adulterini, ſecundum hanc hypotheſin conſiderentur tanquam qui unum corpus faciant cum Romanis Gentilibus, per quos Deus executus eſt judicia ſua in Judæos:

eſtque vere quæſita interpretatio ℣ſ. 27. δ. Quod Deo aut Prophetæ ℣ſ. 29. magis congruat votum fundere pro Judæis quam Romanis. ε. Quod ſecundum hanc hypotheſin exponi nequeat, quod dicitur ℣ſ. 30. cauſſam exitii hujus ſubjecti fore, quod *Rupes* ipſorum illos vendiderit, & *Jehova* illos tradiderit. Cum enim Deus nunquam nominetenus fuerit *Rupes* Romanorum Paganorum, de quibus Cl. Coccejus hæc verba accipit, non convenit hoc prædicatum Paganis, ſed Judæis. Doctus Interpres hic ſe ita expedit, ut dicat per *Rupem Romanorum* hic intelligi Satanam, Diabolum: quæ videtur eſſe Interpretatio violenta. Ne enim dicam, *Rupem* & *Jehovam* hic alternari: quis cogitet, Diabolum voluiſſe *tradere* vel *tradidiſſe* Romanos vincendos à Chriſtianis? Ægre ipſe de throno ſuo deturbatus eſt, vel ſe deturbari eſt paſſus. ζ. Chriſtus in prophetia de Judicio Rom. Luc. XXI. 22. *Hæ ſunt dies vindictæ*, &c. reſpexit ad hoc Canticum, ℣ſ. 31. quod ſupponit ibi agi de Judæis.

VII. Quæ vero adverſus hanc hypotheſin moventur dubia, non ſunt vere magni momenti. Primum eſt, Canticum ſecundum hanc hypotheſin non fore liberum à ταυτολογίᾳ. Moſes enim Gentem Judæam in ſuperioribus jam convicerat de ſuis criminibus, ut opus non fuiſſe videatur, eandem telam retexere. Reſpondeo, ταυτολογίαν late ſumptam ab oratione convictoria vix poſſe abeſſe, certe non abeſſe à convictionibus Prophetarum, qui zelo affecti erga ſalutem Populi in idem continuo recurrerunt. Sed ſi ταυτολογια ſtricte ſumatur, nego eam hic committi. Eſt enim δικαιολογία, & divini Judicii Juſtificatio, ac defenſio vere diſtincta ab ipſa accuſatione & ἐλέγχῳ,

qui

qui in ſuperioribus inſtitutus fuerat. Alterum eſt, Romanorum ℣ſ. 27. factam fuiſſe mentionem. ℞. me id non negare: ſed mentio ipſorum ibi facta eſt per accidens: in Oratione autem Cantici exponenda docet ratio præcipue reſpiciendum eſſe ſubjectum verum & principale cujus cauſſa Canticum inſtitutum eſt, & quod ex ſcopo ejus per totum Canticum regnare debet. Tertium petitur ex Apoc. XV 3. ubi memoratur *Canticum Moſis* cantandum tempore vindicationis Populi Dei à Romano Imperio adverſario Regni Chriſti, quo videtur alludi ad ℣ſ. 34, 35 ℞. α. Si id maxime ita ſe haberet, per *Canticum Moſis* ibi alludi ad hoc noſtrum: poſſe alludi ad ℣ſ. 40, 41, 42. β. Per Canticum Moſis ibi loci veriſſime alluditur ad Canticum Moſis & Sororis ejus, quod ab ipſis poſt liberationem ex Ægypto cantatum eſt, Exod. XV. 1. ſqq. Verum ego ſic inſtituam, ut in interpretatione ſequentium verſiculorum utramque hypotheſin inter ſe comparem, ut verum hic facilius inveniri & diſcerni queat.

VIII. Redeo itaque nunc poſt hanc neceſſariam inveſtigationem ſubjecti ad Paraphraſin Subjectum ſunt ex noſtra hypotheſi illi ipſi, de quibus dictum erat ℣ſ. 26. *Dicebam: Ego illos exterminabo, & delebo memoriam illorum inter homines:* ut adeo, quod Vir doctus ſcribit ex hypotheſi noſtra connecti verſum cum ℣ſ. 5. cantici, aliter habeat. Sunt autem illi, qui ℣ſ. 26 deſcribuntur Judæi, illi ipſi nefarii, ad ſummum impietatis faſtigium provecti, impœnitentes, ſcelerati, de quibus Deus ſeveram illam vindictam ſumpſit per Romanos, ut ibi vidimus. His exacte conveniunt attributa, quæ hic recenſentur. Primum eſt, quia *Gens ſunt perdita conſiliis*, ſive *periens conſiliis ſuis.*

Vox אובד enim, ſtylō ſcripturæ, active & paſſive ſumitur. Oratio ita cohæret *A*. Si Deus hic non magis reſpexiſſet ſuam Gloriam, quam merita horum rebellium, fœdifragorum, ſummo jure illum eos fuiſſe

A. Sermo ex mea opinione eſt abruptus, in quem vates ſubito erumpit, vel quem affectus, quo in populi ſalutem ferebatur, ſuperiore oratione inflammatus, ipſi expreſſit. Cum enim ſuperiora declaraverant, Deum ſententiam decretoriam, cujus executionem mox futuram populus meritus fuerat, aliquo tempore diſtuliſſe, & non niſi partem aliquam repræſentaſſe, ut populus illo judicio excitatus oculos in *ultimum* defigeret, & reſipiſcentia præverteret; cumque vates prævideret, *rationi*, quæ judicii decretorii *temperamentum* ſuaſerat, locum poſtea non amplius futurum: hæc verba pleno affectu ſubito effudit: *Profecto gens perdita conſiliis illi ſunt*; *nec in iis aliquid intelligentiæ eſt: utinam* &c. acſi dicat. Quæ gens tam ſtupida eſt, ut ex ejusmodi præludiis ſummum & perfectum ſibi imminere exitium non perſpiciat? quod tamen cum Judæi ad animum non ſint revocaturi, oculos ad *extremum* ſuum non verſuri: quis non exclamat? *ſane gens perdita conſiliis &c.* quid aliud relinquitur, quam inane votum: *utinam* &c. quis hinc non collegerit, ſua propria ſtupiditate & incredibili ſtultitia Judæos hæc mala in ſe derivaſſe. Unde patet. 1. voculam כי hic reddendam eſſe *profecto*, quam poteſtatem ℣ſ. 21. & ſæpe alibi habet. 2. primum ſenſum ad *excoecationem* pertinere & *indurationem* Judæorum, qua ſalutaria conſilia nec novit, nec percipere poteſt, nedum admittere & ſequi. Judicium ultimum ſibi imminere, quod ex ſuperioribus judiciis facile colligere poterant, ſi aliquid ſuperfuiſſet *ſapientiæ*, ut crederent a ſe impetrare non valuerunt: impendens judicium qua ratione averterent, *occultum plane erat ab oculis ipſorum* Luc. XIX. 42. Contra adeo longiſſime

ſe exterminaturum, & de hominibus deleturum eſſe memoriam illorum, quia *gens ſunt perdita conſiliis, & in illis nulla eſt prudentia*, ſc. quia conſilia elegerunt

me a veris mediis, quibus felicitas ſtabiliri, & mala averruncari poſſent, *aberrarunt*, acſi nihil aliud ac reip. ruinam in animo habuiſſent. Quod hic egregie exprimit titulus גוי אבד *erroneus errans*, quemadmodum in origine denotat: ſine qua nemo perſpexerit elegantiam ſermonis. גוי proprie ſignificat *erroneum*, ut ex rad. Arab. غوي cui hæc vox apud Hebr. omnino reſpondet, manifeſtum eſt. Hinc ad quosvis homines, qui a *veritate* vel *pietate* aberrarunt, facilis factus eſt tranſitus: quo ſenſu nonnunquam in Script. occurrit. ut Pſ. LXXIX. 10. LIX. 6. Pſ. XLIII. 1. Jer. V. 9. Unde haud difficulter colligitur, quare *pagani*, veritate & pietate ut plurimum orbi, hoc in ſpecie titulo inſigniri ſoleant, oppoſite ad Judæum populum, עם dici ſolitum. Radix אבד proprie itidem teritur in ſignificatione *aberrandi a ſtatu ſuo:* quam poteſtatem & in Lingua Hebr. præfert, cum *erronem*, & dein *paſtorem*, denique *ovem* a grege divagantem dicit: poſterioris uſus frequentia ſunt exempla, ut vel ex Cl. Cocceji Lexico in vulgus notum eſt. Priore ſignificatu reperitur Job. XXXI. 19. Deut. XXVI. 5. ubi Jacob audit Syrus אבד *erro*, ut recte Cl. P. Weſſeling, collega conjunctiſſimus, obſerv. l. II. c. 3. Cæterum *erro errans* emphaſi ſua erit *erro* perfecte & ſummo gradu *errans*, & voce ad animum relata, *ſtultus*, qui a mentis ſanitate alienatus eſt, qui a *ſtatu naturali* divagatur: quo ſenſu in Lingua Æthyop. *ſtultum* ſignificat, ut ad hunc locum notavit Cl. de Dieu: qui opportune huc adtulit Jer. IV. 9. die *illo* יאבד *ſtulteſcet cor regis*. Denique cum ejusmodi *errores ſtulti* populum in ſummam perniciem præcipitem dederunt, *perdendi* ſignificatum, quem radix Hebr. præfert, hic non excluſerim. H. VENEMA.

peſſima, ab omni prudentia tam ſpirituali quam civili remota: Spirituali quidem, quod ſalutem ſibi juxta promiſſa Patrum oblatam & repræſentatam, poſt reſurrectionem etiam Chriſti Jeſu ex mortuis tot argumentis clare & ſolide demonſtratam, tam obſtinate & pertinaciter ſpreverunt, ſecundum dictum Domini Luc. VII. 30. *Phariſæi & Legisperiti conſilium Dei adverſus ſe ipſos ſpreverunt;* civili, quod ſe auſi fuerint opponere ampliſſimo Romanorum Imperio, & bello cum potentiſſimo & fortiſſimo Populo Domitore Gentium commiſſo, experiri fortunam, & quidem poſtquam jam palam conſtaret; illos Romanis eſſe inferiores, pacem ſibi ab hoſtibus oblatam pertinaciter ſpreverint: cujus imprudentiæ & ſtultitiæ ſummæ in conſiliis convicti ſunt publice ab Agrippa Rege & Joſepho, & Tito Imperatore ipſo, quorum orationes hac de re legi poſſunt, apud Joſephum.

IX. Id vero ipſum mox indirecte & oblique ita declaratur, ỳſ. 29. *Utinam ſaperent, utinam hoc intelligerent, & animum adverterent ad extremum ſuum:* h. e. Utinam vel hoc etiam tempore, cum per experientiam videant, ſe peſſima ſequutos eſſe conſilia, ad animum revocarent cauſſas hujus ſuæ ſummæ miſeriæ & calamitatis, in quem per ſtulta conſilia præcipitati ſunt. Utique debebant intelligere, vias ſuas Deo diſplicuiſſe, & provocaſſe ipſos ejus juſtam ſeveritatem per gravia quædam crimina, à ſe commiſſa, & poſtquam in hoc examine deprehendiſſent, graviſſimum omnium eſſe *ſcelus* commiſſum in Rupe ſalutis & Miniſtris ejus peſſime habitis, ſerio reſipiſcerent, & per poenitentiam & lacrymas ſibi viam pararent ad Divinam Gratiam. Convenit oratio per omnia ei Vatis Sacri, Pſ. LXXXI. 14. *Utinam Populus meus mihi*

au-

auſcultaſſet, Iſrael in viis meis ambulaſſet! & huic ipſi Cantico, in quo deſcribuntur ỷ. 6. *ut gens flagitioſe ſtulta & non ſapiens.* Eſt enim prudentiæ, ſibi per electionem optimæ Religionis viam parare ad favorem Dei & conſervationem temporalem ac æternam. Hæc clara ſunt & perſpicua, quæ ex omnibus Prophetis de ſtultitia Judæorum conquerentibus illuſtrari queunt. Jeſ. I. 1. ſqq. Hoſ. VII. 11. Jer. IV. 22. Tantum duo obſervanda ſunt. Primo, quod dicitur, לאחריתם non eſſe vertendum, *extremum* ipſorum, ſed *extremum ſuum*, in quod per peſſima conſilia pervenerant: quod extremum ipſorum eſt ſtatus ſummæ calamitatis, in quem pervenerunt poſt excidium Reip. per Romanos. Patet veritas interpretationis ex ỷſ. 20. *Et dixit, Occultabo faciem meam ab ipſis, videbo, quodnam ſit* אחריתם *extremum ipſorum,* h. e. ipſorum Judæorum. Secundo, quod Deo hic tribuatur *figura* voti, ut & in loco Pſ. LXXXI 14. ſequentia ſignificari, α. Deum erga Judæam Gentem bene fuiſſe affectum, eumque ſuum affectum illi ſæpius declaraſſe, & media ſalutis oſtendiſſe β. Populum Judæum ſua culpa & vitio illa media ſpreviſſe, atque adeo calamitatem ipſis ſolis imputari debere. γ. Eundem adhuc affectum ergo ipſos ſervare, ut, ſi hoc tempore reſipiſcerent, illos recipere velit in gratiam Quæ interpretatio ejuſmodi eſt, ut ſubjecto ex noſtra hypotheſi optime conveniat. Videamus, an æque commode inſtituatur ſecundum hypotheſin diverſam.

X. Docti Viri cenſent, verba hæc dici de *Romanis*, ſive Paganis, ſive Pſeudo-Chriſtianis, qui ſibi non ſatis caverant ab erroribus quibuſdam Judæorum, propter quos Deus Judæam Gentem perdiderat ac deſtituerat, quales erant Pelagianizantes, efferentes

tes cum Judæis libertatem arbitrii, & Photiniani, Samoſateniani, Ariani, negantes Divinitatem Chriſti Jeſu, quam ſententiam ſuam ipſi vere obſcure explicant. Ad hoc ſubjectum referunt, quæ hic dicuntur, ℣ſ. 28. *Eſſe* ſc. Romanos illos, ſive Paganos, ſive degeneres Chriſtianos, *Gentem perditam conſiliis*, quod ipſi, poſt pœnam ſumptam de Judæis, Evangelium Chriſti Jeſu non admitterent, & diſcipulos Chriſti Dei perſequerentur, vel errores Judæorum non abnegarent, atque adeo Deum ℣ſ. 29. votum fundere pro *ipſorum ſalute*, ut ipſi quoque ad *finem* ſuum attenderent. Verum, ſi largiar hanc interpretationem conſiſtere poſſe, ſi quis eam calide urgeat, h. e. attributa huic quoque ſubjecto applicari poſſe: ajo tamen, non poſſe quod ad facilitatem & probabilitatem cum noſtra comparari. Mitto rationes, quas jam in ſuperioribus produxi, quas hic non repeto. Nullas nunc depromo, niſi quæ ex interpretatione hujus ipſius pericopæ naſcuntur, ut v. g. α. parum probabile videri, Romanos, qui Rempubl. Judæorum deſtruxerant, Paganos, & degeneres Chriſtianos, hic *uno corpore* cenſeri, erat enim inter illos magna differentia. Pſeudochriſtiani enim ſe à Paganis diſcernebant. β. Parum probabile videtur, Deum, aut Prophetam, hic votum fundere pro Romanis, qui ℣ſ 27. veniunt nomine אויב *hoſtium* Dei & Judæorum. Quanto rectius & verius Propheta votum fundit pro Judæis, quorum ſalus ipſi curæ erat? γ. Quomodo id, quod hic ſupponitur, in univerſum de Romanis dici poterit? An Romani, an Roma ipſa non admiſit Evangelium? Num Chriſtiana Religio, à Judæis ſpreta, ſe non expandit per totum Imperium Romanum; etiam tum, cum Proceres & Imperatores ſe huic progreſſui opponerent? Erat-

ne

ne igitur ratio, cur potius mentio fieret Romanorum Evangelio-inobedientium, quam morigerorum? Summa hæc eſt, ex noſtra hypotheſi optime procedere orationem. Digni erant totali exterminio Judæi, quod plane eſſent Populus abſque intelligentia.

XI. Altera ratio huic immediate conjuncta, tenetur ℣ſ. 30. *Quomodo unus perſequeretur mille & duo fugerent myriadem: ſi non, quod Rupes illorum illos vendidiſſet, & Jehova eos tradidiſſet.* Parentheſis, ℣ſ. 31. *Quia non ſicut rupes noſtra rupes ipſorum eſt,* &c. Dixerat Propheta, ex noſtra hypotheſi loquens de *ſumma* Imprudentia Judææ Gentis, utinam attenderent *ad extremum* ſuum! cum quibus hæc cohærent: *Quomodo* ſc. fieret, ut *unus perſequeretur mille,* &c. Nempe Vates, juſtificans vias & judicia Dei, Judæos arguit ſtultitiæ & inconſiderantiæ ſummæ: potuiſſe enim illos & debuiſſe, ut homines intelligentia præditos, attendere extremum ſuum, quod erat Reipublicæ & Templi excidium. Mox profert aliud, ſed ſimile, ſpecimen ignorantiæ. *A.* Obſervaverant

A. Ad Judæos hæc verba pertinere, eorumque *inſipientiæ* alterum argumentum ſuppeditare, acſi in horribili clade a Romanis illata *manum* Dei perſpicere non potuerint, equidem non exiſtimaverim. a. Quia *aliæ* cauſæ, ac Deo ſuo, illam ruinam nec adſcripſerunt unquam, nec potuerunt. Ex gentibus aliqui Deo hoc judicium ſubtraxerint, Judæis id in mentem venire non poterat. b. Quod ſi quis regerat, Judæos cum *juſtitia* & *fidelitate* Dei illud conciliare neſciviſſe, ſciat eos non tam *juſtitiam* Dei in hoc judicio elucentem, quam veras ejus rationes ignoraſſe: deinde *juſtitiae cauſæ* ſupremæ hic nullam fieri mentionem: de *cauſa* ipſa tantum diſceptari. c. Dubium non eſt,

rant, & docuerat illos experientia, in bellis, quæ ipſi geſſerant cum Romanis, etiamſi numero potiores eſſent, ſe ſemper adverſariis ſuccubuiſſe: quod potuiſſent

eſt, quin verba ad paganorum calumnias pertineant verſ. 27., easque ultimo excidio nulla cum ſpecie urgeri poſſe, demonſtrent. quemadmodum inſpicienti textum ſponte clareſcet. d. Scopus itaque eſt, demonſtrare, Judæorum exitium Deo, ipſos tradenti, & non Romanorum potentiæ aut idolis, attribuendum eſſe: quod Judæi neceſſe non habebant, ut affirmetur; ſed Dei intererat, ut in paganorum oculos ingereretur. Eo ergo tendunt verba, ut evincant, eam *rationem*, quæ totalem ruinam antea impediverat, ab inimici ægritudine petitam, in hoc judicio ultimo locum non habituram, cum *manus* Dei evidentiſſima in eo conſpicerentur indicia. Cum enim hanc ſolam ob rationem, ne hoſtes *Deo* eriperent hanc laudem, & *ſibi* raperent, Deus *iræ* ſuæ fuiſſet moderatus in exilio Babylon., ut verſ. 27. habet: operæ pretium erat evincere, eam *rationem* id ſemper non præſtituram, nec ultimo judicio exſtituram, ut perverſa Judæis eriperetur opinio, qua ſibi falſo & inepte perſuadebant, Deum, quod antea facere non poterat ſalva ſua majeſtate, *nunquam* poſſe: eandem enim *rationem* ſemper obſtituram, qua gentes in Dei dedecus raperent Judæorum exſtirpationem. Ut ergo cum vana hæc fiducia Judæorum refutaretur, & ſtulta eorum ratiocinia redarguerentur, tum paganis eriperetur vel minima anſa judicium Judæorum in Dei contumeliam vertendi, atque ipſius exitii, certo futuri, quippe cui nulla tunc obſtaret *ratio*, veritas in lucem protraheretur, *duobus* hiſce verſibus id agitur, ut, quam clare *manus Dei*, populum tradentis, in eo eluxerit, pateſiat. Eſt, acſi dicat Moſes. Stulta profecto eſt Judæorum natio, quod cum prævidere & prævenire potuerit ultimum exitium, illud non fecerit,

ſent obſervare & ad animum revocare, fieri non potuiſſe, niſi Deus ipſos propter peccata & ſcelera graviſſima tradidiſſet poteſtati hoſtium: Deum enim præter gravem cauſſam & rationem eos non tradi-

rit, quare ſibi imputent extremam malorum lineam, ad quam pervenient. Stultitia ipſos adeo excœcavit, ut, Deum ejusmodi judicium ipſis infligere *ſalva ſua majeſtate* poſſe, negare in animum induxerint; acſi eadem ratio, quæ in priore excidio iram Divini Numinis temperavit, nunquam non eam cohiberet: aliaque Deo deficerent *media* hanc calumniam refutandi. Contra, ultimum excidium ita a Deo adminiſtrabitur, ut clariſſime eniteat, Judæos a Deo eſſe traditos, ejus non tantum auxilio deſtitutos, ſed & ſingulari deſtinatione exitio devotos. *Quomodo unus perſequetur millenos, & duo fugarent decies millenos?* quod eo tempore accidet: *niſi rupes ipſorum eos vendidiſſet, & Jehova eos* concluſos *tradidiſſet?* quis ſupremi Numinis manum in eo non conſpicit? niſi enim in reprobam mentem fuiſſent traditi, & terrore divino perculſi, ab ipſo Deo ſuo abjecti; quomodo hoc contingere potuiſſet? Hoccine ſpecimen Deo a calumniis vindicando non ſufficit? obſerva, quod ad rem præſentem egregium eſt, Titum ſuo exemplo veritatem hujus ratiocinii præſtitiſſe. Ipſe enim, ut ſupra annotavi, id diſerte confeſſus eſt. Addo Philoſtrati locum *de vita Apollon.* l. VI. c. 29. ubi narrat Titum, cum finitimæ gentes ad eum coronas mitterent ob debellatos Judæos, eas quidem non *repudiaſſe*, quin aſſumſiſſe, ut ex Joſepho conſtat, ſed *indignum* ſe confeſſum eſſe, quippe qui *iræ* Dei inſtrumentum fuerit. ὁ δὲ οὐκ ἠξίου ἑαυτὸν τούτου: μὴ γὰρ αὐτὸς ταῦτα εἰργάσθαι, Θεῷ δὲ ὀργὴν φήναντι ἐπιδεδωκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας, *ipſe ſe tali non dignum honore cenſuit: neque enim ſe ea effeciſſe: ſed Deo iram demonſtranti manus tantum commodaſſe.* H. VENEMA.

diſſe hoſtium poteſtati, neceſſario colligendum eſſe ex ejus Juſtitia & veritate intaminata, de Juſtitia ejus neceſſario præſumendum eſſe. Sunt autem ad hanc pericopam recte intelligendam duo obſervatu plane neceſſaria. *α*. In ratiocinio Prophetæ alludi ad promiſſa & interminationes Judææ Genti a Moſe factas, ad quas eos juſſerat attendere, tanquam ad *ſigna* favoris aut iræ in ipſos Divinæ. Sic Lev. XXVI. 7, 8. futurum eſſe, *ut quinque ex iis centum fugarent, & centum myriadem perſequerentur*. Pariter Deut. XXVIII. 7. 25 ut *hoſtes qui una via ad ſe acceſſerant, ſeptem viis fugerent*; & è contrario, ſi ipſorum conſilia & inſtitutum vitæ Deo diſplicerent. *β*. In ratiocinio Prophetæ ſupponi, ejus rei nuper admodum editum eſſe notabile exemplum ejus, quod hic docetur, ut unus hoſtium mille perſecutus ſit Judæos, proinde hic reſpici bellum aliquod memorabile inter Judæos & hoſtes ipſorum geſtum, à quo pendebat ſalus Judaica; & ex quo bello judicare deberent, an Deum ſibi haberent adverſum, num propitium: quale illud bellum fuit, quod noviſſime cum Romanis geſſerunt ſub Tito & Hadriano, ut mox dicam. Quibus hypotheſibus admiſſis, facilis erit pericopæ intellectus, quam relegam & ad ſingula aliqua annotabo

XII. Caſus ipſe, qui hic ſupponitur, ℣ſ 30. *Quomodo unus perſequeretur mille?* ſc. in bello publice geſto: plus eſt, *Et duo fugarent myriadem?* Hæc gradatio longe adhuc major eſt, & paradoxa: debebat dicere Propheta: *duo duo millia*. Sed dixit, *myriades*. Videt quiſque, hic ſupponi caſum vel hypotheſin aliquam, qua acciderat, ut unus perſequutus fuerit mille:

mille: quæ hypotheſis valde eſt paradoxa, atque adeo hic prudenter accipienda. Oratio Prophetæ hic, ut ſæpe, eſt Hyperbolica, & tamen Hyperbole ſic eſt ficta, ut reſpondere poſſit veritati ſic Samgar Jud. III. 31. Jonathan, 1 Sam. XIV. 12. 2 Sam. XXIII 8,9.

XIII. Hic vero Caſus, tanquam hypotheſis, ſubſternitur ratiocinio, quod ex eo ducitur, ℣ſ. 31. *Si non? quod rupes ipſorum ipſos vendidiſſet, & Jehova eos tradidiſſet.* A Nempe quæritur hic ratio ejus caſus, qui

A. Ad emphaſin & ſummam elegantiam, quæ verbo מכר ineſt, interpretes non penetrarunt. Proprie eſt, *ligno collari conſtrinxit*, ut ex Arab. lingua nuper obſervavit Cl. A. Schultens in clav. dial. litt. *Samech.* מכר eſt lignum *collare*, ſeu ferrum, quod *collo feræ injicitur*, ut Ezech. XIX. 9. hinc verbum מכר a. dicit ejusmodi collari injecto quem *conſtringere* b. colligatum *tradere* in poteſtatem alterius c. idque cum publica *proſtitutione*: unde ſignificat, aliquem tanquam *mancipium*, vel mortis reum, publice traducere, & cum proſtitutione tradere. Vid. 1 Sam. XVII. 46. XXIV. 19. XXVI. 8. Amos. I. 9. Deut. XXIII. 16. Jeſ. XXIV. 22. Judæi non ſimpliciter *venditi* ſunt, ſed viribus eorum inhibitis, ipſi, tanquam *collari* conſtricti, judiciis Dei undiquaque concluſi, Romanis traditi ſunt, idque non *honeſte*, ſed contumelioſiſſime, cum publica nationis Judaicæ *proſtitutione*, quæ clariſſime demonſtrabat, Deum plane *abjeciſſe* populi curam. Unde elucet, *extremum* excidium hic vividiſſime depingi, quippe quo Deus populum non tantum tradidit in manus hoſtium, ſed *juri* ſuo, quod in eum habebat, *fere* renunciavit, eumque cum publica, eaque inſigni, contumelia a ſe *expulit* & *abjecit*, ut totus orbis perſpicere potuerit, hunc populum eſſe *iræ* divinæ ac *odii* objectum,

qui *ſuperiore verſu* deſcriptus erat, quo *unus* dicitur fugaſſe *mille*, &c. Demonſtratur autem, nullam ejus caſus dari poſſe rationem, niſi quod Deus ipſe Populum ſuum traderet hoſtium ſuorum poteſtati, quod ratiocinium recte digeſtum eſt, & ordine procedit. Vel enim ejus rei cauſſa adſcribenda eſſet impotentiæ Dei in populo ſuo ſervando, quod abſurdum; vel alienato affectui. Alienatus autem Dei affectus cum non poſſit habere aliam cauſſam, quam peccata & delicta populi: deberet utique Populus, ſi *ſaperet* & non plane ſtultus eſſet, inde colligere, ſe incidiſſe in graviſſimam Dei iram, & in tempore reſipiſcere. Suppono, in hac interpretatione per vocem צור *Rupem* idem intelligendum, quod per יהוה *dominum*; & voces has in hoc *verſiculo*, ut paſſim, alternari, quod mox diſtinctius monebo.

XIV. Nihil reſtat ad intellectum Pericopæ, niſi ut definiam, ad quem caſum Gentis Judææ alludatur. Ajo hic paucis verbis, non poſſe hic alludi ad Bellum Babylonicum, quia eo tempore Judæi longe erant inferiores numero Babyloniis. Nulla eo tempore erat comparatio. Judæi dudum imminuti & infirmati erant. Sed alluditur omnino ad Bellum Judæorum, Geſtum cum Romanis ſub Nerone, & Veſpaſiano & Hadriano. Quo tempore Romani Judæos aggreſſi ſunt, ſcatu-

ctum. Incredibili calamitate defuncti Romanorum dominio colla ſubjecerunt, & qui ſupererant, partim variis ſuppliciis affecti, partim in triumphum acti, partim per orbem diſperſi ſunt, omniumque inſultibus ac contumeliis expoſiti. Quæ ex hiſtoria notiſſima ſunt. H. VENEMA.

ſcaturiebat non Judæa tantum, ſed & Orbis terrarum Judæis, per omnes Provincias Romani Imperii diſperſis: quare Bellum hoc Romanis, quorum ampliſſimum erat Imperium, habitum eſt difficillimum. Equidem oppoſuerunt illis Romani exercitum ſatis numeroſum: Sed qui tamen à Judæorum multitudine in Canaanæa longiſſime ſuperabatur numero. Cum Titus Hieroſolymam obſideret, concluſa erant urbe aliquot centena Judæorum millia, quæ copias Romanorum longe ſuperabant, ut certus teſtis eſt Joſeſephus. Et tamen victi ſunt: ſcilicet quod ſoli fere zelotæ, & factioſi, rem adminiſtrarent. Sed alia facies fuit ſub Hadriano, quando tota Gens Judæorum in rebellionem concitata in armis fuit, extremo conamine tentatura fortunam adverſus Romanos: quo tempore Exercitus illorum, ex teſtimonio profanorum & domeſticorum, h. e. ipſorum Judæorum, copiis Romanorum longe fuerunt numeroſiores; de qua multitudine Judæorum adverſus Romanos Duce Barcocaba armatorum, quem illi ut Meſſiam venerabantur, quæ Judæi narrant, Ganzius in Tſemach David, Zacuthius in Libro Juchaſin, Talmudici in Codice Taanith, omnem ſuperant fidem, tantum ex his, collatis cum Dione Caſſio, colligimus, numerum fuiſſe ingentem, & omni fide majorem; qui tamen ipſi Judæi illo tempore tantis cladibus & ſtragibus à Romanis numero multo minoribus cæſi ſunt, ut Judæi ipſi plusquam duodecies centena hominum millia, ſive, quod ipſi narrant, in ſola Urbe Bitter, quam ſedem Regni & Belli elegerat Barcocabas, octoginta mille myriades periiſſe. Equidem hæc talia ſunt, ut fidem non mereantur: ſed quæ tamen, ſi minora ſint, plane ſufficiunt huic luculentæ pro-

phetiæ

phetiæ interpretandæ, qua futurum eſſe dicitur, ut unus mille, & duo myriadem fugarent; ut ex eo colligeret Gens, Deum ſibi iratum fuiſſe, & ſe ſtulta ſequutam eſſe conſilia, quod nunquam magis quam hoc tempore compertum fuit. Sic ſibi perfecte conſtat ratio noſtræ interpretationis, eventui exacte reſpondentis.

XV. Videamus nunc, quod unum reſtat, quo modo hic procedat interpretatio ſecundum diverſam inſtituta hypotheſin. Cenſent Docti Viri, hæc verba accipienda eſſe de Romanis, &, ut vidimus, de Pſeudochriſtianis. Sed hanc pericopam ſolis vindicant Romanis Paganis: ſequentem parentheſin ad Romanos Pſeudochriſtianos referunt, ut ibi videbimus. Summa interpretationis hæc eſt, verba hæc pertinere ad victoriam, quam Conſtantinus & Licinius Patroni Chriſtianorum reportarunt de Maxentio & Maximino, accuſari itaque hic Romanos Paganos ſtultitiæ, quod, cum ipſi viderent Deum in prælio Conſtantini cum Maxentio, & Licinii cum Maximino, cauſſæ Chriſtianorum favere, & exercitus Maxentii ac Maximini fugari à Conſtantino & Licinio, non inciperent *ſapere*, & non clare perſpicerent, Religionem Chriſtianam Deo magis probari.

XVI. Sed, ſi nihil in *textu* ipſo eſſet, quod huic interpretationi refragetur, ſunt gravia alia, quæ ei obſtant Primo in textu Moſis ipſo dicitur, cauſſam *calamitatis* illius ſubjecti, quod hic memoratur, eſſe hanc ipſam, quod *Rupes illorum* illos *venderet*, & *Jehova eos traderet*. Cum hic per Rupem ex ſtylo Moſis Deus intelligendus ſit: an Deus fuit Rupes Romanorum Paganorum? Docti Viri intelligunt diverſas res per *Rupem*, ſc. Diabolum. Sed hæc interpretatio ſe mihi nunquam

quam potuit commendare. Si res in ſe ſpectetur; a. Actio Deo tribuitur Jud. 11 14. 1 Sam. xii. 9. b. Reduplicatio & alternatio idem arguit; in Scriptis Propheticis & Odis Davidicis receptiſſimi uſus. Unde ſequitur: *Si vendere* & *tradere* hic ſint eadem actio; *Rupem & Jehovam hic eandem eſſe perſonam.* c. Incongrue dici videtur, Diabolum, qui tanquam fortis heros, pro *Domo* ſua, h e. Imperio Romano, tuanda, & auctoritate ſua retinenda; extremis viribus circa tempora Conſtantini pugnavit, ut liquet ex Matth. xii. 29. & ex Viſo Apoc xii. 9. *tradidiſſe* vel *vendidiſſe* ſuos cultores. Docti Viri hic ſubtiliter conantur elabi, ubi ſtatuunt, Diabolum, cum videret ſe non poſſe ſuſtinere amplius idololatriam, conſtituiſſe aliam aſſumere perſonam, & ſe oſtentare ſub forma & ſpecie Beſtiæ: quæ vere nimis quæſita ſunt, ut in interpretatione hujus Cantici locum invenire poſſint. Et hæc quidem ratio, ex ipſo textu petita, graviſſima obſtat interpretationi Doctorum Virorum. Sed præter hæc expendi velim, ſupponi in hac interpretatione, a. Romanos pertinaciter ſpreviſſe Euangelium Chriſti, & ideo in univerſum damnari, ut gentem inſipientem: ſed id in univerſum dici nequit, quia utique ex Romanis plurimi in Chriſtum Jeſum crediderunt. b. Secundo, ubi Conſtantinus congreſſus eſt cum Maxentio, & Licinius cum Maximino, ex hac hypotheſi dicendum eſſe, unum fugaſſe mille, & duos myriadem: quod, licet hyperbolice dictum accipiatur, tamen fidem non invenit in hiſtoria. Tertio. victoriam Conſtantini de Maxentio habendam eſſe ut graviſſimum argumentum veritatis Religionis Chriſtianæ: quod nemo prudens dixerit. Id magis valebat ſub Oeconomia Vetere quam ſub Nova; licet

hoc argumentum in ſuis circumſtantiis à nobis non ſpernatur. Ad quæ accedit, ſi hic alluderetur ad caſum victoriæ Conſtantini de Maxentio, conſequens fore, Romanos, qui fere per tria ſæc. ante hunc caſum in Chriſtum Jeſum non crediderunt, non potuiſſe jure imprudentiæ accuſari, quod tanto intervallo non receperint Evangelium.

XVII. Ergo, conſtituta interpretatione noſtra, videndum eſt, an cum ea conciliare poſſimus ℣ſ. 31. qui ſingularem meretur conſiderationem. Is ita habet: *Nam non ut Rupes noſtra Rupes ipſorum; ipſis inimicis noſtris Judicibus*. Hæc vera eſt verborum verſio, paſſim ab Interpretibus agnita, quæ, quocunque modo accepta, videtur parere difficultatem interpretationis, quam ut veram præſtemus, ex noſtra hypotheſi quædam hic in anteceſſo ſupponenda ſunt. Primo ſupponi velim, eſſe hæc verba *Eccleſiæ* veræ, quæ hic loquens introducitur, quod paſſim omnes ſupponunt: licet forte aliqui ſtatuant, eſſe verba hæc Dei, in perſona Eccleſiæ loquentis, ſed id incongrue dicitur. Sunt hæc verba Eccleſiæ veræ, cui ſe accenſet Moſes, quæ perſona tertia in hoc Cantico comparet, & cum Moſe concurrit ad judæos fœdifragos & impœnitentes convincendos. Ita eſt, Deus ſibi in omni reprobatione ſemper *ſemen* conſervat Rom. XI Secundo, Eccleſiam hanc edere confeſſionem de ſua Religione, & Religionis ac ſpei ſuæ fiducia, oppoſite ad Religionem fugatorum ab hoſtibus. Tertio Eccleſiam, quæ hanc confeſſionem edit, eſſe Eccleſiam diſcipulorum Chriſti, ſive Eccleſiam Judæam primævam, quæ fidem, ſpemque ſuam, contradiſtinguit fidei & ſpei fugatorum ab hoſtibus. Eſt autem hæc ipſa Eccleſia primæva ex Judæis credentibus electis originaliter conſtans,

quæ

quæ in communionem adſciverat Gentes, ut dehinc in terris conſtitueret Populum, Populo veteri contradiſtinctum, ut de iis, ℣. 21. & 35.

XVIII. Quibus ſuppoſitis videamus, quomodo hunc verſum expediant Docti Viri, qui hic putant agi de Romanis. Prius facile: Eccleſia ait, Rupem ſuam non eſſe ut Rupem Romanorum. Nempe rationem reddi ab Eccleſia, quare ipſa tempore Conſtantini de hoſtibus ſuis triumphaſſet: *Rupem* enim *ſuam* non eſſe ut *Rupem Romanorum*, h. e. Chriſtum Jeſum eſſe fortiorem Marte, Romanæ Reipublicæ Præſide, quo nomine Diabolus inter Romanos colebatur. Id vero recte hactenus procedit, & nihil vitii habet. Sed quid id ſibi vult? quod ſequitur: *Et inimici noſtri Judices*, ſc. erunt, ex ſententia Doctorum Virorum. Cenſent illi, alludi his verbis ad Concilium Nicænum, in quo poſt pacatum Orbem Romanum à Conſtantino aſſerta eſt *vera Divinitas Filii* Dei. Id autem Judicium eſſe ſolenniter latum à pluribus etiam Romanis hypocritis, in Synodo Nicæna, qui ſubdoli erant, & veri hoſtes Eccleſiæ, & Chriſto mentiebantur, ſed utilitatis cauſſa ſe Chriſto Jeſu ſubjiciebant, atque adeo, licet veri hoſtes eſſent Chriſti & Eccleſiæ, publice tamen Divinitatem Chriſti Filii Dei adverſus Paganos & Arianos ſolenni judicio confitebantur atque aſſerebant. Quid negem, hæc eſſe dura & duriſſima? Primo enim, an de vera Divinitate Chriſti Filii Dei diſputatum eſt inter Chriſtianos & Paganos; an non potius inter Chriſtianos ipſos? Atqui hic debebat ex hypotheſi Eruditorum Virorum dirimi controverſia inter Chriſtianos & Paganos. b. An Judicium de Divinitate Filii Dei, deciſum in Syn. Nic., ullo modo dici poteſt editum eſſe ab ho-

ſtibus Eccleſiæ? An jam illo tempore Eccleſia illos, qui præſederunt Judicio in Synodo Nicæna, potuit & debuit reſpicere ut ſuos *hoſtes?* an non fuerunt veri Eccleſiæ *amici?* Sic putem. Et tamen Cl. Coccejus nullam aliam viam invenit perſequendi ſcopum, de quo mox videbimus ad ℣ſ. ſeq.

XIX. Noſtra hic ſunt ſimpliciſſima. A Eccleſia vera primæva Apoſtolica, poſtquam docuiſſet, Judæos

A. Tempore exilii Babylonici cum *unum* tantum haberet populum verus Deus, a quo agnoſcebatur, eum ſi penitus miſſum feciſſet, videri poſſet, vel *virium* defectu laborare, quo populum contra hoſtium impetus tueri non poſſet; vel a *fidelitate* minus eſſe commendabilem, cum populo promiſſis ſeſe obſtrinxerat. Quæ ratio effecit, ut populum penitus non repudiaverit. Atenim, poſtquam meliorem Judæorum partem per Meſſiam Filium ſuum in unum corpus collegiſſet, & a reliquis ſejunxiſſet in *novam* eccleſiam, cui *gentes* ſeſe adjungerent, nulla amplius cum ſpecie aut *virium* aut *fidei* defectus Deo objici poterat, ſi carnales, impios, Judæos cum externa illa religione funditus exſtirparet: tum quod & *fidem* in promiſſis, ad pios tantum pertinentibus, præſtandis abunde liberaverat; & potentiæ ac majeſtatis ſuæ luculenta ſatis dederat in nova eccleſiâ ſpecimina: tum quod a carnalibus illis & ſuperſtitioſis pro *vera* rupe non *recte* agnoſceretur, quippe qui *rupem* ſuam in Filio repudiato & flagitioſe tractato publice abnegaverant. *Prius* illud efficiebat, ut ſalva *veracitatis* & *potentiæ* ſuæ laude populum veterem exſcindendum tradere poſſet hoſtibus: *poſterius juſtitiam* Dei illuſtrabat, & culpam peſſundatæ reip. in Judæos, a *rupe* ſeſe abſtrahentes, eique nuncium mittentes, conjiciebat. Utrumque aſſerebat, Deum, non obſtante hoc judicio in Judæos, *populi ſui* manere *rupem*, nec aliam

dæos incredulos, impœnitentes, Apoſtatas, Judicio Dei in Bello cum Romanis eam ob cauſſam ſuccubuiſſe, quia Deus Jehova, quem illi externa confeſſione

aliam eſſe præter Deum in orbe *petram*, cui quis tuto confidere queat. Utrumque verbis noſtri ℣ſ. 31. inſinuatur. Cum enim ſancti & fideles dicunt, Deum longe potiore jure & majore emphaſi *ſuam eſſe petram*, ac Judæorum carnalium, *ſuam* quoque eſſe *rupem* manifeſte indicant: acſi plene dicerent, ipſorum non tantum ſed & *noſtra* rupes eſt, imo eo ſenſu, & jure, noſtra, ut *illorum* vix amplius appellari debeat: non eſt Deus, (is enim hic omnino mente intelligendus eſt) *rupes* ipſorum, ut *noſtra* eſt. Cæterum ad *nexum* ratiocinii demonſtrandum naſcio an pluribus opus ſit. *Remota* cohærentia, qua cum ipſa *theſi* cohærent, & novam *rationem*, quæ Deum ab omni criminatione ob populum rejectum abſolvit, continent, ex dictis facillime elucet. *Proximus* cum vers. ſuperiore nexus, difficilior forte, facillime fluet, ſi ellypſis, quæ hic latet, obſervetur. Dixerat verſ. 30. *petram Judæorum eos tradidiſſe*, ſed id tempore Novi teſt. minus proprie dictum erat, cum alius quoque & melioris populi potiore jure & majore emphaſi eſſet rupes: quod verſ. 31 inculcat, *quia non ſicut rupes ipſorum rupes noſtra:* acſi diceretur, quid dico *rupes ipſorum?* imo potius *noſtra: quia non ſicut noſtra ipſorum eſt*. Cujus ellypſios anſam præbet, quod ℣ſ. 30. pro *rupe* ipſorum mox dicat *Jehova:* hoc ſenſu, *niſi rupes ipſorum ipſos vendidiſſet*; imo *Jehova eos conſtrictos dedidiſſet*, ſic enim rectius loquor, quam *rupes eorum, quia rupes non tam eorum quam noſtra eſt*. Quamvis enim vere Judæorum *petra* fuerit ſub œconomia externa vetere; eoque nomine inſigniri poſſit: nunc tamen, fidelibus ex populo in novam eccleſiam coadunatis, horum rectius quam illorum dici meretur rupes. Quare ſi proprie loqui velis, *rupes* ipſorum eos non tradidit, niſi poſt-

ne fidei *ſuam Rupem* eſſe fatebantur, eos *tradiderat* & ultro *vendiderat* hoſtium poteſtati: hic tollit difficultatem, quæ adverſus illam ſententiam ultro moveri poterat. Objici enim poterat, & ultro cuique in mentem poterat venire, quare Deus Jehova, quem illi *Rupem ſuam* eſſe fatebantur, eos *tradidiſſet* ac *vendidiſſet*? An enim Judæi, à Romanis victi, non agnoſcebant *unum* Deum? An non colebant Deum Abrahami, & quidem Jehovam? Quin imo, an non eundem colunt Deum Jehovam, qui colitur in Eccleſia Chriſtiana? quare igitur Jehova illos tradidit? quo fundamento Eccleſia magis fidat Deo Jehovæ quam Judaica? Eccleſia ſolvit difficultatem & reſpondet, videri Religionem Judaicam & Chriſtianam eſſe eandem, ſed non eſſe: quod illi ita efferunt: *Quia rupes noſtra non eſt ut Rupes ipſorum.* Differentia in eo eſt. *α*. Quia Judæi non colunt Patrem in Filio, quod facit Eccleſia, ita colunt Patrem, ut non oſculentur Filium, ipſis propoſitum in Rupem ſalutis, cum contra, qui Filium non habet, non habeat Patrem. Joh. I. 10. V. 23. VIII. 43. XIV. 9. XVI. 3. XVIII. 3. 1 Joh. II. 3. *Qui Filium abnegat non habet Patrem.* *β*. Quia adſpirabant ad ſalutem non per *fidem*, ſed per *Opera* & merita ſua, & Patrum. Rom. IX. 31, 32. quæ ſententia habetur in Religione peſtilentiſſima. Ergo ne miremini, ait Eccleſia, quæ ſe à Judaica carnali ſeparaverat, illos

poſtquam ab ipſis *repudiata* eſt, & *rupes* ipſorum eſſe deſiit: ita ut Deus nullo modo inſimulari poſſit, acſi *rupes* populi ſui non eſſet, vel ſe eo titulo indignum geſſiſſet, cum Judæos ad internecionem usque delevit. Illi enim nec *Dei populus*, ſed *hoſtes* verius, ut ex ſequentibus patebit, nec Deus *ipſorum* amplius *rupes* erat: Confer Jeſ. L. I. Rom. XI. H. VENEMA.

illos à Deo, qui eſt Objectum fidei noſtræ, deſtitutos eſſe; nam licet nominetenus Jehovam Deum ſuum fateantur, non tamen illum colere vere & ex ejus voluntate: quæ cauſſa eſt, quod ſe ab Eccleſia Judaica ſepararet. Addit, *ipſis hoſtibus noſtris judicibus*. A Alluditur manifeſte ad *converſionem Gentium*. Gentes enim ad Chriſtum convertendæ, & inter eas ipſi Romani, quæ accederent ad Eccleſiæ communionem, cognoſcerent & agnoſcerent, Judaicam fidem à Chriſtiana diverſam, & hac deteriorem eſſe, & illos hoc ipſo incurriſſe in Divinum Judicium; quod à vera fide &

A. Quod ſi quis moroſius contendat, *hoſtes*, qua *tales*, & non tantum *converſos* ex ipſis, intelligi: is, meo judicio, hunc locum comparare poterit cum ℣ſ. 27. & de cauſæ diſceptandæ certiſſima & clariſſima veritate locum noſtrum interpretari, ita ut *vel* ad ipſos hoſtes *judices* provocare audeat eccleſia. Cum enim iræ ſuæ Deus poſuiſſet modum tempore exilii Babyl., quia non ſine ſpecie in Dei dedecus trahi potuiſſet plenaria Judæorum deſtructio, adeoque *inimici* judicium tum metuendum fuiſſet: nunc, ubi ſcena mutata eſt, judicium cum manifeſtis Divinæ iræ ac potentiæ ſignis adminiſtratum eſt, Deus novam condiderit ſocietatem, ejusque potius quam Judæorum *rupes* publice innotuerit: cauſa Dei tanta veritatis & juſtitiæ luce fulgebat, ut ne ipſorum hoſtium tribunal recuſare neceſſe habeat. Nec deſunt exempla, quibus ob cauſæ evidentiam & juſtitiam ad *gentes* provocetur, ut Deut. XXIX. 23. vel & ipſis illis, qui damnandi ſunt, ſententia pronuncianda demandetur, ut Jud. IX. 7, 8. 2 Sam. XII. 2, 3. XIV. 3, 4. Jeſ. V. 3. Hoc ſenſu ſi capias, in ואיבינו egregie vertitur *imo*, *quin*; habetque *corrigendi* poteſtatem. ut Prov. VI. 16. Zach. IX. 9. *in aſino & pullo*, imo pullo. H. Venema.

& cultu Dei diſceſſiſſent. Deut. XXIX. 24, 25, 26. Conferri debet ℣ſ. 21. Inde δικαιολογία. Cum enim carnales homines vias Dei inſimularent iniquitatis, quod Deus illos, ſuo hactenus cultui adhærentes, abſque mixtura idololatriæ ſiviſſet deſtrui per Romanos: negat eccleſia, rem ita ſe habere.

XX. Subnectitur *ratio δικαιολογίας tertia*, proxime priori connexa, & ad parentheſin illuſtrandam apta: quia Populus erat in *errore* peſtilente circa viam ſalutis, & doctrina illorum plane corrupta ℣ſ 32. *Nam ex vite Sodomæ eſt vitis ipſorum & ex agro Gomorrhæ: uvæ ipſorum ſunt uvæ venenatæ; racemos habent amaros*, ſive *fellcos*. *Vinum Draconum eſt vinum ipſorum, & venenum aſpidum immane*, quæ poſtrema pericopa ſecundum alias editiones facit ℣ſ. 33. ſed Maſorethæ ſententiam totam uno verſiculo complexi ſunt. Ad intelligentiam verborum unice pertinet, cognoſcere & diſcernere ſubjectum hujus Orationis, quod nos demonſtramus eſſe illos ipſos Judæos, ad quod vitiorum & criminum ſuorum convincendos hoc Canticum inſtitutum eſt. Sed Docti Viri, qui hic diverſam ſequuntur hypotheſin, hic longe aliter inſtituunt, & ſane valde paradoxe, ut res ipſa evincet. Connectunt hæc verba cum immediate præcedentibus: *Etiam inimicis noſtris Judicibus*, quæ ipſi interpretantur de Synodis, quæ haberentur inter Chriſtianos, & præſertim de *Synodo Nicæna*, in qua confeſſio edita eſt veræ Divinitatis Chriſti, & quidem à pluribus ejus Synodi vel Synodorum membris hypocritis, animo & affectu *inimicis*, quippe qui ipſi homines deinceps ſatis proderent doctrina & praxi ſua, ſe eſſe non amicos, ſed *inimicos* Eccleſiæ. Ex hiſce enim ipſis *inimicis*

cis tectis & clandeſtinis, qui ſe maxime oſtentabant in Synodis, natum eſſe Papam Romanum, Antichriſtum, cum Grege ſuo; qui per ipſas illas Synodos veritatem tandem oppreſſerunt, in Eccleſia introduxerunt idololatriam & ſuperſtitionem, & perſecutionem intulerunt in veram Eccleſiam Chriſti: de his itaque loqui Moſen, ubi ait: Vitem ipſorum h. e. inimicorum illorum, ſpecie amicitiæ judicium exercentium in Synodis, eſſe vitem Sodomæ, &c. quæ itaque ipſi tum applicant ad ſtatum Eccleſiæ Antichriſtianæ. Paradoxa vere eſt ſententia: ad quam ſequentia obſervamus.

XXI. *α*. Non negare nos, attributa, quæ hic memorantur, eſſe attributa Eccleſiæ falſæ ac reprobæ, quæ in ſe ſpectata fere eodem modo applicari queant ad cœtum Eccleſiæ Pontificiæ corruptæ, quam ad cœtum Eccleſiæ Judaicæ corruptæ. *β*. Sed negare omnino, id conciliari poſſe cum re ipſa, & cum contextu orationis. Quod ad rem ipſam, quis non miretur, Epiſcopos ſæc. IV., purgatos per ignem afflictionum, qui præſederunt in Judiciis Synodalibus, idque jam quarto ſæc., introduci tanquam inimicos Eccleſiæ? Quis id dixerit? Putem pleroſque in Synodo Nicæna ſanctiores homines fuiſſe, quam plures ſunt Miniſtri Eccleſiarum noſtri temporis. Eſt itaque hoc dictum durum, & pertinet ad injuriam illorum temporum. Quanto durius eſt, de iiſdem dici, eſſe *vitem eorum ex vite Sodomæ, & uvas ipſorum venenatas?* an itaque à temporibus Conſtantini mox tranſitus eſt factus ad Antichriſtianiſmum? Sic exiſtimavit Celeb. Coccejus, ſed abſque merito & ratione: cui ſententiæ in Commentatione Apocalypſ. meas oppoſui rationes. Quod ad contextum orationis, qui fieri poteſt ſecun-

dum ullam ſanam analyſin, ut, quæ hic dicuntur, transferantur ad ſubjectum, cujus occaſionaliter tantum facta erat mentio *A*, ut Propheta, qui jam ſemel ex hypotheſi illa tranſierat à Judæis ad Romanos Paganos, ab his rurſus tranſiret ad Romanos hypocritas, & ipſorum deſcriberet attributa? Si omnino in præcedentibus actum fuerit de Romanis Paganis in his verbis: *Quomodo unus fugaret mille? ſc. Romanorum Paganorum, à Rupe ſua deſertorum:* neceſſum eſt

A. Etſi ad argumenta Cl. Auctoris, quibus refutatur opinio Cocceji, viri Doctiſſimi, cujus auctoritati tantum debetur, ut & hæc interpretatio examini ſubjiciatur, nihil addere conſtitueram: non poſſum tamen, quin leviculam obſervationem obiter inſpergam: ſcilicet, Moſen, cum hoſtium judicio hanc litem dirimendam tradidiſſet, eosque ſecundum Deum pronunciaſſe dixiſſet ℣ſ. 31. proxime præcedente: prudentis oratoris vel advocati partes peſſime tueri, ſi mox eos *judices* tanquam profligatiſſimos nebulones depingat: quod faceret, ſi ſequens deſcriptio ad *hoſtes* illos pertineat. Nec id tantum: ſed, ſi ipſum illud judicium *occaſionem* dediſſet, ut volunt, illius picturæ faciendæ, cauſam videri poſſet prodidiſſe: maxime, quia כי *cauſale* periodum ſequentem cum præcedente connectit. *Quia non ſicut petra noſtra petra ipſorum: vel hoſtibus noſtris judicibus: quia* ſunt judices illi injuſtiſſimi & ſceleratiſſimi bipedum. Quid non poteſt hypotheſis ſemel jacta! Nihil juvat, ſi τὸ כי *certe*, *profecto* reddas; eadem manebit difficultas, ut quisque admonitus & ad rem attendens facile ſentit. A ſcopo & textu univerſo nihil magis alienum eſt, quam judices, ad quorum judicium cauſam traxerat, tam nigris coloribus depingere: nihil eſt, quod *occaſionem* ejus excurſus præbere poſſit. H. Venema.

eſt hanc orationem de iis continuari. Et poſſent Docti Viri illud ſtatuere, absque magno vitio. Sed cum Cl. Coccejus ſibi perſuaderet, hic agi de Roma Pontificia, & tranſitum quæreret, alium invenire non potuit, quam ut attributa hæc applicaret ad Romanos, qui Chriſto mentirentur.

XXII. Nos hæc verba accipimus de Judæis reprobis, & quidem illis ipſis, qui prolapſi ad ſummam improbitatem, & omne vitiorum ac ſcelerum genus, prædamnati Judicio Divino, vindicati ſunt à Romanis in Excidio Templi & Reipublicæ, de quo mox mentio fiet. His, quod nemo neget, exacte conveniunt omnia attributa, quæ ſubjecto in hoc loco tribuuntur, quod ut oſtendam, relegam ſententiam Prophetæ, eamque brevi Paraphraſi illuſtrabo, quia nobis non licet hic prolixius nos diffundere. Prius articulus eſt, *quia ex vite Sodomæ eſt vitis ipſorum & ex agris Gomorrhæ.* Sententia tota hic eſt metaphorice accipienda. Vult enim dicere Propheta, ſi quis ſtatum Populi Dei illius temporis conſideret, de quo ipſe loquitur, videri illam eſſe magis propaginem Sodomæorum & Gomorrhæorum, quam veræ Eccleſiæ: usque ſc. adeo degeneraverant de ſtatu majorum, ut corda filiorum plane alienata fuerint à cordibus Patrum, & Abrahamum atque Iſaacum horum liberorum ſuorum puderet, Jeſ. XXIX. 22, 23. Atqui hæc ipſa ſimilitudo eſt, qua Prophetæ paſſim utuntur, ubi adulterinum & corruptum ſtatum Eccleſiæ Populi Dei ſuorum temporum depingunt: Sic Jeſ. I. 10. *Audite verbum Principes Sodomæ.* cap. 3. 9. *Peccata ſua libere loquuntur ut Sodomæi.* Conf. Ezech. XVI. 45, 46. Amos IV. 11. Quin Moſes ipſe in hoc ipſo Libro cap. 29. 23. Sed, quod præcipue ad rem noſtram facit,

Chriſtus exerte Luc. XVII. 28. 29. 32. mores Populi Judæi, qui à Romanis exſcinderentur, comparat moribus Sodomæorum & Gomorrhæorum, perinde ac ipſe Hieroſolymitanos ſui temporis vocat filios Diaboli, Joh. VIII. 44. Sodomæi ſcilicet inter omnes mortales proponuntur ut exemplum corruptiſſimi populi, tam quod ad luxum, ſuperbiam, & neglectum religionis, quam quod ad oppreſſionem pauperum, & innocuorum, quorum nullam habebant curam, & apertam Atheismi profeſſionem, absque ulla Dei aut judicii ejus reverentia: &, ut uno verbo dicam, *Atheismum.* Ezech. XVI. 49. Atqui hi mores erant iidem Judæorum, Excidio per Romanos diſtinatorum. Nullus enim Populus fuit corruptior & ſceleſtior, ita ut, ex Joſephi teſtimonio, ſi Romani non veniſſent ad ipſos exſcindendos, ignis idem expectandus eſſet de cœlo, qui Sodomæos & Gomorrhæos exſciderat.

XXIII. Id ipſum clarius liquet ex ſeq. articulo, ubi additur: *Uvæ illorum ſunt uvæ venenatæ, racemi amari ſive fellei iis.* In verbis nulla hæret difficultas. אשכלות ſunt *botri* ſive racemi. Alluditur ad *uvarum* quoddam genus, non ſalubre, ſaporis amari, ex ipſa experientia ſatis notum. Racemi autem cum ſint vitium fructus, hic non poſſunt ſpectari fructus alii, quam Atheiſmi publice regnantis ac dominantis. Sunt autem illi, irreverentia & contemptus Religionis, ſcelera & flagitia immania, ut ſunt innocuorum cædes & direptiones, confuſio ordinis publici, injuſtitia & iniquitas in Judiciis, vis & tyrannis loco Juris, exercitium libidinis absque pudore. Sic Deut. XXIX. 18. *Ne ſit inter vos radix proferens cicutam* & abſinthium. Eſt radix Atheiſmi. Sufficere nobis hic poterat cædes Joh. Baptiſtæ, Chriſti Jeſu, & diſcipu-

cipulorum &c. Jam legatur Joſephus per Libros omnes de *Bell. Jud.* & præſertim Lib. v. cap. 2. *Omne quidem ab iis jus hominum calcabatur. ridebatur etiam Divinitas, Prophetarumque reſponſis tanquam vulgaribus fabulis illudebant*, & quæ plura. Huc pertinet locus Pſ. x. 1. ſeqq. xiv. 1. ſeqq.

XXIV. Ejusdem ſenſus eſt, quod additur tertio; *Venenum Draconum*, ſive *ſerpentum* eſt *venenum eorum* & *venenum viperinum acerrimum.* Sic recte Docti Interpretes jam acceperunt vocem אכזר, quæ proprie notat *ſævum*, *crudele* A Idem eſt, quod in articulo ſuperiore, & tamen plus etiam notat. *Vinum* ex *uvis* expreſſum ſymbolum eſt ejus, quod hominem exhilarare

A. אכזר non ex אך & זר, ut ſit *penitus averſus*, compoſitum crediderim, cum quod inſolitum ſit, tum quod formæ compar. vel ſuperlat. indicium ſit in littera א: quo nihil frequentius eſt in Lingua Arab., nec deſunt in Hebr. exempla. Comparaverim itaque radicem כזר cum Arab. حسر *fregit*, *confregit*, in multas partes, inde proſtravit, in fugam conjecit &c. Præfert itaque radix in origine ſua vim perrumpentem & perſtringentem, cui nihil reſiſti poteſt, quæ retundi aut flecti nequit. Quam poteſtatem nonnulla ſcript. loca omnino requirunt. Job. xxx. 21. *Converſus mihi es*, dicit Deo, לאכזר in *perfractorem* inflexilem, & cui reſiſti non poteſt xli. 2. לא אכזר nemo tantus, tanquam fortis, profligator eſt, qui terribilem illam beſtiam *excitare audeat.* Prov. v. 9. Libidinoſiſſima meretrix dicitur אכזרי, quæ *carnem* virorum conſumit ℣ſ. 11. quæ per omnia perrumpit. Perſæ & Medi Babylonios profligaturi audiunt אכזרי *perfractores* immanes, qui nullius miſerabuntur, inflexiles Jer. l. 42. Subſtantive uſurpata vox ipſam *contritionem* ſæviſſimam denotat Jeſ. xiii. 9. Prov. xii. 10. Unde *immanitatis* & *ferocitatis* intellectus, quem vox in Script.

rare aptum eſt: atque adeo in Religione figuram ſuſtinet Doctrinæ, quæ, ſi ſalutaris non ſit, ſed mortifera, comparatur, ut hoc loco, *vino venenato*. Confer. Apoc. XVII. 4. Supererant in illo Populo, qui fere totus conſtabat Atheis, aliqui, ut Sacerdotes, Doctores ex Phariſæis, qui adhuc profitebantur Doctrinam Religionis, ſed *peſtiferam*, *lethiferam*, *venenatam*, quæ erat, α. Hominem poſſe ſalvari ex operibus. β. Non indigere Meſſia ad juſtitiam. γ. Jeſum Chriſtum non eſſe verum Meſſiam. δ. Expectandum eſſe Meſſiam carnalem, qui Populum vindicet in Libertatem, ut bellator, eumque reducat in Cananæam. Hoc eſt vinum Synagogæ noſtri temporis, vinum venenatum, exitiale, potus lethiferus. Accedit ad hæc, ſententias haſce Religionis ipſis à Doctoribus ſuis propinari cum odio, & invidia erga Chriſtianos maxima, quorum vindictam ſitiunt; quoſque omnes, ſi res ex voto caderet, vel turpiſſimæ atque inhumanæ ſubjicerent ſervituti, vel certæ deſtinarent cædi, ut adeo *vinum* illorum, h. e. Doctrina, ſit אכזר *ſæva*, crudelis, venenata, ut nunc expoſui.

XXV. Hæc vero noſtra expoſitio perfecte conſiſtit

Script. præfert, faciliſſime fluxit. Cum itaque *aſpidum venenum* hic אכזר appellatur, ejus penetrantiſſima & exitialis vis, quæ omnia perfringit, & ſummo cum dolore enecat, fortiſſime exprimitur, ita ut LXX. recte verterint, ſi ad rem ipſam ſpectes, θυμὸς ἀσπίδων ἀνίατος Vulg. *venenum aſpidum inſanabile*, nec opus ſit ſtatuere eos legiſſe אין רי *non eſt curatio*: quæ ſummi viri, D. Bocharti, eſt conjectura Hieroz. p. II. l. III. c. 5. Cæterum auget emphaſin forma ſuperlat., quam huic voci attribuendam eſſe dixi. H. VENEMA.

ſtit cum nexu orationis. Dixerat Vates, ℣ſ. 31. proxime antecedente, *Rupem* veræ Eccleſiæ non eſſe ut *Rupem* Judaicam, h. e. Judæos reprobos & carnales, licet Deum videantur habere objectum Religionis, quod in Eccleſia colitur, eundemque invocare Deum, non habere tamen ullam rationem ſolidam Deo vero fidendi, ut ſibi propitio, abnegare enim illos illum Deum, quem ore confitentur, moribus corruptiſſimis, & doctrina peſtifera, ut adeo mirum non ſit, illos à Deo, quem Rupem ſuam vocant, deſtitui. Eadem facilitate confertur cum argumento Cantici, quod eſt, defendere rationes ſeveritatis Dei erga Populum. Videlicet, mirum non videri, Deum in Populum tam juſte & ſevere animadvertiſſe, quippe Populus Dei inciderat in ſummam corruptionem morum & Atheiſmi, non aliter acſi Sodomæorum ac Gomorrhæorum propago eſſet, & mortiferas imbiberat de Religione ſententias.

XXVI. Succedit quarta ratio δικαιολογίας, quod juſtum ſit apud Deum, ut arcanis decretis ſtatutum; vindictam exercere in malitiam & improbitatem hominum, ubi malitia ad ſummum veniret: maxime vero edere exemplum ſeveritatis ſuæ tremendæ in Judæos, Populum fœdifragum, quod totus Orbis terrarum ſtupeat. de eo Vates in hunc modum, ℣ſ. 33. *Nonne hoc penes me eſt concluſum? reconditum in theſauris ſive archivis meis.* ℣ſ. 34. *Mihi eſt ultio & retributio, tempore, quo nutabit pes illorum, quia propinquus eſt dies calamitatis illorum, & eventura ipſis in proximo ſunt.* Deus hic rurſus loqui introducitur, explicans ſententiam fori cœleſtis, in arcanis decretis ſuis reconditam, de certiſſima & ſeveriſſima punitione

Judæo-

Judæorum Euangelio immorigerorum, poſtquam ad ſummum perveniſſet impietas, non longe diſ-ferendam. כמוס vox inſolentis uſus ex קמץ [A] Deſum-

A. Ita præivit Cl. Coccejus in Lex. ſed כמס ac קמץ nimium diſtare videntur. Quare ad כמז potius retulerim. Ea enim radix apud Arab. *colligendi* & *cogendi* in formam rotundiorem, unde τὸ כומז Exod. xxxv. 22. jam illuſtrarunt Docti viri, poteſtatem continet. Quod ſi admittas, theſauri Divini tum *collectio*, tum *obſignatio*, hic repræſentabitur, nam חתום *obſignationem* involvit: quæ ſibi recte reſpondent: nec tam ab Archivis, quæ commentarios habent reconditos, quam a *theſauris*, in quos quæ aſſervanda ſunt colliguntur, donec ſuo tempore inde depromantur, metaphora repetenda erat: quod ex voce עתדות ℣ſ. 35. egregie confirmatur. Quo ſenſu apoſt. Rom. 11: 5. de impiis affirmat, eos θησαυρίζειν tanquam *theſaurum* ſibi congerere & recondere *iram in die iræ*. & LXX. Prov. 1. 18. θησαυρίζουσιν ἑαυτοῖς κακά. Sic noſtro loco כמוס reddunt συνῆκται, quod opinioni noſtræ robur addit. Senſus ergo eſt: Deum maleficia Judæorum cum malis, quæ meruerunt, in theſaurum *coacervaſſe*, ibique *condidiſſe*, ac *obſignaſſe*, donec opportuno tempore inde expromta in ipſos effundantur, ut ſic operum ſuorum fructus carpant. Egregie in mentem noſtram Chald. *nonne omnia opera eorum manifeſta ſunt coram me, & congregata in diem judicii in theſauris meis*. Cæterum, cum theſaurus ille *obſignatus* dicatur, ſignificatur, a. Eum jam eſſe repletum, & acervum ad plenam menſuram & formam eſſe adductum. b. Ejus diſtributionem *certo* & *definito* decreto eſſe conſtitutam: quippe quem theſaurum *ſigillo* ſuo appoſito Deus *munivit*, & populo rebelli aſſervari declaravit. c. Adeoque calamitatem ultimam, quæ reip. & eccleſiæ Jud. finem imponeret, Deo nec *inſcio*, nec *invito*; ſed ex ejus *decreto*, diu ante *formato*, & cum prophetis

ſumta eſt metaphora à Regibus & Principibus, qui ſua habent Archiva vel Tabularia, in quibus decretorum ſtatutorumque conſervatur memoria, eodem ſimilitudinis genere, quo Deo tribuitur Liber Providentiæ, Pſ. cxxxix. 16. Dicit Deus, in Tabulario ſuo, quod hic eleganter dicitur *theſaurus*, quia inſtar theſauri reconditur, & *armariis* includi ſolet, latere decretum de ſeveriſſima ultione exercenda in Judæos fœdifragos, ab Eccleſia populi ſui ſeparatos, ejusque decreti exequutionem. *Tabularium* autem, myſtice ſumptum, hic duo videtur ſignificare poſſe. Primo ipſum Dei intellectum, in quo tanquam in Tabulario vel Archivis decreta Divina, aliis ignota, repoſita cenſentur, qui proinde intellectus Dei eodem genere metaphoræ venit nomine Libri, ut jam ſupra obſervavi. Confer Pſ. LXIX. 29. Apoc. XIII. 8. Secundo, per Tabularium Dei optime & eleganter intelligi poſſunt Prophetiæ, Scriptura Sacra comprehenſæ, quæ veriſſimum ſunt Tabu-

prophetis communicato, eventuram. Quod egregie faciebat ad *calumnias* paganorum retundendas. Cum enim a Deo ipſo id jam a longo tempore in poenam Judæorum eſſet decretum; nihil reliquum erat, ex quo in Dei dedecus illud rapere poſſent hoſtes. Quod ſi nihilominus non vererentur dicere: *manus noſtra elata eſt, Jehova hoc non fecit:* vel hoc ipſo vaticinio refutarentur; ipſiſque ora obturari poſſent hoc dicto: *an non audiviſtis, me illud a longinquo feciſſe, & a diebus antiquis illud formaſſe, nunc adduco illud, ut ſitis ad vaſtandum urbes munitas in acervos ruderum*, quo olim Aſſyriorum arrogantiam fregit Deus apud Jeſ. XXXVII. 26. Vid. & cap. XLVI. 9-11. H. VENEMA.

larium, vera Archiva, quibus Decreta & ſententiæ Dei de Populis & Gentibus editæ ſunt. Utraque ſimul intelliguntur Dan. VII. 10. *Et judicium ſe compoſuit & erant Libri*. Jer. XXXVI. 2. Dices, usque ad hoc tempus paucas forte, vel nullas, Prophetias editas fuiſſe in Scriptura Sacra, cujus pars magna à Moſe inſtructa eſt. Reſpondeo, a. Dictum, quod hic Deo tribuitur, accipiendum eſt ſecundum circumſtantiam ejus temporis, quo dictum hoc editum eſt: quando omnes prophetiæ, inter quas multæ ſunt de Deſolatione Gentis Judææ, jam editæ erant. b Ante tempus ipſius Moſis Deum jam ſæpius & variis occaſionibus manifeſtum feciſſe hoc ſuum conſilium de vindicta ſumenda à Judæis; ut in typis expulſi Adami ex Paradiſo, Kaini profugi, Diluvii, Iſmaelis, Edomi, & ex Prophetia myſtici ſenſus Gen. IX. 26. & Moſaica Lev. XXVI. 1. ſeqq. clariſſime liquet.

XXVII. Hæc quod ad intellectum orationis. Ad rem ipſam & prophetiæ hujus indubium implementum ſequentia obſervari volo. a. *Vindictam*, quam Deus exercuit in Judæam Gentem, omnium fuiſſe, quarum memoria extat vel exempla extitura ſunt, graviſſimam. Sic Dominus Jeſus Matth. XXIV. 21. *Erit tunc afflictio*, &c. qui locus conferendus eſt cum inſigni Joſephi, in *Prologo* Libb. de Bell. Jud. *Omnium poſt condita ſæcula res adverſas, ſi cum Judæorum calamitatibus comparentur, ſuperatum iri, non ambigo.* b. Ideo hoc Judicium in Judæos ſpeciatim appellari vindictam. Jeſ. LXI. 1. Sic Dominus emphatice, Luc. XXI. 22. loquens de deſolatione Hieroſolymæ. *Hæ ſunt dies ultionis, ut impleantur omnia, quæ ſcripta ſunt*. Scilicet ipſa quoque illa, quæ hoc Cantico erant conſignata. c. *Unde* ſimul patet, fuiſſe illam

Cala-

calamitatem Judaicam non indeterminate & indefinite, ſed determinate & præciſe à Deo definitam. Sic Jeſ. XXVIII. 22. *Conſummatum & præciſum à Domino definitum in totam terram.* Pariter Dan. IX. 27. *Præciſum* & definitum, quod hoc loco dicitur, *concluſum veluti pugno.* d. Calamitatem hanc Judæis incubuiſſe ſuo tempore, quando *pes illorum nutaverit*, A h. e. con-

A. Ad *violentam* potius *inclinationem* ſtatus reip., quæ in totalem *ruinam* exiret, multa ſunt, quæ nos ducunt. Poteſtas verbi מוט ſita eſt in ejusmodi *inclinatione*, quæ fit *mole* vel *vecte* gravi, adeoque violenter, ut ex derivato מוט, quod *vectem* denotat, manifeſtum eſt, & ex Arab. lingua ulterius confirmatur. Tale aliquod pondus, quo deprimerentur Judæi, hic intelligendum eſſe ex primigenia poteſtate vocis איד, quæ mox ſequitur, itidem elucet. Illa enim vox proprie de quovis *onere* gravi uſurpatur apud Arab., & inde ad quævis infortunia, & calamitates exitiales facillima via transfertur. Hinc denſiorum *vaporum* vel nebularum graviter incumbentium quoque repetendus eſt uſus apud Hebr. Sed pergamus in *oneris* idea firmanda. Dubium non eſt, quin ad *theſaurum* a Deo aggeſtum & obſignatum hic reſpiciatur, illeque tanquam immenſum aliquod pondus ipſos preſſurus, quin oppreſſurus, repræſentetur: ita ut *iræ* divinæ pondere gravati ſint *movendi* & exitiali lapſu dejiciendi. Huc enim vox עתדות nos manifeſte vocat: quippe quæ *theſauri* parati ſuggerit cogitationem, ut ex Jeſ. X. 13. ועתידתיהם שושתי *theſauros eorum diripiam*, clariſſimum eſt. Denique negligenda non eſt emphaſis in *anomalia* conſtructionis, qua verbum ſingul. cum nomine plur. conjungitur. Ea enim indicatur unumquodque malum ex theſauro Dei ordine depromendum, & ſingula in ipſos *ſubito* effundenda

ſilia illorum lubrica evaſerint, quod factum, ubi deſeruerunt *Societatem* & *Fœdus* Romanum. Tum vacillare inceperunt eorum *Judicia* & *Status*. e: Scriptorem Epiſt. ad Heb. locum hunc eodem ſenſu accepiſſe, cap. x. 30. ubi illum applicat ad Judæos Apoſtatas, refractarios, qui ſanguinem N. T. impurum ducerent, & fratres ſuos hoc nomine perſequerentur.

denda eſſe. *Feſtinat parata*, eſt, ſingula parata, unumquodque eorum: quæ enallages ratio eſt, non longe quærenda: ita ut *ruditatem linguæ* hic fruſtra inſimulet Cl. Clericus ad hunc locum. Sed hæc aliunde nota ſunt, nec indigent exemplis, quæ & in aliis linguis non deſunt. H. Venema.

Epi-

Epilogus Cantici à ℣ſ. 36. Diſtinct. Heb. ad finem, quo Propheta docet, cæteros hoſtes Eccleſiæ Chriſtianæ, qui ſequentibus Mundi & Eccleſiæ temporibus exiſterent, ſimilem vindictam experturos eſſe.

I. SEquitur tandem Epilogus, cujus argumentum ipſo titulo jam circumſcripſi. Prævidebat Vates ſacer, ſequenti tempore plures alios extituros eſſe hoſtes, qui ſimilia adverſus Eccleſiam machinarentur, & inprimis Rectores Romani Imp. & Antichriſtian. Docet itaque, totum tempus N. T. fore tempus Judicii.

II. Analyſis ſequentia complectitur membra. α. Propoſitionem de exercendo Judicio in hoſtes Eccleſiæ per totum tempus Oeconomiæ Novæ ℣ſ. 36. β. Qualitatem temporum & ſtatus Populi in quem hæc Judicia inciderent. ℣ſ. 35. 36. 37. γ. Manifeſtationem Dei Judicis cum iis attributis, quæ ipſi conveniunt. ℣ſ. 38. 39. δ. Vindictam ipſam. 40. 41. ζ. Conſequens, ℣ſ. 42.

III Propoſitio continetur priori hemiſtichio ℣ſ. 35. *Quia Jehova populum ſuum judicabit, & ſervorum miſerebitur.* Vox דין uſurpatur in *Hiphil* duplice ſignificatione, vel enim notat quem redarguere, judiciis ſuis corrigere, punire, ut Pſ. L. 4. Jeſ. III. 17.

vel cauſſam alicujus recipere ad cognoſcendam & injuriam arcendam, juſtum alicui præbere patrocinium. Sic Pſ. LIV. 3. *Jehova per nomen tuum ſalva me, & per potentiam tuam judica me*, cauſſam meam age, mihi patrocinare. Non poteſt eſſe dubium, quin hic poſteriore ſignificatione uſurpetur, cum ſubjectum & connexum membrum eam poſtulent. Senſus itaque eſt, Deum vindictam ſumpturum de Judæis, ad eundem modum & idem exemplum vindicaturum & ulturum eſſe Eccleſiam populumque ſuum verum adverſus hoſtes ſuos. Non permiſſurum, ut hoſtes Eccleſiam opprimant, vel deleant: ſed ſolennibus temporibus per totum tempus Eccleſiæ N.T. compariturum eſſe, ut Judicem, ad cauſſam Eccleſiæ & Populi ſui agendam. Sic cohæret hæc oratio ſuperiori aptiſſime per voculam כִּי *quia*. Dixerat Deus, ✝ſ. ſup. ipſi eſſe *ultionem & retributionem*, eſſe enim exemplum edendum illuſtriſſimum in Judæis, qui ſeveritatem Dei provocaverant. Id dictum Dei explicat Vates vel chorus *hoc commate*, eo modo, quem jam demonſtravi.

IV. Duo itaque hic tantum obſervanda ſunt, *α*. Per *Populum* Dei & *ſervos* ejus hic intelligendam Eccleſiam Chriſtianam. *β*. Significari his verbis non illud ipſum ſingulare judicium, quod Deus exequeretur in judæos; ſed actum judicii continuum, quem Deus exerceret per totum tempus Oeconomiæ Novæ. Prius facile demonſtratur. Patet enim legenti hanc Oden, per Populum & ſervos Dei eſſe intelligendum ſubjectum diſtinctum à Judæis illis immorigeris & apoſtatis, quos Deus ſeverius puniret, quod ſubjectum coëxiſteret illi populo immorigerorum & rebellium. Ratio eſt, quia alienum ſit à ratione, per *Populum & ſervos* Dei, quorum cauſſam Deus ageret, intelligi

ligi illos ipſos Judæos, quos ut hoſtes ſuos graviſſime plecteret. Judæi enim illi ſpirituales Sodomæi ac Gomorrhæi appellantur *hoſtes* Chriſti Jeſu. Ergo, cum experientia docuerit, Deum ſibi ſeparaſſe Populum electum ex Judæis & Gentibus, quo tempore ultionem ſumpſit de Judæis, hi ipſi hic intelligi debent; *populus* Dei, ut redemptus ſanguine Filii ejus, & novo fœdere Gratiæ Deo obſtrictus, & *ſervi* ejus, quòd ejus miniſterio & gloriæ eſſent conſecrati, & ad id ipſum ſanguine Filii Dei empti, ſpeciatim Apoſtoli Act. IV. 27. Horum jam ſubobſcura mentio, ℣ſ 21. & ℣ſ. 31. & clariſſime ℣ſ. 42. *ſanguinem ſervorum ſuorum judicabit.* Alterum *A*, quod ſuppo-

A. Vereor ut prima hæc ratio, cui hypotheſis Cl. Auctoris præcipue innititur, paulo accuratius explorata ſe tueri queat. Pericopa enim *novam* comprehendit *rationem*, qua judicii ſeveriſſimi in Judæos, tanquam hoſtes Dei & Eccleſiæ, *neceſſitas* & *juſtitia* defenditur, deſumtam ab ea juſtitiæ parte, qua afflicto & tantum non oppreſſo populo ſuo ſuccurrere, eumque ab adverſariis ejus vindicare, debet. Cum itaque Deum ℣s præcedente introduxiſſet dicentem: *mihi eſt ultio & retributio:* ejus vindictæ a Judæis ſumendæ *rationem* nunc incipit confirmare: *quia* Deus ultor eſt & vindex, cauſam populi ſui agat, eumque ulciſcatur, neceſſe eſt. *Mihi eſt ultio*, inquit Deus, quo tempore Judæorum reſp. peſſum ibit. In quo illa *ultio* ſita ſit, *quid* Deus vindicaturus, quamque *neceſſaria* & *juſta* ſit vindicta, tota hac pericopa pluribus exponit Propheta. Actus itaque *particularis* hic per *particularem* non demonſtratur, quod Auctor objicit, ſed a. particularis actus, ſeu judicii Dei in Judæos, nova *ratio* datur, & *juſtitia* defenditur, ex peculiari relatione Dei ad Eccleſiam. b. *Generalis* ratio, ab attributo juſtitiæ Dei

ſuppono hic intelligi actum continuum, patet, quia in his verbis datur ratio ultionis particularis, in Judæos exercendæ. Particulare autem per particulare non poteſt

Dei in genere petita, qua peccatores punit, ſuamque majeſtatem læſam ulciſcitur, quam Deus vers. ſuperiore explicuerat, nunc *particulari* ratione, relatione ſc. Dei ad populum ſuum, confirmatur, & ultionem Dei de Judæis ſumendam, quam ipſa Dei juſtitia exigebat, ut ℣ſ. præcedente dixerat, *peculiaris* populi afflicti ad *Deum reſpectus* magis adhuc neceſſariam demonſtrat. Tantum itaque abeſt, ut Auctoris interpretatio ex *cohærentia* quid roboris acquirat, ut contra ex ea multum perdat.

Cum enim judicii ſupra memorati juſtitia hic nova *ratione* demonſtretur, & generalis ratio, ab ultione Deo competente petita, ex peculiari relatione Dei ad populum ſuum confirmetur: de *eodem* adhuc judicio primo ſenſu agi, eundem actum Dei vindicis continuare, ex eo elucere videtur. Deinde, ſi particularem actum per *generalem* ſtabiliri cum Auctore cenſeas: non tam *ratio* juſtitiæ illius actus daretur, quam *duratio* ejus continua exhiberetur: quippe quæ actum continuaturum quidem, ſed *juſtum* ac *neceſſarium* eſſe non demonſtrat. Si enim ejusmodi formes ratiocinium: Deus Judæos exſtirpabit, quia omnes hoſtes Eccleſiæ ſuo tempore deſtruet: quid Deus *acturus* eſt enarras, ſed *rationem* juſtitiæ non das. Habet & alia incommoda, quibus ea hypotheſis premitur. 1. Quia a *ſubjecto* cantici, Judæis nimirum, ſine ulla non tantum ratione diſceditur, ſed & contra *relativorum* uſum. Sermo continuatur in ſubjecto, per pronomina relativa definiendo. ℣ſ. 35. *prope* eſt dies exitii IPSORUM: hic Judæi intelliguntur: in ſeq. textu *hoſtes mei*, *oſores mei*, quos feriret ultio Divina, longe alia erunt ſubjecta: nec tamen aliqua nota diſtinguuntur.

2. A-

reſt probari, ſed demonſtratio ejus pendet ab univerſali. Accedit, ſeqq. optime procedere. Agitur in iis de vindiciis Eccleſiæ, quo tempore res ad ſummum

2. Apoſtrophe ſarcaſtica, qua vanitas nonnullorum ſpei & fiduciæ, in Diis collocatæ, irridetur, ad *Judæos* omnino videtur referenda; quia *ſacrificiorum* & *libaminum* mentio alio vix trahi poteſt. Si enim ſtatuas, Chriſtianos longe poſt deſtructam remp. Judaicam hic illudi a Romanis, vel Anti-Chriſtianis, ut volunt, alia verba ipſis in ore poſuiſſet Spiritus, vel alia oratione irriſoria utentes eos in ſcenam produxiſſet. Quis enim his verbis Chriſtianis, maxime Reformatis, illuderet: *ubi* ſunt Dii ipſorum, qui *adipem eorum ſacrificiorum comederunt*, *& vinum libaminum ipſorum biberunt.* Religionem Chriſtianam phraſibus a cultu rituali petitis nonnunquam depingi a prophetis, novi: ſed phraſes mihi videntur hoc loco nimis emphaticæ, & ſtudio electæ, quam ut eæ myſticum ejusmodi intellectum admittant: nec aliquid occurrit, quod ejus anſam præbet, nihil, quod *litteram* refutat. Equidem vix dubitaverim, quin verba illa: *qui comederunt adipem ſacrificiorum veſtrorum, & vinum libationum biberunt:* penitus fuiſſent neglecta, ſi ad Chriſtianos directe pertineat hic ſermo. 3. Obſtat & illud vehementer, quod per עם *populum* Dei in hac pericopa pii & electi ex *Judæis* primo ſenſu omnino intelligantur, quemadmodum patet ex vers. 43. ultimo. *Jubilate gentes cum populo ejus:* ubi a *gentibus* diſtinguitur, & eccleſiam Dei ex Judæis collectam manifeſte deſignat, quod apoſt. Rom. xv. 10. luculenter confirmat. Quid hic Docti? per *populum* Dei hic neceſſe habent intelligere *Judæos* ultimo tempore convertendos: quæ interpretatio nullo modo conſiſtere poteſt. 1. Quia in *fine* ejusdem pericopæ eadem vox aliam non poteſt præferre ſignificationem ac in *initio*. In principio eccleſiam *Chriſtianam* ex gentibus

veniſſet. Patet quoque ex loco parallelo. Pſ. cxxxv. 14.

V. Cæterum etſi Deus per totum tempus N. T. ſe

bus præcipue collectam, in fine *Judæos convertendos* deſignabit. 2. Quia ex altero membro vers. 43. liquet, eum *populum* intelligi, quem Deus *ulciſceretur*, & de cujus vindicta hac pericopa agitur. Sic habent verba: *jubilate gentes cum populo ejus: quia ſanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur* &c. confer nunc vers. 36. ubi initium ſumit pericopa. *Quia judicabit Jehova populum ſuum: & ſervos ſuos miſerabitur*. Ille autem populus eſt eccleſia Chriſtiana ſecundum Doctos. 4 Denique inter rationes *judiciorum* Divinorum in hoſtes Dei, & eccleſiæ, *terræ Dei expiatio* quoque occurrit vers. 43. *Et expiabit terram ſuam cum populo ſuo*. Quam quæſo *terram*? ſine dubio *Cananæam*, nomine *terræ Dei* notam, a quo Cl. Auctor poſt alios non eſt alienus. Atenim qua ratione id cum hypotheſi conciliari poſſit equidem vix perſpicio, a. enim ea *terra* intelligitur, in qua *ſanguis* ſervorum Dei, quos Deus hic ulciſceretur, effuſus eſt, ut ex hoc ipſo vers. colligitur. Ergo *judicium* Dei in Romanos & Antichriſtianos aliosque hoſtes Chriſtianorum hic non eſt deſcriptum: in terra *Cananæa* enim eccleſia ſequentium temporum non fuit præcipue aut ſolum vexata ab illis inimicis. b. Difficillimum habet explicatum, quomodo *Cananæa* expiari poſſit per deſtructionem Romanorum & Anti-chriſtianorum, ſeu perſecutorum Eccleſiæ. Expiatio terræ omnino reſpicit ad ejus *commaculationem* per ſcelera hoſtium Dei, & ſanguinem ſervorum Dei ibi effuſum; dicitque hoſtium illorum deſtructionem: quod *Cananææ* neutiquam applicari poteſt, ſi hæc obtineat hypotheſis: ut ſuo loco videbimus.

Ego itaque totam hanc pericopam *primo* ſenſu ad ultimum Dei judicium in Judæos rebelles, & Dei ac eccleſiæ

ſe demonſtraret eſſe vindicem & Judicem Eccleſiæ: eſſent tamen certa tempora, quibus hoc ſuum attributum manifeſtum faceret, nempe illis temporum arti-

cleſiæ hoſtes pertinere exiſtimaverim, ita ut graviſſimi & ſeveriſſimi judicii cum *neceſſitas*, & *juſtitia*, *nova ratione*, a piorum vindicta petita, confirmetur, & genuinus illius conſpectus, quo Dei vindicis & ultoris perſonam, vertutesque, luculentiſſime patefaceret, in lucem proferatur, tum ipſa judicii *veritas* & *certitudo*, juramento Dei firmata, in omnium animos ingeratur. *Prius* ℣s. 36-39., *poſterius* agitur ℣s. 40-43.

Attamen, cum Romani, & Anti-Chriſtiani in Eccleſia vera vexanda, & piis affligendis, ſeſe Judæis præſtarent ſimiles, præterea cenſeo, in hoc judicio tanquam illuſtriſſimo ſpecimine Deum non tantum publice conſpiciendam præbuiſſe ſeveriſſimam vindictam, quam ab illis ſuo tempore quoque ſumeret; ſed vatem ſuo Spiritu ita derexiſſe, ut phraſes illam ipſam reliquorum hoſtium deſtructionem ſimul ob oculos ponant; adeoque pericopam in Judæorum vindicta non terminari, ſed *ſecundario ſenſu* ad reliquorum inimicorum excidium ſeſe extendere. Quæ opinio nihil habet a ſtylo & conſuetudine prophetarum abhorrens. Prophetæ enim nonnunquam aliquod judicium tanquam *ſpeciminis* ergo in medium proferunt, ut ex eo de omnibus aliis judicium feratur, eoque ea depicta cenſeantur, cujus exemplum eſt Jeſ. xxx. 27-33. ubi judicium Dei in Aſſyrios immiſcetur prophetiæ de Maccabaicis temporibus tanquam *ſpecimen* juſtitiæ Divinæ ſingulare, in quo omnes Eccleſiæ hoſtes ſuas pœnas delineatas & *prædictas* conſpicere poſſent. Subinde Judæi profani, veræ eccleſiæ hoſtes, eodem vaticinio repræſentantur deſtruendi cum aliis hoſtibus, idem molientibus. Quemadmodum Jeſ. xxiv. &c. cum Syro-Macedonibus conjunguntur, ita ut utrorumque judicia eadem

culis, quibus ſalus Populi Dei deſperata, & res ad extremum veniſſe videbatur. De qua *qualitate* temporis, Judicii & Vindiciarum exercendarum. quæ alterum eſt membrum hujus Epilogi, Vates Sacer, ℣ſ. 35. med. *Cum viderit, abiiſſe manum, & nullum eſſe inclusum ac derelictum.* ℣ſ. 36. *Et dicent, ubi eſt Deus ipſorum, Rupes cui fidebant.* ℣ſ 37. *cujus ſacrificiorum adipem comedebant: vinum libaminis ipſorum bibebant. Surgant & auxilientur vobis; ſit ſuper vobis umbraculum.* Summa ſententiæ, quam omnes perſpexerunt Interpretes, eſt, Deum per totum quidem tempus N. T. acturum eſſe vindicias. ſui Populi: ſed præcipue certis quibusdam temporum articulis, quibus Eccleſia ultimum excidium ſuum non videbatur effugere poſſe. Duo tantum agenda. Primo faciendum, ut phraſis Prophetæ recte intelligatur. Secundo, demonſtrandum, ad quos temporum articulos hic præcipue reſpiciatur.

VI. Quod ad phraſin: admiratione dignum eſt, pleroſque Interpretes rem, quæ hic agitur, vidiſſe, etſi vi phraſios non intellecta. *A* Propheta vult dicere, Deum Eccle-

dem prophetia deſcribantur, quod ſolide demonſtravit Cl. Auctor in Comment. ad Jeſ. ſic hic *Romanos* cum iis copulari, utrorumque, tanquam acerrimorum veræ Eccleſiæ adverſariorum, interitum noſtra pericopa expingi recte ſtatuitur. Plura exempla, quæ variis locis proſtant, proferre ſuperſedeo. Cæterum ad Judæos non eſſe reſtringendum hoc judicium ex ipſa interpretatione patebit. H. Venema

A. Ego, ſi quid hiſcere audeam contra Interpretum conſenſum,

Eccleſiæ adfuturum rebus, ut videbatur, deſperatis. Eam vero deſperationem proponit ſub duplici elegante emblemate. Prius eſt med. ℣ſ. 35. *Cum viderit*

ſenſum, verba non de populi Dei, ſed Judæorum, ſeu hoſtium Dei, deſperato ſtatu, interpretarer, ita ut *tempus* definiant, quo Deus eccleſiam ſuam ab illis ulciſceretur: cum nimirum omni auxilio deſtituti nihil amplius haberent hoſtes, quo confugere poſſent. Sive, quod ℣s. præcedente dictum erat, quo *pes ipſorum inclinaretur:* quod opinionem noſtram haud parum confirmat: nam & ibi vindictæ tempus in deplorata hoſtium conditione ponitur: *mihi eſt vindicta, quo tempore nutabit pes ipſorum* &c. ſic hic: *Jehova judicabit populum ſuum*, quo tempore *videbit manum abiiſſe* &c. Accedit, phraſes in *hoſtes* rectius quadrare, quam in *eccleſiam*, quippe cum *illi* in *humano* brachio, & in militum copia, fiduciam collocent: Sancti *Domino* confidant. Denique videntur phraſes nos ducere ad illos, qui ſeſe omnibus viribus opponunt hoſtibus, cumque iis *bellum* gerunt: in quo ſuccumbentes tandem ad incitas redigerentur, auxilio externo deſtituti. Illuc enim tendit *manus*, quæ ipſos antea obtexerat, vel defenderat, nunc deficiebat: eo reſpiciunt *obſeſſi & deſerti*, ut ex ſequenti clareſcit. Ad illud itaque tempus digitum intendit vates, quo externo auxilio privati eſſent, & propriis viribus deletis, nihil quo ſe vertant, ipſis reſtaret. Qui deſperatus Judæorum ſtatus fuit, cum fœdere cum Romanis rupto, & ab ipſis undiquaque oppreſſi, Hieroſolymis incluſi & ad extremas anguſtias redacti erant. Quæ ipſiſſima conditio vividiſſimis coloribus depingitur Jeſ. XXVIII. 18-22. qui locus cum noſtro comparandus eſt. Cæterum ad vocum intellectum obſervandum eſt. a. *Videre* hic eſſe *otioſe* videre: metaphora ab eo deſumta, qui, cum afflictis opem ferre poſſit, eos, ſine ullo præſtito auxilio, adſpicit,

abiiſſe manum & nullum eſſe incluſum ac derelictum. Prius membrum recte intelligitur: nemo enim dubitat per manum hic intelligi manum auxiliatricem, protectricem, quam eandem Scriptores S. *brachium* vocant. Gen. XLIX. 24. Dan. XII. 7. coll. cum Apoc. III. 8. Ergo ſenſus eſt, evanuiſſe vires, Eccleſiam vel Populum eſſe abſque auxilio, ut dicitur in loco 2 Reg. XIV. 26. Sed in altero membro magis hærent, quid illud ſit, nullum incluſum & derelictum. Phraſis occurrit in locis 1 Reg XIV. 10. XXI. 21. & 2 Reg. XIV. 16. in quo poſteriore loco: *Nam vidit Jehova inopiam Iſraëlis, acerbam admodum, & nullum eſſe* עצור·ועזוב, *& nullum eſſe auxiliatorem Iſraëli.* Multæ eſſet & otioſæ

quam emphaſin habet ℣s. 20. *occultabo faciem meam ab ipſis,* אראה *videbo, quod ſit extremum ipſorum.* *b. manum* vel eſſe auxilium externum, vel propriam *potentiam:* quod hic determinatu difficile eſt, cum *manus* abſolute ſine *relativo* occurrat. *Priore* ſenſu ad *Romanos* retulerim, quippe quorum præſidio tuti videbantur; ſed amicitia cum ipſis rupta, illa *manus* deſiit. vid. Jeſ. XXVIII. 18. *Poſteriore* ſenſu *virium* defectum denotabit, propria ſcilicet manu *contracta* & *abbreviata.* Quod ex interiore verbi אזל poteſtate confirmari poteſt. Illa enim radix in *contractione* ſedem habere videtur, unde ad *anguſtias* &c. tranſiit apud Arab., & apud Hebr. ac Chald. *abeundi* accepit poteſtatem, proprie, quo quis ſe *contrahendo* evadit. Sic Prov. XX. 14. *malum malum eſt, inquit emtor:* ואזל לו ſed *ſe ſibi contrahens,* ſe recipiens, ſeu cito proripiens *tunc gloriatur.* Hoc ſi admittas, *abiit manus,* eſt, *contraxit ſe manus,* vel *brevis* ac anguſta facta eſt, quod alias dicitur קצר יד Num. XI. 23. Jeſ. L. 2. LIX. 1. quæ ſolennis eſt formula, ad virium defectum denotandum. V. Cl. A. Schultens ad excerpta ex Iſpahan. p. 6. H. VENEMA.

otioſæ operæ hic adducere optimorum etiam ingeniorum conjecturas, quiſque eas inſpicere poterit & expendere. Per *incluſos* & *derelictos* hic intelliguntur milites in præſidio Urbium relicti ad defenſionem, ultimum refugium & ſpes Populi, ſi forte res prælio ceciderit in pejus *A*. Solent autem inter præſidiarios eſſe

A. Habet hæc ſententia, quo ſeſe præ reliquis commendat. Cum enim aliæ opiniones de plenario excidio & πανωλεθρίᾳ phraſin interpretentur, ut videre eſt apud D. Amama ad 1 Reg. xiv., quo peculiaris Cl. de Dieu ad hunc locum cogitatio de conjugii vinculis conſtrictis, עצור, & ſolutis עזוב, itidem tendit: hæc ad *deſperatam* conditionem, quæ pleniſſimæ deſtructionis ſolet eſſet præludium & ſignum, reſtringit: quod huic loco unice convenit: quippe quo *tempus* notatur, quando ultima clades ante fores eſſet. Nec tamen in ea acquieſcere poſſum, 1. quod phraſis mihi *generalior* videatur, quam ut ad milites in præſidiis urbium relictos reſtringi ſe patiatur, 2. quod עזוב non tam *relictum*, quam *deſertum*, poteſtate ſua & uſu *vulgatiſſimo* ſignificet: & ſi alicubi tale quid ſignificet, nuſquam, quod ſcio, *præſidii* cauſa, unde *auxilium* exſpectari poſſit, *relictum* dicit; ſed quod vel *nolis* vel non *poſſis* conſervare, adeoque cujus opis cauſa nullam habes rationem: ſic Jeſ. x. 3. Job. xxxix. 14. 2 Sam. xv. 16. 3. denique, quod reliquis locis, ubi reperitur, minus apte accommodari queat. ut 1 Reg. xiv. 10. ubi Jeroboamo exſcindendum eſſe *mingentem ad parietem*, *incluſum & derelictum in Iſraële*, prædicitur. quod idem Achabi domo denunciatur 1 Reg. xxi. 21. 2 Reg. ix. 8. Quid hic *milites* in præſidiis collocati? Quid itaque? mihi haud improbabile videtur per עצור virum *fortem* ac robuſtum, per עזוב *debilem* & invalidum, denotari: ita ut ſenſus ſit, fortes æque ac infirmos defuturos, qui domum vel remp.

ad

eſſet manci, mutili, ſenes, cum robur militiæ in acie Jeſ. LIX. 16.

VII. Alterum emblema continetur, ℣ſ. 36, 37. *Et dicent*, &c. In quo illuſtrando recentiores Interpretes opti-

ad ruinam ſuam vergentem, ſuſtinere poſſint, inter heroäs non magis quam inter reliquos aliquem inveniri, qui rebus collapſis ſuccurrere poſſit, vel etiam, nec ex *nobilibus*, nec *ignobilioris* conditionis hominibus, quem in medium produci poſſe, qui caput objicere poſſit periculis: cujuscunque generis homines, ſine ullo diſcrimine, ſive fortes, ſive invalidi ſint, ſive in dignitate conſtituti, ſive plebeji, animo & viribus defecti, flacceſcerent, quaſi *crepitu facto* exſpirarent, & evaneſcerent, inſtar *uteri*, aut *veſicæ* effuſo vento vel liquore: quæ propria poteſtas eſt rad. פסס & פסא apud Arab. Hanc ideam qui ad loca citata applicuerit, eorum vim recte exprimere animadvertet facile. Sic Jeroboami II. tempore, antequam ipſe remp. inſtauraret, res deſperatæ erant in Iſraële, afflictio acerbiſſima, & evanuerat עצור & עזוב *forti* æque ac *infirmiori* animus & vires defecerant, *& non erat*, ſic additur, עזר לישראל *auxiliator Iſraëli*, qui rebus prolapſis præſidium præſtare poſſit. 2 Reg. XV. 26. quod cum noſtro loco conjunctiſſimum eſt. Sic Jeroboami I. & Achabi domus exſcindendæ forent, ut *mingentes* ad *parietem*, ſeu *maſculi*, deficerent, ſive robuſti aut nobiles, ſive infirmi aut plebeji ſint, nullus ex eorum domo ſupereſſet in Iſraële, qui eam collapſam ſuſtinere, aut inſtaurare poſſet. Jeſ. LIX. 16. eodem ſenſu dicitur: *& vidit* כי אין איש *non eſſe virum*. Sic plane noſtro loco, niſi quod *illic* de Eccleſiæ, *hic* de hoſtium deplorata conditione ſermo ſit. Quæritur tantum, num voces noſtram admittant cogitationem? עצור ex primigenia poteſtate eum dicit, qui *preſſus* & *ſtrictus* vim exerit ac vigorem, aut qui ſucco ac viribus plenus eſt, ita ut accedente *preſſione*, robur demon-

optimam poſuerunt operam. Plerique Interpretes accipiunt ut verba Dei, inſultantis hoſtibus, de quibus ſumpturus eſſet vindictam, atque adeo, quod dicitur,

E e Et

monſtret, & vim *exprimat*. Propria illa *ſtringendi* & *premendi* poteſtas apud Arab. ſupereſt, & in Script. non deſunt veſtigia *roboris exſerti* & *expreſſi*. 2 Chron. XXII. 9. Domui Achaziæ defuiſſe dicitur לעצר כח לממלכה *qui vires ad regnandum ſtringere* vel exprimere quiret, cui robur ad regnum capeſſendum ſuppeteret. 2 Chron. XIII. 20. *Et tempore Abiæ Jeroboam* לא עצר כח עוד *viribus amplius non pollebat*. Vid. & 1 Chron. XXIX. 14. 2 Chron. II. 5. XIV. 10. Præterea a *ſtringendi* & *conſtringendi* poteſtate ea *imperandi*, ſeu refrænandi, quoque profecta eſt; quæ occurrit 1 Sam. IX. 17. *Ecce hic*, ſc. Saul, יעצר בעמי *imperium obtinebit in populo meo*. Unde elucet, עצור eum recte repræſentare, cum qui *viribus*, quæ exprimi poſſunt & ſtringi, gaudet, tum qui poteſtate præditus eſt *refrænandi* & dominandi. Participia vero paſſiva *poſſeſſionem* denotare, ut נושע ſervatum, qui *ſalute* abundat, notius eſt, quam ut demonſtrari debeat. Alterum participium עזוב aptiſſime ob oculos ſiſtere, virum debilem, viribus exhauſtum, quem vires *deſeruerunt* ex Pſ. XXXVIII. 10. XL. 13. &c. virum *contemtioris* conditionis, cujus amicitiam nemo ambit, latus nemo claudit, quem vulgo vilipendunt, & *deſerunt*, ex re ipſa & uſu ſatis noto, quo deſertionem cum *contemtu* conjunctam dicit, Prov. II. 17. 1 Reg. XII. 8-13. &c. conſtat. Illud addo, & alibi *firmos* ac *debiles* in populo diſtingui ut Joſ. IX. 13. XIX. 15. Pſ. XLIX. 3. & infirmorum ac inferioris ſortis hominum hic in deſperato populi ſtatu deſcribendo non inepte rationem haberi, cum & illi nonnunquam *ſalutis* cauſam urbibus obſeſſis, & populo afflicto, adferre poſſint: ut eſt Eccleſ. IX. 16. quod ex pluribus exemplis confirmari poſſet. H. VENEMA.

Et ואמר *& dicet*, accipiunt. *Et dicet Deus*, *ubi nunc ſunt Dii illorum*, *quos illi coluerant*, *quibus ſoliti erant fidere*, &c. veluti Deus hoſtibus ſuis hic inſultaret, ſermone ad eos directo, & falſorum Deorum cultoribus exprobraret τὴν ἀδυναμίαν *impotentiam* eorum Numinum, quibus huc usque ſiſi erant. Verum obſervandum. *α*. Deum huc usque ſe non oſtentaſſe, & in medium prodiiſſe, ut vindicem poſteriorum horum hoſtium ſui populi afflicti. Id demum fit membro ſeq. ℣ſ. 38 ubi Deus ſe oſtentans, ait: *Videte* &c. *β*. Illam interrogationem ἐνδεικτικὴν, *ubi nunc eſt Deus illorum*, &c. paſſim in Scriptura S. tribui hoſtibus Populi Dei, ei in calamitate ſua inſultantibus. Pſ. XLII. 4-11. *Interiora oſſa mea penetrat convicium hoſtium meorum, omni die dicentium: Ubi eſt Deus tuus?* Pſ. LXXIX. 10. CXV. 2. *Quare dicerent* Gentes, *ubi nunc eſt Deus ipſorum.* Δ Ergo verba hæc exhibent emble-

Δ. Etſi Judæos rebelles *primo*, & dein reliquos Eccleſiæ hoſtes, qua Romanos, qua Antichriſtianos, hic illudi exiſtimem, ut ſupra demonſtravi: ipſam tamen *irriſionem* cum Cl. Auctore non tam *Deo*, quam *aliis* in genere hominibus attribuo, ut ſenſus ſit, hoſtes ſe ea *irriſione* quam maxime dignos præſtare, & *quemque* in ejusmodi ſarcaſmum merito erumpere debere: quare *imperſonaliter* dicitur ואמר *& dicet quisque*. Quod ſi admiſeris, verba pertinebunt ad deploratam hoſtium conditionem exaggerandam, & cum ultimo membro verſ. præcedentis hac ratione apte cohærebunt, ut dicatur, Deum populi ſui vindicias tum acturum, cum viderit, & *manum hoſtium eſſe brevem factam, & fortem æque ac debilem exſpiraſſe*, & quemque iis hoc dicterio inſultare: *Ubi Dii ipſorum* &c. repete itaque τὸ כי, quod facillimum & receptum uſu

emblema alterum, quo deſcribitur circumſtantia ejus temporis, quo Deus in publicum prodiret ad hoſtes ſuos, qui Eccleſiam afflixerant, vindicandos: nempe fore tempus ſtatus, ut videtur, populi Dei plane deſperati, quo hoſtes dicerent: *Ubi nunc eſt Deus ipſorum? rupes, qua nitebantur, cujus ſacrificia adipoſa comedebant: vinum libaminis ipſorum bibebant: ſurgant nunc & adjuvent* vos, *& ſit ſuper vos tegumentum.* Ubi quatuor obſervanda. α. Illud ואמר in principio ℣. 36. vertendum eſſe *imperſonaliter: Ubi dicetur*, vel *ubi dicent* ſc. hoſtes. ſtylo Hebræis recepto. Scilicet, Deum ſe tum manifeſtum facturum ut Vindicem, ubi dicent hoſtes. β. Phraſin, ubi *ſunt Dii, qui comedebant adipem ſacrificiorum ſuorum, & bibebant vinum libaminum*,

 mani-

uſa eſt, & non hærebis. Cæterum quam apte hæc oratio Romanis, Judæos ſubſannantibus, in ore detur, & ex eo elucet, quod de *Diis* in plurali loquantur, opinionibus ſuis convenienter: quamque egregie in Judæos conveniat, ſtatus eorum tempore Chriſti, quo cultui rituali unice fidebant, & falſis ſuis opinionibus de civitatis ac religionis ſuæ perennitate nixi, fœdus cum Romanis rumpere, ſibique quævis felicia promittere, auſi fuerunt, quod hic ſarcaſtice ipſis exprobratur, in omnium oculos ingerit: ita ut pluribus opus non ſit. Illud addatur, Judæos eo majore jure hac contumelia affici, quod ipſam rupem ſuam ſimili ratione non veriti fuiſſent lacerare, ut Pſ. xxii. prædictum, & tempore *crucifixionis* Chriſti impletum eſt. Atenim, quod tunc temporis in Judæos conjecerunt, & ipſi tempore Conſt. M., per quem idololatria cum ejus cultoribus debellata eſt, experti ſunt, & ſentiet adhuc eccleſia Anti-Chriſtiana, paganis & Judæis etiam in eo ſimilis, quod ſimilem cultum *ritualem* introduxerit, & plura ejus conſtituerit *objecta*. H. VENEMA.

manifeſte alludi ad cultum Vet. T., ubi Deo ſoli *adipoſa* cedebant in ſacrificiis, ſecundum Lev. III. 16. *Omnis adeps Deo* &c. in quo cultu in ſacrificiis perfectis, qualia erant holocauſta, inſtituebatur *libatio*. Exod. XXIX. 4. γ. Metaphorica hac dictione deſcribi cultum ſpiritualem, quem Chriſtiani ſoliti ſunt Deo deferre ſub N. T. ſtylo Prophetarum, ſpiritualem cultum deſcribentium phraſibus cultus externi ſub Oecon. Vet. Jeſ. LVI. 6. Zach. XIV. 16. Mal. I. II. δ. Emphaſin eſſe in dicto: *Sit vobis latibulum, tegumentum*, *A* quippe quo alluditur ad æſtum perſecutionis, quo Eccleſia undique urgeretur & premeretur. acſi dicerent hoſtes: jactant illi, Deum Eccleſiæ & Populo ſuo olim procuraſſe latibulum in nube, adverſus æſtum: &c. Confer Jeſ. IV. 5, 6. cap. 32. I.

VIII. Sunt autem duo tempora Eccleſiæ N. T. ad

A. Duobus maxime in caſibus, quibus deſperatæ videbantur res Judæorum, Deus ſe *velum* populi ſui, poſt quod *latuit*, & ab hoſtium impetu *tutus* fuit, (ad ejusmodi enim *velum*, ſub quo *quis clauſus* & *conditus* eſt tanquam *auleo regio*, verbum סתר vera ſua poteſtate nos omnino ducit,) præſtitit: tempore nimirum liberationis ex Aegypto, cum ab Aegyptiis, eos undique prementibus ad mare rubrum, *nubes* inter Iſraëlitas & ipſos *media*, eos defendit, & occultavit Exod. XIV. 20. nec non, cum a Syro-macedonibus undiquaque preſſi miraculoſe *διὰ τὴν ἐπαρήγουσαν τοῦ κυρίου σκέπην adjuvans Dei tegmen*, ut loquitur auctor 2 Maccab. XIII. 17., ſunt defenſi. Vix dubitaverim, quin ad hæc exempla reſpiciatur: maxime cum Judæi a Pſeudo-prophetis decepti ſimile quid & in ultima linea rerum exſpectaverint, ſeſe hac ſpe obduraverint contra Romanorum oppugnationes. H. VENEMA.

T, ad quæ hic alluditur. Primum eſt Perſecutionis Diocletianeæ, quando Eccleſia erat in magno labore, hoſtes ei inſultabant, nullus videbatur expectandus eſſe exitus. Abierat tam manus, ſalus præter & contra ſpem: quando Deus Eccleſiæ ſuccurrit, & fidem primum præſtitit huic dicto Confer Pſ. LXVIII. 7. *Deus ducit ſolitarios domum.* Alterum erit tempus graviſſimæ afflictionis Eccleſiæ expectandæ in fine temporum ſub Periodo Eccleſiæ ſexta, quando Reges terræ unitis conſiliis conſurgent ad puriorem Eccleſiam extinguendam. Ap XVI. 14 & ſalus erit præter ſpem, quando Dominus Jeſus exſurget & vindictam de hoſtibus ſumet, de quo temporis articulo vaticinatus clariſſime eſt Jeſ. cap. LIX. 16. LXIII. 1. quæ loca cum hoc noſtro conferenda. Equidem verum eſt, Eccleſiam jam vidiſſe ſpecimina hujus ſingularis Providentiæ erga Eccleſiam puriorem, ut rebus deſperatis ei ſuccurrerit, veluti in Gallia ſub Franciſco II, ſubitario fato extincto, cum res Reformatorum in extremo eſſent, itidem in Anglia ſub Maria, Angliæ Regina, in Germania poſt Joann. Fredericum Sax. & Philippum Landgrav. & confœderatos Smalcald. Principes victos à Car. V. res Eccleſiæ graviſſime laborabant. quando Deus ſubito, ſtupente Mundo, ei procuravit auxilium per Mauritium Sax. & ſuperiore ſæc. cum Germaniæ Libertas & Religio oppreſſa eſſet à Ferdinando II. vindicem dedit Guſtavum Adolph.

IX. Atqui hoc tempore Deus ſe manifeſtum faceret ut *Vindicem* Populi ſui, ℣ſ. 38, 39. . . . . quæ *Manifeſtatio* Dei ut Heröis, & Vindicis Eccleſiæ tertiam partem facit hujus Epilogi. Magnifica eſt & ſplendida oratio. Propheta infert Deum Gloriæ ſuæ zeloten, Eccleſiæ amantem, ſe ipſum excitantem &

glorioſe ac magnifice prodeuntem inſtar Heröis ad Eccleſiam ſuam liberandam. Prodit autem cum omni majeſtate, gloria, decore, quæ Eccleſia in Liberatore ſuo merito requirit. Hac pericopa noſtra duo ſibi vindicat attributa, quæ in ſe ut Heröe, Vindice & Liberatore Eccleſiæ, agnoſci vult non ab Eccleſia tantum, ſed & ab hoſtibus ſuis: qui hoc tempore veritatem & ſummam majeſtatem illius Dei, qui in Eccleſia colitur, clariſſime intelligerent. Sunt autem illa attributa præcipue duo. *Poteſtas* ejus ampliſſima, à ſumma potentia ejus armata & fulta, ℣ſ. 38. Seria ejus voluntas populi ſui liberandi, de qua ne quis dubitaret, interponit Jusjurandum, ℣ſ. 39.

X. Poteſtas Dei ampliſſima, baſis & fundamentum omnis Operis Divinæ Providentiæ & Liberationis Eccleſiæ, deſcribitur, ut jam præmonui, ℣ſ. 38. quem *verſiculum*, qui nihil obſcuri habet, paraphraſi illuſtrabo. *A* *Videte nunc*, ait, videlicet, non vos tan-

A Sermonem dirigi exiſtimaverim cum ad Judæos, ſevere puniendos, tum ad Romanos, eorum deſtructores, & irriſores; utroſque veræ eccleſiæ, ſeu *populi* & *ſervorum Dei*, hoſtes acerrimos: non ad ipſos illos ſervos. 1. Quia neglexiſſe hanc Dei potentiam & virtutem, vel de ea dubitaſſe, innuuntur illi, quos hic alloquitur Deus, ut patet ex vocula עתה *nunc:* videte nunc tandem vos increduli, qui id antea ſpreviſtis, negaſtis. 2. Quia, ſe ſolum eſſe Deum, qui vivificat & occidit, nec *ullum alium eſſe Deum*, *ſervis ſuis* non neceſſe habebat Deus ut perſuaderet, & inculcaret: quippe qui de *suo* vero Deo non dubitant. Ergo ad Judæos immorigeros oratio pertinet, quippe qui *cantici* præcipuum conſtituunt objectum: eoque tendit, ut eos ad *juſtitiæ* divinæ, *judiciique* ultimi, a Deo in ipſos immittendi, animadverſionem, agnitionemque

tantum, qui, cauſa veritatis & religionis, fuiſtis af-flicti & pene ad deſperationem acti, ſed ipſi quoque vos mei & Eccleſiæ meæ hoſtes, qui ei huc usque in-

que, quam antea turpiter neglexerant, nunc tandem adduceret, ut cum de veritate illa, & officio ſuo prætermiſſo, convincerentur ex ipſo facto, ſeu judicio præſente, tum ad reſipiſcentiam incitarentur: quæ unica via adhuc ſupererat ad rerum ſuarum aliqualem reſtitutionem, cum Deus *occidat* & *vivificet*. Reſpicitur ad ℣ſ. 29. ubi incredibilis populi ſtupor, quo ad *finem ſuum* non attendebat, deſcribitur per modum voti: *utinam intelligerent hoc & extremum ſuum perciperent!* Quod cum ſusquedeque habuiſſent, nec ad minas & prædictiones animos advertiſſent, nec prudentiores facti ſint ex *judiciis* prævIis: *nunc* tandem ipſo facto *id viderent*; ſed cum *pudore* & *dolore*: quemadmodum Jeſ. xxvi. 11. *Jehova elata eſt manus tua, non videbunt: ſed videbunt & pudeſient*, qui locus noſtram interpretationem egregie illuſtrat. vid. & Hab. 1. 5. Viderent nunc, Deum eſſe *juſtum* peccatorum vindicem, qui *occidit* & *vulnerat* quoque, non tantum *liberat*. Judæi in ipſo *liberatorem*, non vero *deſtructorem*, ſuum exſpectabant, & ideo omnes *minas* ac *monita* ſpernebant. Sed cum Deus ſe ſimul qua *vivificatorem* & *ſanatorem* ipſis manifeſtum faciat, & illud ad animum revocent, ſeſeque ad Deum convertant, exigitur, ut ſic tandem Dei *potentiam* in *reſuſcitatione* ſua ſpirituali ex mortuis experiantur. Quod ſuo tempore futurum credimus. Rom. xi. Deinde, ut & illis, qui Judæos exterminarent, iisque vanam in Deo fiduciam exprobrarent, omnis anſa Dei *potentiam* in dubium vocandi, acſi populo non eſſet liberando, præcideretur: ſaniores de toto hoc judicio ipſis ſuggeruntur cogitationes, meliora de *fini* ac vero *ejus* conſpectu judicia: acſi diceretur. Cavete vobis, qui iram meam in hunc populum executuri eſtis,

inſultâſtis, & ſpei ejus illuſiſtis, *videte* nunc, obſervate, & cognoſcite, me eum eſſe. Sic Jeſ. XXVI. 11. *Jehova manus tua elata eſt, non vident, videbunt utique, & pudefient*, ubi ſc. Jehova prodibit in medium cum

eſtis, ne inani jactantia de *manu veſtra elata* & mea *potentia* ſuperata gloriemini, cujus ne quidem ea ſpecies, quæ tempore exilii Babylonici fuiſſet ℣ſ. 27., ſupereſt, (ut ex multis indiciis, ſupra memoratis, elucet.) Contra, *videte nunc*, ſit hæc prudens veſtra collatio, me illum eſſe ſolum, qui *juſtitiam* exercet in orbe, peccatores ſevere puniendo, & afflictis ſervis liberationem procurando. *Videte*, in me *uno* eſſe ſupremam *poteſtatem* puniendi hos, & vindicandi illos. Attendite ad *potentiæ* meæ ſpecimina in Judæis conſtringendis, & poteſtati veſtræ tradendis, ita ut nemo eos *eripere potuerit e manu mea*, conſpicua. Videte, me *eundem*, ut hoſtium meorum deſtructorem, ita *populi* mei *vivificatorem* & vindicem eſſe. Imo, cum ex ipſo hoc vaticinio, aliisque ſimilibus, videre poteritis, *judicium* hoc diu a me prænunciatum eſſe, *videte nunc*, cum implementum exacte reſponderit prædictionibus, me *ſolum* eſſe verum Deum, ſolum mundi gubernatorem, ſolum judicem eundemque *liberatorem*. Conferri meretur ſimilis locus apud Jeſ. XLIII. 9-13. Ulterius progredior. Romani, qui Judæorum veſtigia in Eccleſia vexanda premerent, eandemque ſortem ſubirent, quod & hic prædicitur ſenſu *ſecundo*, ut ſupra obſervavi, ad prudentem animadverſionem hujus *judicii* hanc ipſam ob rationem excitantur, ut *ultricem* Dei juſtitiam ex eo colligant, ſibique vel ab affligendo populo Dei hoc exemplo edocti caveant, vel in hoc ſpeculo ſuas *pœnas* contueantur. Deus enim hoc illuſtriſſimo judicio in Judæos in omnium oculos ingeſſit, ſe eſſe *ſolum*, qui *occidit*, & *vivificat*, adeoque hoſtium deſtructorem & eccleſiæ afflictæ vindicem. H. VENEMA.

cum omni decore ſuæ majeſtatis. Apoc. I. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam eorum, qui eum transfixerunt, & plangent*, &c. Imo ait, *videte nunc*, ſc. hoc tempore à me definito, circumſcripto, ad illuſtrandam gloriam & vindicandam cauſſam Populi mei deſtinato: quod עתה *nunc* oppoſitum & contradiſtinctum eſt omni tempori afflictionis Eccleſiæ præcedaneæ *Videte nunc*, ait, *quod Ego, Ego ille ſim.* h. e. ille ſim, quem Eccleſia juxta fidem Revelationis me eſſe confeſſa eſt: h. e. me eſſe illum Deum, qui locutus eſt Patribus, qui Populum eduxit ex Ægypto, qui in tempore manifeſtavi ſalutem patribus promiſſam. Deus verus, quem Eccleſia confitetur, non eſt Numen aliquod vagum, & indefinitum, ſed eſt הוא *hic*, *ille*, certis characteribus circumſcriptus, & à falſis Dîs Gentium diſcretus. Emphaſis ſæpe occurrit in aliis locis Jeſ. XLIII. 10. *Ut cognoſcatis, & credatis mihi, & intelligatis, me eum eſſe.* Pſ. XLIV. 5. *Tu ille es, Rex meus.* Eſt etiam emphaſis in geminatione voculæ אני *Ego.* Cognoſcite quod *ego ego is ſim.* *A* Ego non alius, non peregrinus

 Deus,

A. Repetita vox אני *ego* mihi inprimis reſpicere videtur ad duplicis generis *attributa* & *opera*, quæ mox memorantur, ut ſenſus ſit: *eundem* eſſe Deum, qui *occidit* & *vivificat.* Ego ille ego, ſeu duplex ille ego, alter *occidens*, alter *vivificans*, non *duo*, ſed *unus idemque* ſum, non ego, & alius *Deus mecum*, ſed *ego ego idem*, ego qui *punio*, & ego qui *libero*, *idem. Eundem* ſuum Deum liberatorem eſſe ſeverum ſuum *deſtructorem*, non credebant Judæi. Eundem eſſe Deum, qui Judæos redemerat ex Aegypto, & huc usque ejus *vindicem* egerat, & qui nunc eos ad internecionem delevit per Romanos; vix ut credant

Deus, ne *erretis* in Perſona. Idem Jeſ. XLIII 25. aliiſque in locis. Eſt autem „qui hic loquitur, Deus verus, Pater, Filius, & Spiritus: ſed qui ſe maxime manifeſtaret hoc tempore in Filio, Jeſ LXIII. 1. coll. cum Apoc. XIX. 11. Addit, *Et nullus eſt Deus mecum.* Interpretandum ex ✝ſ. 12. *Nullus eſt mecum Deus peregrinus.* Filius verus Deus eſt apud Patrem, ſed non eſt Deus ἀλλότριος, factitius & fictitius, ut Ariani ſtatuebant. *Ego morte afficio & vitæ reſtituo, percutio & etiam ſano, & non*

dant in animum inducere poterant pagani; cum quorum opinionibus conjunctius erat ſtatuere, *non-Jehovam illud feciſſe*, ſeu illam calamitatem inflixiſſe ✝ſ. 27. ſeu alium eſſe Deum Judæorum, alium eorum *debellatorem*. Hanc perverſam ut Deus expugnaret opinionem, ex ipſo hoc judicio, prudenti oculo inſpecto, omnes colligere vult, *unum eundemque* eſſe Deum, cui utriusque generis attributa & opera competunt: deinde, ut emphaſin vocis אוה ulterius pandam, ſe non nunc demum talem factum eſſe, inſinuatum vult Deus, ſed talem *ſemper* fuiſſe, eſſe ſe *eundem* nunc, quem antea, cum populum ſibi primum aſſeruit, nec *alium* futurum unquam: ita ut in regimine mundi & eccleſiæ ſemper ſeſe exhibuerit, & præſtiturus ſit, *hoſtium* ſeu peccatorum *judicem*, & ſuorum ſeu afflictorum *vindicem:* Deum *juſtum*, qui *ſontem non habet pro inſonte*, & *benignum* ac *miſericordem*, qui ſuorum miſeria tangitur, & iis opem fert. Qualem ipſe ſe *pronunciavit*. Exod. XXXIV., nomine *Jehova*, quod probe notandum, *bis* quoque enunciato, ✝s. 6. *Jehova Jehova* &c. ut hic *ego, ego* &c. Alia, quæ ad voces haſce illuſtrandas proferri poſſent, prætermitto. Addo tantum ſimile Jacobi dictum c. IV. 12. *unus eſt legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere.* H. VENEMA.

non eſt, qui eripiat ex manu mea. A Præclarum attributum! Sententia Prophetæ eſt, a. Deum eſſe abſolutiſſimi Juris Domini, ſumma inſtructum poteſtate, qui, pro jure ſuo in hoſtes & Eccleſiam, Imperia Mundi, Reſp. homines ſingulares, poteſt dejicere de ſtatu, perdere, & ipſam Eccleſiam ad tempus permittere hoſtium poteſtati. b. Eundem potentia eſſe inſtructum. Cum enim in hominibus ſubinde accidat, ut poteſtas & jus

A. Senſus ex mea opinione directe non eſt, Deum *eosdem, quos occidit, vivificare*, etſi & illud amplitudine ſenſus non negem comprehendi: ſed Deum *occidere*, & occiſos ad vitam revocare, id eſt, alios occidere, alios vitæ reddere, alios vulnerare, alios vulneribus confectos ſanare. a. Quia *ſcopus* & *nexus* id poſtulant. Deus enim ſeſe hic *hoſtium* deſtructorem & *populi* ſui *liberatorem* exhibet. b. Quia loca parallela idem ſignificant. Jac. iv. 12. *Unus eſt legiſlator, qui poteſt ſervare* & *perdere*, diverſos utique, non eosdem, quos *perdit*, ſervat. Clarius 1 Sam. 11. 6. c. Denique confirmat illud ultimum hujus verſ. 39. membrum, *& nemo ex manu mea eripiet:* quod ad eos omnino pertinet, qui *occiduntur* & *vulnerantur* a Deo, ejusque ſeverum judicium ob oculos ponit, quod nemo effugere poterit, aut avertere. quo ſenſu & alibi occurrit, ut Jeſ. XLIII. 13. 1 Sam. iv. 8. Hoſ. II. 12. Cæterum, cum diverſorum attributorum & operum Dei deſcriptio in *punitione*, qua Deus hoſtes proſternit, terminetur, mihi probabile ſit, *juſtitiæ* vindicatricis virtutem hic præcipue intendi, ut ſenſus ſit, Deum non tantum liberare, ſed & *punire* & deſtruere: quod ultimum Judæos & paganos in Deo maxime offendebat, & de quo ex ſeveriſſimo Dei judicio in Judæos convincuntur. Quæ cogitatio ex ſeq. pericopa robur acquirit. H. VENEMA.

à potentia diſcernatur: in divinis utraque concurrit ad conſtituendam perfectionem Naturæ Divinæ. Eſt autem hoc glorioſum Dei attributum, quod ipſi in aliis quoque locis vindicatur, 1 Sam. 11. 6. Pſ. xc. 1, 2. cxv. 3. Luc. 1. 52. *Poteſtas*, inquam, ejus *abſoluta*, cum ſumma potentia conjuncta, qua de omnibus rebus ſuæ voluntati ſubjectis ſtatuit pro placito & arbitrio ſuo, ſive ad ſalutem & commodum ſive exitium mortalium, ſecundum illud Jacobi cap. iv. 12. *Unus eſt Legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere.* Et eſt tamen id ſemper accipiendum cum eo temperamento, quod Deus poteſtatem & potentiam ſuam nunquam niſi ſancte & juſte adminiſtret. Addo, ubi Propheta Deo tribuit dictum: *Ego morte afficio & vitæ reſtituo:* ſub hoc dicto latere ſenſum myſticum. Ex mente prima Prophetæ hic loci notat, Deum homines ſingulares & Populos integros poſſe vindicare a ſummis malis, & afflictos ac dejectos reſtituere in integrum. ut Pſ. cxvi. 3 ſed arcano & myſtico ſenſu, Deum non poſſe tantum homines vindicare ab exilio temporali, quod ſpecies eſt mortis, ſed quoque à morte temporali per reſuſcitationem corporis, & ab exitio æterno per glorificationem

XI. *Voluntatem* Dei in ſalvando Populo & Eccleſia ſua declarari dixi ℣ſ. 39. *Quia tollam ad cælos manum meam & dicam, Vivo ego in ſæculum!* Videt quisque, ſubeſſe dictioni figuram. Introducitur Deus ut jurejurando confirmans propoſitum, hoſtes ſuos ſevere ulciſcendi: *attollere enim manus* in cœlum, eſt Jurantium, h e. provocantium ad Dei potentiam, omniſcientiam, & juſtitiam, Gen. xiv. 22. & eſſe jurisjurandi formulam: *Deus vivit in ſæculum*, ex uſu ſcripturæ receptiſſimum eſt. Jeſ. xlix. 18. Ezech. v. 11. *Jurat*

rat autem Deus per ſe ipſum, cum majorem, per quem juret, non habeat. Heb. VI. 16. Subeſſe dicto figuram nemo dubitat, cum Deus proprie nec juret, nec jurandi rationem habeat Ubi Deus *jurare* dicitur, declarat, inter eas res, quas effecturus eſt, & inter ſummam perfectionem naturæ ſuæ eſſe χέσιν neceſſariam, ut, niſi ea efficiat, quæ jurejurando confirmat, abnegaturus eſſet ſummam ſuam perfectionem, & ſtatu ſummæ perfectionis mereretur excidere: ſit dictum reverenter. Significat itaque phraſis certam & indubiam voluntatem propoſitum ſuum exequendi.

XII. Sequitur itaque mox declaratio vindictæ, quæ quartum Epilogi membrum facit, ℣ſ. 40, 41. *ſi acuero gladium meum coruſcum*, & *manus mea apprehenderit judicium*, &c. Oratio plane magnifica eſt & alte exurgit. Complectitur, ut jam præmonui, declarationem vindictæ exercendæ, ejusque modi. Eſt autem oratio bimembris. Prius membrum in genere explicat vindictam, ℣ſ 40. Alterum ſpeciatim vindictæ Divinæ modum.

XIII. *Prius membrum eſt, ſi acuero gladium meum coruſcum*. Sic vertimus verba. Vocula אם in formulis Jurisjurandi ſæpius adhibetur, ſed tum idem notat, quod, *non*, ut Pſ. XLV. 11. *Juravi, ſi ingrediantur in requiem meam*, h. e. non ingredientur: quæ ſignificatio hic locum habere nequit, ut Docti Interpretes jam viderunt. Ergo, vel conditionata eſt declaratio vindictæ; vel vocula אם hic vertenda per *certe*. *A*, ut adeo hæc verba accipienda ſint tanquam de-

A. Uſitatam voculæ אם in jurejurando poteſtatem, qua fortiter negat, retinere ſi quis pertinaciter velit, nihil ſupereſt,

declaratio vindictæ à Deo exercendæ. *Gladius* Dei, ſtylo Scripturæ S. notat *Judicia Divina*, tendentia ad deſtructionem hominis, neque unquam aliter occurrit: veluti, Ezech. xxx. 24. *Firmabo brachium ejus & gladium meum dabo in manum ejus*, faciam illum executorem Judiciorum meorum. Judicia autem armantur ab ejus potentia & vindicta, h. e. puniendi Dei voluntate: quæ ubi clarent & liquidiſſime fulgent, Gladius Dei *coruſcare*, & *ſplendere* dicitur, & Deus illum *gladium acuere*, ubi circumſtantias omnes ſua provi-

pereſt, quam ut ברק ex ב & רק compoſitum dicat, & *tantummodo* vertat, *ſi acuero tantum gladium meum*, nihil aliud intenderim, ac gladium modo acuere, nihil aliud facturus: qui uſus τῦ רק notiſſimus eſt. 1 Sam. I. 13. Num. XII. 2. ſive autem ב redundare cum emphaſi, ut interiorem rei naturam exprimat, ſtatuas, quod ſæpe fit Pſ. XXXIX. 7. XCIX. 6. Eccleſ. VII. 12. Exod. VI. 3. Job. IV. 19., ſive *in tantum* reddas, perinde eſt. Si רק eodem ſenſu, quo ריק, antiquitus uſurpatum velis, cum propter affinitatem commutari facile potuerint, ברק idem erit ac לריק Lev. XXVI. 16. Jeſ. LXV. 23. Sed ſimpliciſſimum fuerit, eandem poteſtatem attribuiſſe τῷ אם, quam in ſimili caſu habet כי, ut emphatice redundet, materiam juramenti verba ſequentia complecti indicet; quemadmodum Gr. ὅτι. vid. Jeſ. XLV. 23. XLIX. 18. Etſi vero אם aſſeverandi vim nonnunquam forte habeat, eam hoc in loco, ubi *juramentum* præceſſit, minus commodam cenſuerim. Cæterum, quod ἐν παρόδῳ notandum, cum Chald. voces liberius hunc in modum reddiderit, כחיזו ברקא מסוף--שמיא ועד-סוף-שמיא תתגלי-חרבי, *ſicut apparet fulgur ab extremitate cœli in extremitatem cœli revelabitur gladius meus:* hinc illuſtrari poterit dictum Chriſti: Matth. XXIV: 27. H. VENEMA.

providentia ita diſponit, ut ictum infligere poſſit hoſtibus ſuis feralem & lethiferum: quod ipſum dum agit, *manus ejus dicitur apprehendere judicium*. Sic verto verba: dum alii, *manus mea apprehenderit, ſic gladium in judicio*, vel: *manus mea apprehendat ad judicium*. Verſio, quam ego ſequutus ſui, optime convenit Linguæ Hebrææ, & rei ipſi. *A* Dicitur Deus apprehendere judicium, ubi ſe publice ut judicem & vindicem cauſſæ ſuæ & Eccleſiæ manifeſtum facit. In Lingua Hebræa autem eleganter voces *apprehendendi* conſtruuntur cum litera ב, præfixa *ſubjecto* apprehendendo, ut exempla ſunt Zach. VIII. 23. Ezech. XXIX. 7. Ergo, cum Deus ſua providentia omnes circumſtantias Judicii ſui rite ordinaſſet, ſeque ad illud decore inſtruxiſſet, dicitur *redditurus vindictam hoſtibus ſuis & oſoribus ſuis repenſurus*, h. e tandem, poſtquam cauſſam Eccle-

A. Ab hac verſione, quæ ut antiquiſſima, ſic elegantiſſima eſt, interpretes ſine ulla ratione diſceſſerunt. אחז proprie eſt *manu* injecta quid *apprehendere*, & ſibi aſſerere, unde ad *hæreditatem*, in quam quis manum injicit, transfertur. Significatur itaque a. Judicium *Deo* ſoli competere, eſſe ejus propriam poſſeſſionem. ut ℣s. 35. *mihi eſt ultio*. b. Deum longo quaſi tempore illud *neglexiſſe*, & permiſiſſe, ut *alienata* videri poſſit a Deo, dum hoſtes ſivit graſſari in ſervos ſuos. c. Illud tempus nunc expiraſſe, adeoque Deum *judicium* manu injecta ſibi rurſus *vindicaſſe*, & ſe ad ulciſcendos hoſtes accinxiſſe. d. Idque eo tempore, quo illud minus exſpectabant hoſtes, ita ut *judicium*, quod fere oblivioni traditum videbatur, manu injecta ſubito prehenderit. Quod ultimo reip. Judaicæ excidio egregie convenit. Conf. Jeſ. XXVIII. 28. &c. H. VENEMA.

Eccleſiæ longum deſeruiſſe videretur, proditurus eſſe in medium ad pœnam ſumendam de hoſtibus, ſecundum exactas juſtitiæ ſuæ rationes & leges juſtæ talionis.

XIV. Alterum membrum id ipſum adhuc fortius declarat, ℣ſ. 41. quod conſtat quatuor ſententiis, quæ in Codice Hebræo, in quo hoc Canticum per ſententias diviſas rhythmice ſcriptum eſt, ſic diſponuntur, ut ſecundum analogiam cæterarum ſententiarum ſententiæ diviſæ legendæ ſint una linea recta à dextra ad ſiniſtram, in hunc ſenſum: *Inebriabo tela mea à ſanguine, & gladius meus comedet carnem, à ſanguine confoſſi & captivi*, &c. verum legi etiam poſſunt, quod alibi obſervavi, duæ priores à ſummo ad imum, quando non minus, ſi non magis, concinne inter ſe cohærent, hoc modo: *Inebriabo tela mea à ſanguine, à ſanguine confoſſi & captivi, & gladius meus comedet carnem a capite comato inimici.* Forte Moſes ita legi voluit, & mutatio illa in hiſce ſententiis ſeparatis à ſcribis eſt introducta, etſi id ſenſum nullo modo turbet.

XV. Eſt autem ſenſus, Deum illo tempore vindictam ſumturum de hoſtibus cum magna eorum ſtrage, & larga effuſione ſanguinis, & quidem de ſævo aliquo tyranno, Principe terribili, qui Deo in judiciis ſuis illo tempore objiceretur. *Tela* Dei idem ſonant quod *gladius*, h. e. judicia Dei. Cæterum cum *judicia Dei*, cœlitus miſſa, h. e. providentia ejus ſingulari adminiſtrata, varii ſunt generis, & inter ea *bellum*, quod clariſſime patet ex Cantici hujus ℣ſ. 23. ubi hanc metaphoram habuimus: hic præcipue innuitur judicium, quod Deus exerciturus eſſet per *gladium*, ut ſenſus ſit, Deum illo tempore Eccleſiæ deſperato

exci-

excitaturum eſſe Heroäs, qui cauſſam Eccleſiæ ſuæ vindicarent, per quos hoſtes ſuos afficeret magna & maxima clade, ita ut ſanguis illorum large effunderetur, & gladio ejus proſterneretur ille, quem Vates hic vocat ראש פרעות אויב *Caput comatum inimici.* A Sic

G g enim

A. Miſſis interpretum, qua veterum, qua recentiorum conatibus, ne *notarum* limites migrem, nihil facilius eſt ſtatuere, quam *caput inimici* ipſum *inimicum* denotare, ſtylo ſatis uſitato, & in Script., & apud orientales: quemadmodum pluribus demonſtravit Cl. A. Schultens in animadv. ad Pſ. CXXXIX. 17. Addo, præter 2 Reg. 11. 3. egregium locum Pſ. CXL. 10. ראש מסבי *ad caput circumdantium*, vel *pungentium me* (ea enim poteſtas, quam aliquando præfert radix סבב, vid. A. Schultens ad Job. XVI. 13., cum eo loco eſt conjunctiſſima) *quod attinet* &c. ſic enim verba omnino vertenda ſunt: *caput vulnerantium me*, ipſos vulnerantes denotat. Sic & forte Pſ. XXIV. 7. *attollite portæ capita veſtra*, id eſt *vos ipſæ*, ut mox: *elevemini æternæ januæ*. Caput itaque *comarum inimici* ſignificat *inimicum* valde *comatum*, vel potius ſeſe *diſſolutiſſime* & *negligentiſſime* gerentem, vel hoſtem omnibus legibus divinis & humanis *ſolutum*, & cujus omnes res ſunt *perturbatæ* ac *confuſæ*. Quod quam egregie in Judæos, tempore ultimi excidii, conveniat, nemini non notiſſimum eſt. Quæcunque enim agebant & moliebantur, *ordinem & modum* excedebant. Nulla juſti rective norma vigebat: ſcelera quævis impune perpetrabantur. Omnia denique erant *confuſionis* pleniſſima per *factiones* plurimas, in quas tum ſciſſi fuerunt. Quæ cum ex hiſtoria in vulgus nota ſint, de poteſtate radicis פרע, quam ei attribui, verbo dicendum eſt. Primigenia ejus vis in *defilata*, *exfilata ſerie* ſita eſt, ut ex comparatione rad. فرط nos docuit Cl. A. Schultens ad Harir. p. 45. Inde transfertur ad omnia, quæ *ordinem* ac *modum excedunt*,

enim vertenda verba ſunt, quæ Belgæ noſtri infeliciter tractarunt. Alluditur ad tyrannos, ſævos, feros, qui comam alunt, eamque promiſſam circumferunt. Conferri hic debent loca parallela Pſ. LXVIII. 22. Pſ. CX. 5, 6. in quibus ſimilis phraſis. Notatur Princeps magnus, ampliſſimæ terræ dominus, à quo plures poteſtates minores dependent, & ut brevis ſim, Rectores Imperii Romani, ſe Regno Chriſti Jeſu oppoſituri, tam in Imperio Romano Pagano, quam Antichriſtiano, & hoc maxime. Intelligitur enim totum corpus Regum Babylonis ſpiritualis, vindicandum ſevera ultione cum ingente ſanguinis effuſione. Legantur emblemata meſſis & vindemiæ Ap. 14. 15. coll. cum Joël III. 13. ſqq. & ipſa illa loca Pſ. LXVIII. 22. Pſ. CX. 5, 6. Jeſ. XL. 4. XXVII. 1. quæ hunc illuſtrant.

XVI. Quæris implementum in hiſtoria? Demonſtro ſecundum verum ſenſum prophetiæ primo loco judicium, quo Deus proſequutus eſt Romanos Imperatores Paganos, Maximianum Herculium, Galerium Maximianum, Maxentium, Maximinum, quorum duo poſteriores, à partibus Conſtantini bello victi magna ſtrage, in ſe proſtratis proſtratum viderunt Draconem illum rufum, qui huc usque dominatus erat in Romano Imperio. Fuit certe caſus memorabilis & obſervatu dignus, perſcriptus à Lactantio in Libro *de Mortibus Perſecutorum*, qui hic integer legi debet: unde

dunt, vel *extra ſeriem abeunt*: & ita de *coma diſſoluta* luminum in ſcriptura, ac quamcunque *diſſolutionem* ac *confuſionem* comprehendit. vid. Exod. XXXII. 25. Prov. XXIX. 18. 2 Chron. XXVIII. 19. Jud. V. 2. H. VENEMA.

unde ſimul patebit, quanto jure Moſes illos appellet *caput comatum adverſarii*. Erant enim plerique illi non tantum exteri, illis Populis orti, quos Romani *barbaros* vocant, externa ſpecie terribiles, magni corporis homines, ut Galerius, (id enim minus hic ſpectari putem,) ſed erant illi ſævi & truculenti tyranni, qui feritatem ſuam indolisque ſuæ diritatem in perſecutionibus adverſus Eccleſiam inſtitutis palam prodiderunt. Euſeb. Hiſtor. Eccleſiæ Lib. x. cap. 1. deſcribens hanc mirabilem cataſtrophen illuc retulit loca Pſ. xcviii. 1. *Cantate Domino canticum Novum quia mirabilia fecit*, & quæ ſeq. Pſ. xlvi. 9. *Venite & videte opera Domini, qui poſuit prodigia ſuper terra, qui bellum ceſſare facit*, &c. Pſ. xxxvii. 36. aliaque. Et tamen non putem hoc ipſo ſatisfactum eſſe prophetiæ, quæ adhuc quid majus & amplius poſtulat. Quærendum itaque verum implementum in illa clade & ſtrage, qua Deus afficiet Romam Antichriſtianam, & Principes ei patrocinium præſtituros in fine Periodi ſextæ, ubi Reges per Spiritus tres impuros convocati fuerint ad magnum prælium diei Dei omnipotentis, Apoc. xvi. 14. *& omnes volucres rapaces invitantur* ad *edendam carnem* Regum, principum, &c. cap. xix. 18. quæ hactenus perfecte impleta non ſunt. Equidem certum eſt, Ziskam & Procopium duces Bohæmorum Taboritarum vindictam ſeveriſſimam Dei exercitos eſſe in Pontificios, eorumque exercitus, cum ingente ſanguinis effuſione ſæc. xv. in quo Populi obſervarunt manum & digitum Dei: Romam ſæc. xvi. in initiis Reformationis ab exercitu Caroli v. fuiſſe occupatam, vaſtatam, direptam, multis occiſis, ſtrage memorabili, quæ calamitas eodem modo prædicta fuit ac illa Hieroſolymitana: & ſuperiore

ſæc. Guſtavum Adolphum, Suecorum Regem a Deo ſuſcitatum ad vindicandam Germaniam, magnum fuiſſe adminiſtrum Juſtitiæ Divinæ in puniendis hoſtibus Populi Dei. Et tamen hæc, licet ſatis magna & illuſtria, nondum ſatisfaciunt prophetiæ. Expectatur eventus major, & univerſalior, decretorius, tempore à Deo definito, qui cauſſam dirimet, magis metuendus quam ſperandus. Deus velit eſſe propitius Eccleſiæ & Populo ſuo!

XVII. Conſequens horum, quinta pars Epilogi, erit Jubilum Eccleſiæ, ℣ſ. 43. *Cantate Gentes cum Populo ſuo, quia ſanguinem ſervorum ſuorum vindicabit, & vindictam reddet hoſtibus ſuis, & expiabit terram ſuam, populum ſuum* Ita eſt: conſequens Liberationis Eccleſiæ erunt Jubila, cantica, laudationes, doxologiæ, Deo offerendæ à Populo liberato, cujus doxologiæ habemus ſpecimina, Jeſ. xxv. 1. Pſ. cxviii. 1. In Apocalypſi idem clariſſime dicitur, & ipſarum Doxologiarum formulæ exhibentur cap. vii. 10. & xix. 1. ſqq. Ergo Vates ſacer, ſuſtinens perſonam Miniſtrorum Eccleſiæ illius temporis, excitat Eccleſiam ad hoc ſanctum & primum officium, circumſtantiis hujus temporis congruens, addita ratione, ex ſuperioribus perceptu facili. Tantum videndum, an unum, an duo ſubjecta, Eccleſiam illius temporis conſtitutura, hic compeller.

XVIII. Verba ejus proprie ſonant, per modum appoſitionis, *Jubilate Gentes, Populus ejus*, quæ hic accipi poſſunt. *Vos Gentes, factæ populus ejus, jubilate.* Verum Apoſtolus ſequutus verſionem τῶν ό. Rom. xv. 10. vertit: εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. *Jubilate Gentes cum populo ſuo*, quæ verſio haud dubie unice vera & probanda. Plane enim probabile

babile non eſt, Deum hic compellaturum eſſe *Gentes ſolas*, neglectis Judæis. Ergo obſervandum hic erat, quod jam obſervatum à Glaſſio Lib. 3. Tract. VI. Can XVI. eſſe hic ellipſin את vel עם *cum*, ut Lev. XXVI. 42. Apoc. III. 4. *A* Sed nos hic neceſſe non habemus longe ire. In fine enim hujus verſus idem occurrit. *Expiavit terram ſuam cum Populo ſuo.* *B* Ni-

 mirum

A. Addatur Pſ. XLVII. 10., ex quo noſter locus egregie illuſtratur. *Principes populorum convenerunt*, (ſc. Gentes, ut ex ſuper. patet:) עם אלהי אברהם id eſt עם עם *cum populo Dei Abrahami* cum electis & credentibus Abrahamidarum ſeu Judæorum. Sic & hic *populus ejus* eccleſiam Chriſtianam ex Judæis collectam in initiis oeconomiæ N. directe deſignat, ut cum ex ſupra diſputatis p. 209. patet, tum ex Apoſtolo Rom. XV. 10. confirmatur. Cum enim noſter locus ad gentium converſionem, eo tempore factam adfirmandam citetur: *populus Dei* alius eſſe nequit, ac Eccleſia credentium ex Judæis. Cæterum cum mox addatur, Deum *ſervos ſuos* vindicaturum, partim *populi Dei* phraſis explicatur, & ſervos ac populum Dei *eosdem* ſignificare indicatur, partim ratio vindictæ divinæ *latius* extenditur. Cum enim *ſervorum* ſub titulo *prophetæ* paſſim veniant, ut conſtat, digitus hic intenditur ad graviſſimam illam *ſanguinis* prophetarum ultionem, quam Dominus his verbis apud Matth. XXIII. 35. denunciavit Judæis ſui temporis: *Ut veniat ſuper eos omnis ſanguis juſtus, effuſus ſuper terram, a ſanguine Abel juſti usque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper ætatem iſtam.* H. VENEMA.

B. Ad ea, quæ de *terræ & populi Dei expiatione* diſſerui in Libris Diſſertat. l. I. c. II. §. 12., nihil addam, præter inſignem locum Num. XXXV. 33. qui vice commentarii eſſe poteſt. Agitur ibi de ſanguine innocuo, fuſo ab homicida

mirum Vates ſacer prævidebat Judicia Dei in Eccleſiam occaſionem præbitura eſſe converſioni Gentis Judææ, aliarumque Gentium Orbis terrarum, quæ huc usque permanſerant in idololatria & ſuperſtitione, quod

micida voluntario, vindicando, & per ejus næcem, omni *redemtione* vetita, expiando: ratione petita a terræ *contaminatione*, per *innocentis* cædem facta, non niſi morte homicidæ tollenda. *Quia ſanguis iſte contaminat terram*, ſic habent verba, *neque poteſt expiari terra ob ſanguinem in ea fuſum niſi ejus, qui effuderit, ſanguine*, ubi eadem radix כפר pro expiatione terræ per homicidæ næcem occurrit. Hinc, ni fallor, clariſſime elucet, quid noſtro loco ſit *expiatio terræ?* nihil aliud ac innocui ſanguinis, in ea effuſi, ſeu *ſervorum Dei* cædis injuſtæ, in ea commiſſæ, vindicatio per homicidarum deſtructionem: quippe quæ *terram* a pollutione illa *purgat*, & *clamorem* ſanguinis, quo *vindictam* poſtulat, *tollit*; & *juſtitiæ* Dei, qua mundi gubernatoris, ſatisfacit. Cæterum עמו, etſi ejus expiatio recte intelligi poſſit ex noſtra hypotheſi, de quo in Libr. Diſſert. l.c., forte rectius cum *terra*, quam cum *expiatione* conſtruitur, hac ratione: *& expiabit terram ejus & populi ejus:* quo ſenſu vox אדמה in עמו repetenda, & particula ו in עמו ſubintelligenda eſt. Ellypſis nominis ex membro præcedente repetendi ſatis uſitata eſt, ut conſtat. V. Glaſſ. Gr. S. l. iv. tr. 11. obſerv. 8. Ellypſis particulæ ו forte ex præcedente voce in ו deſinente originem repetiit. LXX reddiderunt, καὶ ἐκκαθαριεῖ κύριος τὴν γῆν τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, *& expurgabit Dominus terram populi ſui.* Legiſſe mihi videntur, אדמת עמו, & ו in עמו pro particula *redundante* habuiſſe: quem uſum nonnunquam habet, cum duo nomina copulat, ut hic. Sic Gen. III. 16. *Admodum multiplicabo* עצבונך והרנך *dolorem & conceptum tuum*, id eſt, *dolorem conceptus tui*, & alibi. H. VENEMA.

quod Oracula clare exhibent ' Legi hic debet Jeſ. LIX. 19, 20 Apoc. XI. 18, 19. Hos itaque jam conjunctos in unam Eccleſiam, unum gregem, ſimul compellat, & excitat ad Deum laudandum ob vindictam in Eccleſiæ ſuæ & Populi ſui hoſtes: quæ conjunctio arcta Judæorum & Gentium hoc ipſo exprimitur, quod dicatur, per ἀσυνδετον: *Gentes*, *Populus ejus:* eſtque probabile, fore, ut *terra Cananæa* hoc ipſo tempore vindicetur ab *anathemate*, cui ſubjacet Mal. IV. 6. & per modum aliarum partium Orbis terrarum habitetur: etſi quicquid ejus eſt, Divinæ relinquendum eſt providentiæ. Deus acceleret ſalutem Populi ſui! Illi honos & gloria in ſæcula, Amen.

COMMENTARII
AD
LIBRUM PROPHETIARUM
ZACHARIAE,
QUAE SUPERSUNT CUM PROLEGOMENIS,
CURA ET STUDIO
CAMPEGII VITRINGA, P.
THEOL. ET H. S. PROFESSORIS
DUM VIVERET.
OPUS POSTHUMUM,
EDENTE
H. VENEMA,
S. S. TH. D. ET P. ET CONCION. ACADEM.



LEOVARDIAE,
Excudit TOBIAS VAN DESSEL, Illuſtrium
Friſiae Ordinum Typographus. cIↄ Iↄ cc xxxiv.

NOBILISSIMO

ET AMPLISSIMO

VIRO

D· PHILIPPO FREDERICO VEGILIN â CLAERBERGEN

DIOECESI HASKERLANDIAE PRAEFECTO, CUM ALIIS SUMMIS DIGNITATIBUS FELICITER GESTIS PERILLUSTRI, TUM HOC TEMPORE AD CONCILIUM CELCISSIMORUM AC PRAEPOTENTIUM BELGIAE FOEDERATAE ORDINUM GENERALIUM DELEGATO ETC. ETC. ETC.

HERMANNUS VENEMA.

DEDICATIO.

TAnta ſemper fuit TUA, VIR NOBILISSIME, qua C. VITRINGAM, P., Virum Clariſſimum, complexus es, benevolentia: tam praeclare de Ipſo, Ejuſque Eruditione & ſtudiis, ſentis: ut, quod prae ſummo, quo fulges, ſplendore vereretur, Auctoris ſui nomine fretus, cum aliqua fiducia ad TE accedere, & TIBI ſeſe offerre, audeat *Libellus*, mole quidem exiguus, & pro ſcopo, quem Auctor ſibi fixerat, maxima ſui parte orbus, ſed ab Eruditiſſimo *Parente* ſuo ita formatus, ut, quouſque excreverit, ad ſui complementum non tantum nihil deſideret; ſed & ſubactum *Auctoris* ſui judicium, ſummam in omni litterarum genere peritiam, in Prophetis praecipue enucleandis & illuſtrandis felicitatem, & praeclaram, qua ornatus

fuit,

fuit, *moderationem*; quibus nominibus TU, VIR NOBILISSIME, magnum VITRINGAM maximi ſemper feciſti, perfecte referat. Hac ſpe animatus cum Talem poſtularet Patronum, cujus favore munitus in publicum de aliorum judicio ſecurus prodire poſſet: eo libentius ad TE eum ire juſſi, quod cum VITRINGANAE memoriae, quae mihi cariſſima eſt, illuſtre illud TUI affectus & judicii monumentum erigere, tum etiam inde mihi quid decerpere voluerim. De cujus enim in me affectu me firmius decet eſſe perſuaſum, a cujus benevolentia certius mihi promitterem patrocinium: quam qui inter virtutes Clariſſimi VITRINGAE, quocum nulla alia in re comparari velim, haud infimo in loco ponit generoſam illam indolem, qua ſupra vulgus erectus *moderatiora* ſectatus eſt ſtudia? Talibus, ſub quorum umbra feliciter & tuto degimus, qui ſtudiis in hoc Lycaeo nos dicavimus, quod TE annumerare poſſimus: nobis, Studiis-

que, quae nuſquam florent, vigentque, niſi ubi tales habuerint Patronos, impenſe gratulamur.

Plura dicerem, ſi in TUAS mihi laudes, tanquam ampliſſimum campum, integrum eſſet excurrere. Accipe ergo, VIR NOBILISSIME, ſolita frontis TUAE ſerenitate, leviſſimum licet, quod Tibi conſecro, meae de TE exiſtimationis monumentum: meque inter eos referas quaeſo, qui Nominis TUI cultores, eruditionis TUAE admiratores, & prudentiſſimae ac indefeſſae TUAE curae, qua Patriae & Eccleſiae ſaluti invigilas, praedicatores, pro TUA Domuſque TUAE, incolumitate continua ſuſcipiunt vota. Dabam Franequerae XIII. Kalend. Mart. A. MDCCXXXIV.

PRAE-

PRAEFATIO

AD

LECTOREM.

ETſi praevideam, Benevole lector, qui Scripturae & inprimis verbi Prophetici ſtudio, quo nullum praeſtantius eſt aliud, delectaris, ſitim Tuam hoc, quem Tibi exhibeo, *libello* non exſtinguendam, quin vehementius incendendam, & triſtiſſimum ſummi VIRI, reliquaeque hujus Commentarii partis, deſiderium excitandum eſſe; cum vel ex hoc ſpecimine, quantam nobis attulit jacturam acerbus VITRINGAE obitus, qui Eùm in hoc opere verſantem deprehendit, & perſeverare vetuit; perſpexeris: a me tamen impetrare non potui, ut ſanctiſſimi verbi Dei cultores hoc qualicunque theſauro defraudarem, cum quod Prolegomena, quae Cl. AUCTORIS cogitata de toto Libro quaſi in brevi tabella repraeſentare apta nata ſunt, ſint integra, tum quod multa comprehendat obſervata, quae, ut Auctoris eruditionem & judicium ſpirant, ſic multis aliis ejus libri partibus lucem inſpergere poſſint. Sedebat quidem animo, opuſculum hocce non ante in lucem dare, quam Commentarius, quem molior, ad Zachariam, cui annectere volueram, ad finem eſſet perductus: ſed, cum de meo labore adhuc nihil pronunciare valeam, & quam maxime vereor, ne ſtudium ſcribendi per ſaeculi genium ſufflaminetur, & impetus retuſus ſe ponat, ſententiam mutavi, & opuſculum ſeorſim cum publico communicare volui, ne ſpem, quam beatae memoriae Cl. Auctor fece-

fecerat, diutius detinerem. Habes hic, B. L., quicquid ad hunc Prophetam ſcriptis commiſerat Cl. VITRINGA P., vel quod ad meas pervenit manus: quo ſpecimine contentum Te eſſe juſſit ſupremus, iſque juſtiſſimus & optimus, mundi Moderator, & vitae mortisque Arbiter unicus. Damnum, quod paſſi ſumus, nulla ſpes eſt reſarciendi: cum ne adverſaria quidem, ut vocantur, ex quibus de mente Auctoris conſtare queat, ad me pervenerint. Fruere itaque hoc qualicunque opuſculo, tanquam ultimo magni Viri fœtu, in quo exſpiravit, & conatus noſtros quibus ſcientiae ſanctae, praecipue verbo Dei illuſtrando, inſervire allaboramus, aequi bonique conſulas. Dabam Franequerae XIII. Kalend. Mart. Ann. MDCCXXXIV.

COM-

COMMENTARIUS IN LIBRUM PROPHETICUM ZACHARIÆ.

PROLEGOMENA,

In Quibus de *Libri bujus Prophetici* Scriptore, Argumento, ſtylo, *conſcripti* tempore, auctoritate, & clavibus *interpretandi agitur, ejusque* Analyſis *generalior traditur.*

TAmetſi in multis Prophetiis antiqui temporis magna inſit, vel eſſe videatur, obſcuritas, moleſta earum interpreti, cui propoſitum eſt purum lumen ſectari, idque in res ipſas & lectorum conſcientias inferre: (non ſane loco ſolidæ interpretationis collectione incertarum expoſitionum, ab aliis productarum, cupidos veri deſtituere, & dubios relinquere, vel longe quæſitis & paradoxis fictionibus illorum judiciis illudere) ſunt tamen duo quæ hoc ſtudium ſuſtinent, & in Eccleſia apud pios veritati cultores ſuſtinebunt usque ad Sæculorum finem. Primum eſt, quod Deus *totum* Verbum ſuum velit à nobi legi & inveſtigari, tanquam Doctrinæ & Sapientiæ ſalutaris unicum inſtrumentum, generi humano, quod in-

 te-

tenebris eſt, inſtar ingentis theſauri à Deo commiſſum. Alterum, quod in ipſo Libro prophetiarum Veteris Oeconomiæ complures earum ad fata & tempora rerum Oeconomiæ Novæ vel propriè & ῥητῶς, vel myſticè & πνευματικῶς pertineant; immo vero, quod Petrus (a) diſerte profiteatur, Spiritum S. in adminiſtranda gratia luminis Prophetici nos maxime reſpexiſſe. Quod ſi ita non eſſet, vel ſic tamen homini, cui diſpenſatione ejusdem Spiritus impoſitum eſt Res divinas tractare, aliisque in dubiis & caliginoſis prælucere, nullà honeſtior ingenii exercitatio ſit, quam Oracula & Viſa, tam vetuſti ævi, commendata Eccleſiæ, quorum materia ipſa tota ſplendet Divina, inveſtigare, eorumque ſenſus ſcrutari, &, ſi pateant, exponere. Hi tantum in vitio ſunt; qui non inſtructi neceſſariis principiis, ſe absque neceſſitate tam gravi & ſancto operi temere & inconſulto admovent; vel ſuo hoc ducti arbitrio ſibi parcunt, & meditationi ac labori non impendunt, quam par eſt, diligentiam. Utrumque vitium in multorum ſcriptis hujus generis regnat. In exercitationibus hujus argumenti æqua multorum judicia me ab utroque abſolverunt. De priore ipſe modeſte ſentio: à poſteriore mihi per indolem, adjuvante divina gratia, ſtatutum eſt cavere. O ſancte Spiritus, fons omnis veri & cœleſtis luminis, infunde lampadi meæ ex puro & limpido oleo tuo; ut claritate lucis tuæ pulſis tenebris, veritas amantibus ejus delectabilis & conſolabilis facta, phoſphorus in cordibus illorum oriatur!

Notitia Perſonæ *Zachariæ*.

§. I. Perſonæ ZACHARIÆ, quam Deus gratia præſtantium

(a) 1 Pet. I: 12.

tium, & ſublimium Viſorum, hoc libro conſignatorum, honeſtavit, notitia certa aliunde vix petitur, quam ex ipſa inſcriptione hujus prophetiæ, collata cum Ezræ Cap. V: 1. unde, ut ex hoc Libro indubia fide liquet, extitiſſe illum & viguiſſe Prophetam & doctorem publicum Judææ gentis poſt reditum ex Exilio Babylonico, & concionibus atque exhortationibus ſuis juſſione divina cum Haggæo plurimum promoviſſe negotium gravioris momenti inſtaurandi ædificii Templi Hieroſolymitani. Hic quidem loci in inſcriptione ipſe appellatur γραφικῶς, ZACHARIAS, FILIUS BERECHIÆ, FILII IDDO, PROPHETA, idemque repetitur vers: 7. Sed omiſſis χαρακτηριστικῶς, in ſequente contextu libri ſimpliciter dicitur, *Zacharias.* (a) In Ezræ Libro exhibetur, ZACHARIAS FILIUS IDDO, præterito nomine Patris. (b) unde patere videtur, Patre celebriorem fuiſſe Avum IDDONEM, ſive ADDONEM, ut οἱ O' legerunt cum Hieronymo. Imo vero idem videtur probabile ex inſigni loco Nehemiæ, qui IDDONEM celebrat inter *capita* ſive *Principes familiarum Sacerdotalium*, qui cum Zerubabele & Joſua migrarunt ex Babylonia in Cananæam, (c) qui jam tum fuerit ætate provectus: cui in eadem recenſione genealogica filius datur, ipſe quoque familiæ ſacerdotalis *Princeps*, ſub Jehoïakimo, Pontifice, Joſuæ filio. (d) Sic capienda verba, לעדוא זכריה *Ei Iddoni ſucceſſit Zacharias.* Pater *Barachias* fuit haud dubie brevis ævi, nec unquam geſſit dignitatem *Principis familiæ Sacerdotalis;* quæ dignitas adeo fuit ſpectabilis, ut ipſi quoque illi hoc titulo conſpicui tanquam gregariorum Sa-

 cer-

(a) Cap. VII: 1. 8. (b) Cap. V: 1. VI: 14. (c) Cap. XII: 4. Coll. cum. vers: 12. (d) vers: 16.

ſacerdotum numero exempti, dicerentur ἀρχιερεῖς. Non videtur conjectatio vana; eſtque lux, quæ ex ea affulget perſonæ Zachariæ, nobis jucunda. Intelligimus utique, Zachariam noſtrum fuiſſe Aaronidam, virum valde ſpectabilem, claris majoribus ortum. Hic de *Iddone* cogitare Vate, temporis Rehabeami, (a) cum aliquibus apud Kimchium, plane abludit ab omni ratione. Ut quando Hieronymus *de eo non ambigi* ſcripſit, nimis credulum ſe præbuerit Magiſtro.

§. II. In nomine nullum hic quærendum ſingulare myſterium, ſiquidem illud, receptiſſimi uſus in gente ſua, cum aliis commune habuerit. Secundum primam & ſimpliciſſimam ſignificationem vox זכריה videtur vertenda, *Recordare Jehovæ*; & omnino videtur eſſe memoriale τὸ θετικὸν *admonitorium*, quo liberi hoc nomine impoſito monebantur Dei *meminiſſe* per totum vitæ curſum in omnibus *officiis*, quæ reſpectus beneficiorum & majeſtatis ab homine requirit, *agnitionis*, ajo, *fidei*, *reverentiæ*, *obſequii*, *laudationis*, *fiduciæ*, & horum ſimilium ſecundum dictum Viri ſapientis: (b) Recordare, (זכר) *Creatorum tuorum in diebus juventutis tuæ.* Sic ipſe Zacharias hac notione utitur de Aſſamonæis in remota loca (Ægyptum, Aſſyriam,) diſpergendis. (c) *Et in remotis locis* יזכרוני *mei* recordabuntur. Cultus divinus intelligitur, ut quisque ſentit, Judæi ubique in Synagogis a ſe extruendis Deum publice colerent. Et eſt ſane uſus vocis plane peculiaris pro officio *Sacerdotum*, thure adolendo Deo ſacrum facientium, de quo alibi (d) ſcripſi. Sed præter rationem &

(a) 2 Chron: XII: 15. (b) Eccles. XII: 1. (c) Zach. X: 9. (d) *Comm.* in Jeſ. Cap. LXII: 6.

& neceſſitatem eſt, in nomine communis uſurpationis id hic loci urgere. Eſt interim utile animadverſu, ſolitos fuiſſe Veteres, corruptis etiam eccleſiæ Judææ temporibus, nomina ſymbolica σημαντικὰ liberis ſuis imponere, quibus vel ipſi fidem ſuam de Deo explicarent, ejusque veluti *confeſſionem* ederent; vel Liberos in memoriam ducerent ſui erga ipſum officii; vel etiam gratiam divinam iis per votum apprecarentur: cujus pariter exemplum extat in nominibus Patris & Avi, quæ hic adſcribuntur. Patris quidem ברכיה *Berechia*, quod valet, *Benedicat Jehova*. Scribi enim nomen contracte ברכיה BERECHIA pro יברכיה JEBERECHIA, liquet ex loco Jeſaiæ, Cap. VIII: 2. ubi ſic ſignatur. Et poſſet etiam ad hoc exemplum ipſum quoque nomen זכריה *Zachariæ* valere per idem voti genus, RECORDETUR JEHOVA. Quod cujusque judicii fuerit arbitrari, in re non magni momenti. Nomen עדו IDDO familiaris appellationis cenſeo eſſe contractum ex יוידע JEHOJADA, tranſpoſitis literis יע; cujusmodi literarum μετάθεσις locum habebant in formandis Nominibus propriis, ut cognoſces ex clariſſimis ſpeciminibus nominum שמואל SAMUELIS (ex שאול מאל *petitus à deo*) (a) & יעבץ IBETZ (b) ex עצב *dolere*, quod mater illum cum dolore enixa eſſet.

§. III. Gravioris aliquanto momenti vertuntur Quæſita, Num noſter hic *Zacharias Filius Berechiæ* idem ſit homo qui à Chriſto domino eodem nomine appellatur in verbis ejus apud Matthæum: (c) *Ut veniat in vos omnis ſanguis juſtus, effuſus ſuper terram, à ſanguine Abel juſti usque ad ſanguinem* ZACHARIÆ, *filii* BARACHIÆ, *quem occidiſtis*

(a) 1 Sam. I: 20. (b) 1 Chron. IV: 9, 10. (c) Matth. XXIII: 36.

dictis inter Templum & altare. Deinde, an idem noſter commiſcendus ſit cum ZACHARIA FILIO JEBERECHIAE, quem mandato divino *teſtem* implendae prophetiae, ibi editae, de deſtructione Ephraimitidis adſciſcere jubetur Jeſaias (a) Et quidem de poſteriore ζητήματι in loco (b) abunde egi, idque diligenter diſcuſſi. Prius dubium apud me ne dubium quidem eſt. Characteres illius loci non demonſtrant Zachariam noſtrum, quorum, ſi nominis communionem excipias, nullus comparet in hiſtoria: (neque enim alicunde conſtat Zachariam noſtrum vi peremptum fuiſſe; nec ſane inter *Porticum* & *Altare*; & circumſtantiae omnes reclamant:) ſed utique plane conveniunt eximio Martyri *Zachariae Jehojadae filio*, cujus necis hiſtoria luculenter perſcripta eſt in *Chronicis*. (c) Obſtare videtur quod is *Jojadae*, non *Barachiae*, filius fuerit & ſignetur in Hiſtoria; quodque Chriſtus dominus martyrem hunc, de quo loquitur, *terminum* faciat extremum eorum omnium, qui poſt *Abelem* in cauſa fidei violenta morte de medio ſublati ſunt: quae rationes fecerunt, ut Cl. Coccejus, laudans ὁμόψηφον Conſtantinum l'Empereur, hic reſpexerit *Zachariam* aliquem, *Baruchi filium*, qui circa extrema tempora Reipublicae ab Idumaeis & Zelotis in medio Templo immaniter confoſſus fuerit, ex narratione Joſephi (d) Plures ex doctis, Coccejj meditationes lubenter ſectati, ſententiae ſubſcripſerunt; à qua alieniſſimum me profiteor.

§. IV. Etenim primo, orationem Domini non eſſe accipiendam *prophetice* de eventu aliquo futuri temporis, ſed

Hiſto-

(a) Cap. VIII: 2. (b) Comm. in Jeſ. (c) 2 Chron. XXIV: 20. ſqq. (d) *Bell. jud.* Lib. V: 1.

Hiſtoricæ, de caſu temporis *præteriti* liquet ex ipſa phraſi, ubi ait, ὃν ἐφονεύσατε *quem* OCCIDISTIS; non, φονεύσετε OCCIDETIS. Secundo, ſi vel maxime cætera criteria in illo Zacharia Joſephi demonſtrari poſſent: non videtur Chriſtus dominus in oratione convictoria argumentum prompturus eſſe ex Eventu aliquo futuri temporis, de cujus certitudine Judæi illi, quibuſcum agebat, Chriſtum teſtem utique ut verum doctorem & prophetam inficiati, minime erant perſuaſi. Oratio hoc ſenſu accepta non erat ipſis intelligibilis, cum geſta hactenus res non eſſet, & quomodo gerenda, ignorarent; nec proinde uſum potuit habere in ἐλέγχῳ. Tertio, abſque omni dubitatione Dominus ſic loquitur de *veris juſtis*, & *martyribus*, qui ſanguinem ſuum innocuum profuderunt in cauſſa veræ Religionis ex odio & invidia adverſariorum *veritatis*, quam profitebantur, & *ſtudio divinæ gloriæ*. Atque de hoc numero neutiquam videtur fuiſſe ille Zacharias Baruchi filius, cujus meminit Joſephus. Fuit ille ex Hiſtorici teſtimonio vir *ſpectatiſſimus*, *malorum vitiorumque oſor*, *libertatis amator*, idemque *locuples*: Sed fuit idem de factione *Anani*, modo ab Idumæis & Zelotis fœdum in modum interempti, ejuſdem criminis poſtulati, quod faveret Romanis, iisque per ſecretiora commercia prodere niteretur Rempublicam & Civitatem. Illius inquam ipſius *Anani*, ſive *Annæ*, qui Jacobum Fratrem domini iniquiſſimo judicio damnavit necis, perinde ac Pater ejus *Annas*, ex Euangelica Hiſtoria notiſſimus, præſedit deteſtabili exemplo judicio Chriſti Jeſu ipſius; eſtque adeo credibile, hunc ipſum Zachariam Baruchi filium, hujus judicii aſſeſſorem fuiſſe, & ſecta *Sadducæum*; cujus & *Ananus* erat

erat ex ipſius Joſephi teſtimonio, (a) & potentiores ac locupletes plerique (οἱ πρῶτοι τοῖς ἀξιώμασι,) & idem Hiſtoricus alibi. (b) Quin vere cenſeo, Deum per Idumæos & Zelotas vindictam ſumpſiſſe, ut de Anano ipſo, ſic de hoc ipſo Zacharia, eodem crimine involuto, ob ſcelera tam necem in Jacobo commiſſam; licet haud dubie injuſte iis illatam. Quarto denique, non videtur Zacharias, Baruchi filius, licet à Joſepho ἐν μέσῳ τῷ ἱερῷ *in medio Templo* confectus fuiſſe dicatur, interemptus fuiſſe in Atrio Sacerdotum inter *Porticum & altare*, ut Chriſtus Dominus hoc in loco ad flagitii exaggerandam magnitudinem. Nec eſt id mihi evictu difficile. Dicuntur ab Hiſtorico ad judicium de Zacharia habendum LXX. ex ſpectabilibus civibus convocati eſſe in Templum; qui iidem procul dubio ſedem capeſſiverunt in Conclavi *Gazith*, Dicaſterio famoſiſſimo, in quod introibatur ex Atrio gentium: quod dicaſterium, licet jam in tanta rerum perturbatione fuiſſet derelictum ab ordinario *Conſeſſu ſeptuaginta-Virali*, (licet traditio Talmudica hac de re à doctis Viris plurimis lecta, ſed non bene intellecta, ut Cl. Wagenſeilius plane demonſtravit, id referat non ad *quadrageſimum*, ſed ad *quartum* annum, ante Excidium Templi;) eſt tamen par credere, in nullo Templi Conclavi quam in hoc ipſo illos conſediſſe, cum huic uſui ante inſerviiſſet. Sed eſt id diligenter obſervandum, illa ipſa, de quibus nos agimus, geſta eſſe extremis *ſexageſimi ſeptimi* poſt Galilæam jam à Veſpaſiano occupatam expugnatamque, hoc eſt, *quinto*, (ſtricte, *quarto*,) ante excidium Templi & devictam Hieroſolymam. Quando vero idem Scriptor tradit, Zacha-

(a) Joſeps *Ant.* L. XX. c. 8. (b) *Ant.* L. XVIII. c. 3.

chariam à judicibus ſuis abſolutum, à fœdifragis Conſeſſui iratis occiſum eſſe, ſive in ipſo Conclavi; ſive, ut probabile ſit, Conclavi exeuntem in ipſum *Gentium*, quod dicebatur, *Atrium*, & *Cadaver* ipſius in Vallem ſubjectam (ſc. lateri Auſtrali *Atrii Gentium*,) à Judæis projectum fuiſſe: patet, utique, cædem non eſſe perpetratam inter *Porticum* & *Altare*. Sed eſt hic verus character occidionis Zachariæ. Concionabundus ille ſtabat in gradibus Propylæi, Populo *altior*, ut in hiſtoria dicitur; unde juſſu Regis & Procerum detractus atrium Sacerdotum, quod medium fuit inter Porticum & Aram holocauſti, ſanguine ſuo polluit.

§. V. Hæres in eo, quod Dominus illuſtrem hunc martyrem appellet *Filium Barachiæ*, non *Jehoiadæ*: ſed eſt ſolubile dubium. Poterat eſſe librarii ἁμάρτημα μνημονικόν, qui non recordatus hiſtoriæ Zachariæ Jojadæ filii, ſed prompta memoria tenens Zachariam Barachiæ filium: alterum nomen alteri ſuppoſuit. Sic cenſet non nemo inter Doctos. (a) Certe Hieronymus profitetur, *in Euangelio, quo utuntur Nazareni, pro filio* BARACHIÆ, *filium* JOJADÆ *reperiri*. Commodior illorum eſt ſententia, qui *Zachariam Jojadæ* quoque *Jeberechiæ* filium dictum fuiſſe, adſtruere nituntur ex Jeſ. VIII: 2. ad quam pariter propendere opinor Joannem Saubertum, *variarum Lectionum Evangelii ſecundum Matthæum* auctorem eruditum ac diligentem, qui alias huic hypotheſi firmandæ operam ſe daturum pollicetur. (b) Non ajo eſſe abſurdam hypotheſin; quæ ſi forte vera non ſit, forte fuerit vero proxima. Poterat enim Zacharias *Jojadæ* dici filius *Barachiæ*

B propter

(a) Knachtbull ad Matth. XXVII: 9, 10. (b) Ad. h. l.

propter *ἰσοδυναμίαν* ſive affinitatem ſignificationis utriusque nominis. ברכיה valet *à Jehova Benedictus.* ידעיה *à Jehova cognitus*, *electus & dilectus*, *procuratus.* Vox enim ידע *cognoſcere* hic *πραγματικῶς* ſumitur, certe uſu Scripturæ. (a) Quando involvit, τὸ *benedicere.* Quid? quod ex Eruditorum Virorum non improbabili ſententia idem hic *Jojada* dicatur יוחנן JOCHANAN, *jehova impertivit gratiam*, ſive *gratioſus fuit*, in recenſione Lineæ pontificalis, quæ extat 1 *Paral.* VI: 9. *Heb. diſt.* cap. V: 35. Nomen eſt ejusdem generis & ſignificationis, licet enunciationis diverſæ. Certe nullus in hoc laterculo comparet *Jojada*; quem tamen *Pontificatum* geſſiſſe, credere par eſt (b) *Nam binomines ſubinde fuiſſe, etiam & tria interdum ſortitos eſſe nomina Ebræos, qui in ſacris Literis memorantur, Doctis Viris eſt receptiſſimum.* Exemplis ſuperſedeo, licet in promptu ſint. Ego enim id proprie hic non ago. Alterum dubium, quod juxta interpretationem noſtram Dominus Martyrum ultimum videatur facere Zachariam Jojadæ filium, quem tamen plures alii inſequuti ſunt, rectiſſime expeditur, ſi dicamus, *terminum*, qui hic innuitur voce ἕως USQUE, non eſſe *definitivum temporis* ultimi, ſive *extremum temporarium*, ſed eſſe *comparativum rei* ipſius reſpectu magnitudinis & atrocitatis exempli, tam illuſtris, ut omnia ſimilia, licet antecedentis & ſequuturi temporis, illo involvi queant: perinde ac Jeremias: (c) *Et à Propheta*, ועד ATQUE USQUE *Sacerdotem omnes doloſe agunt*, ſtudentes turpi lucro. Quid Principes, Judices, Reges ipſi, Sacerdotibus dignitate majores? Propheta tamen *Sacerdotes* facit terminum comparationis, quod

(a) Pſ. CXLIV: 3. Jer. I: 5. 1 Cor. VIII: 3. (b) Seldenus *Succeſſ. in Pontificatum* Lib. I. cap. V. (c) C. VI: 13.

quod cum Sacerdotes à Deo eſſent inſtituti, ut tanquam Doctores publici aliis exempla eſſent, ac præterea à Deo liberaliter procurati, ut nulla re neceſſaria indigerent: ipſi tamen illi hanc infamiam non vererentur ſubire. Apoſtolus de Judæis: (a) *Qui etiam Dominum Jeſum, & proprios Prophetas occiderunt.* Eſt utique ὕϛερον πρότερον. Interemerant illi *proprios Prophetas* ante *Dominum Jeſum;* & tamen occiſio Domini Jeſu priore ponitur loco ob exempli atrocitatem. Fuit in cæde Jojadæ quid ſingulare, quod in martyribus ſubſequentis temporis non obſervatur. Ipſe Pontificis illuſtris, inſigniter de populo & domo Davidica meriti, filius, (& forte, quod in *Juchaſin* (b) traditur ipſe כהן גדול *Pontifex*, licet res dubia & incerta ſit, & ſucceſſioni Lineæ Pontificalis apud Joſephum & Traditionarios, ſed ipſi quoque fidei dubiæ, apud Seldenum, (c) adverſa:) à Spiritu Divino affectus, dum in ipſo verſatus officio concionem propheticam habet de gradibus Propylæi ante faciem Dei inter Veſtibulum & altare ex mandato Regis, conſentientibus proceribus & populo (utique majore eorum parte,) publice lapidibus obrutus cecidit; vindicta Deo commiſſa. Id enorme, & citra exemplum. Quæ enim hujus generis alia nobis occurrunt, Regum imperio & iræ imputantur, absque ſimilibus circumſtantiis. Hæc mihi probabilior videtur reſponſio ad motam difficultatem. Affine eſt, quod alii huc adferunt, vocem ἕως *usque* hic accipiendam *incluſive*, non de *termino* extremo, ſed de *termino primo illuſtri*, qui ſe ad ſequuturos eventus ſimul extendat, eosque involvat. Nec poteſt negari, eſſe hanc notationem vocis

(a) 1 Theſſ. VII: 15. (b) Fol. XII: 1. (c) *Succeſſ. in Pontif.* Lib. I. cap. V.

עד apud Hebræos, ἕως in Scriptis N. T., cujus proſtant exempla (a).

De *Tempore* Editi hujus Vaticinii.

§. I. Cum Hiſtoria & Prophetia doceant, Zachariam vixiſſe & munere functum eſſe poſt Reditum Judæorum ex Exilio Babylonico; & Propheta ipſe, perinde ac hiſtoria, adſcripſerit, Nomen Regis DARII, ſub quo à Spiritu ad vaticinandum ſit inductus, videri poſſet hic minor de tempore relinqui dubitandi ac diſputandi locus. Et eſt tamen de eo inter doctos homines concertatio acerrima; cujus definitio non nihil momenti adfert ad ipſam interpretationem. Nimirum cum inter Reges Perſiæ, (ſepoſito DARIO MEDO, (b) qui in hunc cenſum venire nequit,) tres omnino fuerint hoc nomine inſignes, *Darius* HYSTASPIS, Succeſſor Tanyaxaris Magi Smerdem Cambyſis fratrem mentiti; *Darius* NOTHUS, Artaxerxis Longimani Filius; & *Darius*, ab Alexandro victus & tanto imperio excuſſus, CODOMANNUS, cujus plerique, (non tamen Uſſerius,) mentionem extare putant apud Nehemiam: (c) curioſe disquiritur, quis qualisque hic fuerit Darius, *primus* an *ſecundus*? Codomannum enim inſulſum eſſet huic dubio miſcere. Hos terminos veri eſſe omnes, quos videram, ſtatuunt, extra Philippum Melanchtonem, qui hic, quo caſu vel fato, cogitavit de Artaxerxe Longimano; quod tanto majore admiratione vidi, quanto magis colo Viri memoriam, & altius ſentio de ejus eruditione ac judicii ſimplicitate, ſoliditateque. En verba ejus, quæ mihi adducenda ſunt, ut fidem præſtent: *Uterque*, (Haggæus & Zacharias,) *autem nominat* DARIUM,

(a) 1 Sam XXX: 19. Matth. I: 25. (b) Dan. VI: 1. IX: 1. (c) Neh. XII: 22.

RIUM, *qui, ut ex Ezra colligi poteſt, eſt Artaxerxes Longimanus. Sed cum Cyrus abeſſet impeditus bello Scythico, vel interfectus eſſet, impedita eſt ædificatio annis quadraginta duobus, tempore Cambyſis &* DARII HYSTASPIDIS. *Deinde anno ſecundo Darii rurſus conceſſa eſt ædificatio, & exædificatum eſt Templum anno ſexto Longimani.* Subjicit dein nomina Regum juxta Methaſthenem, ut ſcribit, ubi primus comparet *Cyrus*, cui dantur 22 anni: ſecundus, *Darius Hyſtaspis* Aſſuerus, maritus Heſter cum charactere 20 annorum: tertius *Artaxerxes Longimanus*, cum tempore annorum 37. & ita in cæteris, omiſſis Cambyſe, & Xerxe, cum tamen Vir Doctus ipſe *Cambyſis* cum *Dario Hyſtaspide* paulo ante exerte meminiſſet. Numeris pariter nulla fides. Pugnant enim cum omni hiſtoria. Non potuit tanta ſocordia, & imperitia cadere in Virum Hiſtoriæ doctiſſimum; nec auſim hæc, quæ publice dictata dicuntur in Schola Wittembergenſi; (a) auditorum excerpentium incuriæ tribuere, cum antecedentia & conſequentia plane conſona ſint ſtylo & phraſi Melanchthonis, mihi notiſſimæ. Erat itaque quod vere exiſtimarem, Virum, cæteroquin vere eruditum, cum forte otii penuria laborans inſpiceret Megaſthenem Annii Viterbienſis, (qui ipſum quoque Megaſthenem, errore jam à Doctis notato, Metaſthenem vocat, ſive Methaſtenem ſuum ſuppoſititium ut Perſam à Megaſthene ut Græco diſtinctum voluit,) ipſum ſubitaria opera deſcripſiſſe: nec etiamnum mihi dubium eſt, fontem parachronismi, ex ſpuriis Annii manaſſe: licet in Annianis ex Megaſthene excerptis, (a) quæ mihi nunc obverſantur, Cyro ſucceſſor detur *filius Darii priſcus*, (pu-

 tem

(a) Oper. p. II. p. 531, 532. (b) Beroſi Chald. & ſimilium excerpta de Tempor. p. 370. Lugd. 1554.

tem *priſci.* Intelligit *Darium Medum*, quem cum Cyro regnaſſe ſcripſerat:) *Artaxerxes Aſſuerus*; cujus *duo filii*, *Cyrus Artabanes* & *Longimanus*, *per VII menſes* de Imperio decertaverint Et tamen aliud huc acceſſit, quod colligere potui ex Chronico Carionis, quod Philippus noſter & gener ejus Peucerus recenſuerunt. Patet inde, fuiſſe Eum in eadem ſententia, in qua Uſſerius; Darium Hyſtaſpidis eundem fuiſſe hominem Aſſuerum, qui Eſtheræ maritus datur in hiſtoria: qui cum primis annis, prævalentibus Hamanis conſiliis, male affectus fuerit in Judæos: non videbatur ab ipſo expectandum eſſe Edictum de inſtaurando ædificio Templi. Quare in ipſo quoque hoc Chronico huic hypotheſi Viri Docti adhærent, & pluribus etiam aliis adſcribunt. Sic ibidem legere eſt: (a) *Artaxerxes Longimanus renovavit Edictum Cyri, & juſſit perfici ædificationem Hieroſolymæ & Templi; ac anno ſexto Regni Artaxerxis Longimani Templi ædificatio abſoluta eſt. Cum igitur apud Haggæum & Zachariam nominatur Darius*, PLERIQUE *hunc Artaxerxem Longimanum intelligunt, qui & anno ſeptimo Regni ſui miſit Esdram.* Mira certe confuſio. Hiſtoria enim Ezræ utrumque Regem liquidiſſime ſuis nominibus appellat, & diſtinguit. Quod ad cætera, quæ ad Perſica & Græca & eorum tempora attinet, accuratius digeruntur. Sic ſcripſeram innocuus, mihi plane non perſuadens, tot alios, non temnendæ auctoritatis Viros, Darium Hyſtaspis cum Artaxerxe Longimano commutaſſe, & ex duobus unum feciſſe: veluti Lutherum, Hunnium, Pareum, Dietericum, quos recenſitos poſtea obſervavi à Jungmanno: (b) ſed qui omnes ex eodem biberunt fonte.

§. II.

(a) Pag. 89. (b) Jungm. in Dan. l. I. ſect. III. c. 25. p. 830.

§. II. Jam monui, verum hic duobus terminis finiri Joſephus cum primis Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus Hyſtaſpidis hic rationem habent; excepto Sulpicio Severo. Sed Scaliger, emendaturus tempora, in ipſo hoc præclaro opere ſuo, (a) perinde ac in *Animadverſionibus* ſuis ad *Chronicon* Euſebianum, (b) pugnat acriter pro dario Notho, tanto ſupercilio, & diſſentientium contemptu, acſi eos non refellere tantum, ſed & explodere, ſibi propoſuiſſet. Equidem diſputat ex quibusdam rationibus ſatis ſpecioſe, & tanto fidentius iis quidem in literis, quarum cenſebatur princeps; atque adeo mirandum non eſt, illum præter Calviſium, plures pertraxiſſe in partes, inter quos que fuit noſter Coccejus. Et tamen facere non potuit, quo minus peritiſſimi hujus ſtudii Viri, Petavius, (ſed cui id ſolenne;) Uſſerius, Abramus, Marshamus, & deinceps potior pars eorum, qui Chronologiam attigerunt, ab ipſo diſceſſerint, & redierint ad Veteres. Extat Johannis Vorſtii, Studioſiſſimi Viri, diſſertatio (c) de hoc argumento, qua controverſiam hanc ſic tractavit, ut pertractaſſe videatur. Certe majoribus etiam ambagibus eam eſt exequutus, quam opus fuiſſet.

§. III. Non nego, Virum Doctiſſimum in hoc quæſito diſcutiendo diligenter & utiliter eſſe verſatum, & otium feciſſe aliis, quorum è re erat eundem laborem ſubire. Et ſunt tamen, quæ in hac ejus diatriba minus probo. Primo quidem illud, quod in ea nullam mentionem fecerit Petavii, (non putem falli:) cui tamen prima hic laus debebatur; certe in urgendo inſigni argumento pro adverſa ſententia, deſumpto ex Zach. I. 12. quem ipſe ſolida ratione primus dexterrime expedivit,

(a) *Emend. Temp.* Proleg. p. 42. (b) *Animadverſ.* p. 98. (c) *De Tempore inſtaurati Templi Hieroſ*, &c.

divit, & Scaligeranæ ſententiæ oppoſuit, diſputans pro Hyſtaſpida, & quidem in opere Chronologico. (a) Non eſt candidi animi & moris, ſi, quod probabile, Petavium vel Abramum viderit. Alterum eſt, quod Vir doctus ipſum illud argumentum pro adverſa ſententia productum ex loco noſtri Prophetæ, modò deſignato; quod, liquidò propoſitum, magni ponderis & certæ demonſtrationis eſt, qualiſcunque doctrinæ oſtentandæ cauſſa, (ut mihi quidem videtur,) ex falſis hypotheſibus præter ullam neceſſitatem urgere inſtituerit. Verba Angeli interceſſoris pro Populo dei apud Prophetam hæc leguntur, mox in initio libri: (b) *Jehova Exercituum Domine, Quamdiu tu non miſereberis Hieroſolymæ & Urbium Judæ, quibus indignatus fuiſti* זה שבעים שנה HISCE SEPTUAGINTA ANNIS. Rurſus in ſequente prophetiæ contextu, verbis Dei ad Populum, qui Deum per delegatos conſuluerat de neceſſitate continuandorum jejuniorum ſolennium illius temporis: (c) *Quando jenunaſtis & luxiſtis, menſe quinto & Septimo,* זה שנה שבעים *& quidem* HISCE SEPTUAGINTA ANNIS. Ex hiſce verbis collectio adverſus Scaligerum hoc ſimpliciſſimo modo nectitur, quod ex hypotheſi ipſius non poſſit explicari, quales hi ſint LXX anni definite expreſſi, qui expirarint ſecundo anno alicujus Darii: ſed quod iidem ex hypotheſi Petavii absque opere commodiſſime demonſtrentur. Cum *tempus* ὡρισμένον *definitum* habeant terminum ἀφ' οὗ *à quo*, ἐφ' ὃ *ad quem*: conſtat utrinque, *terminum ad quem* eſſe *ſecundum annum alicujus Darii.* Pone, eſſe *Darium Nothum.* nihil proficiet. A primo enim anno Cyri Monarchæ usque ad ſecundum annum

(a) De *Doctr. Temp.* Lib XII. Cap. XXIV, XXV. Confer. *Rationar*, Part. II Lib III. Cap. X. (b) Cap. I: 12. (c) Cap. VII: 5.

nium Darii Secundi ſiniiſſe conſtat CXIV annos. Quod tempus ſi reſpexiſſet Angelus, nulla erat ratio, quare partem ejus decerpſiſſet, eamquè notaſſet charactere divinæ *iræ* ſive *indignationis*; & non recenſuiſſet integrum. Hiſtoria enim nulla docet, illud poſt initia Cyri fuiſſe inæquale. Ne nunc dicam, notam *iræ divinæ* graviorem videri, quam ut tempori illi, ex hypotheſi, tribui commode queat. Quod vero Vir ſummus hic reponit, populum extremis Darii Hyſtaspis magis preſſum fuiſſe atque laboraſſe, quam ante illud tempus, atque adeo *terminum à quo* horum LXX annorum Zachariæ facere *viceſimum nonum* aut *trigeſimum* Darii Hyſtaspis: arbitrarie aſſumptum fictumque eſt citra ullam Hiſtoriæ fidem. Sed converte te ad Darium Hyſtaspis, utique docet clara lux hiſtoriæ, ab Excidio Templi & Hieroſolymæ per Nebucadnezarum usque ad ſecundum Darii Hyſtaspis ἀποτόμως lapſos eſſe annos LXX. Eſt enim pulcherrimum Petavii aliorumque obſervatum, Periodum LXX annorum, decretorum punitioni Judææ gentis (a) ad perfectum implementum prophetiæ bis repræſentatum eſſe. A quarto Jehojachimi usque ad initia Babylonica Cyri, quando dimiſſi ſunt Judæi ex Exilio, effluxerunt anni LXX. Rurſus totidem anni effluxerunt ab Excidio Templi & Urbis, quod accidit *octodecim* poſt annis, usque ad ſecundum Darii Hy-

(a) Petavius de *Doctrina Temp.* Lib. XII c. XXV. *A primo anno Nebuchodonoſoris* (quem Scriptura copulat cum *quarto Jehojachimi*:) *ad XXII exeuntem Cyri, quo captivitas eſt ſoluta: anni ſunt LXX. Adde Cyri VIII Cambyſis, & Magi, VIII. Darii II. ſiunt LXXXVIII. Deductis annis XVIII. reſtant LXX. ab excidio Urbis usque ad annum II. Darii, quo vaticinatus eſt Zacharias.* Subjicit, *Hæc eſt certiſſima loci hujus interpretatio; ſecundum quam duplex intervallum ſeptuagenarium in Scriptura exprimitur: alterum a Jeremia definitum: alterum à Zacharia commemoratum,*

ſtaſpis: interſunt enim medii inter initia Cyri Babylonica & Darii ſecundum, anni octodecim. Quæ liquidiſſima ſunt, paucis expedita (a)

§. IV. Vide nunc quid Voſſius agat: idem inculcaturus argumentum, quod certam habet demonſtrationem in Hiſtoria & Chronologia, id vere dubium facit & incertum, dum idem ex falſis principiis urgere inſtituit. Obſervat, Euſebium Cæſarienſem perinde ac Clementem Alexandrinum, quem ipſe Euſebius allegat, jam notaſſe in *Chronicis*, inter Excidium Templi & alterum annum Darii Hyſtaſpis interceſſiſſe LXX. annos, atque illuc referre hoſce ipſos LXX annos Zachariæ, eodem hoc loco allegato. Signaſſe enim excidium Hieroſolymorum *ſecundo* Olympiadis XCVII, ſive Iphiti CLXXXVI. *ſive ſedulo diſpectu, ſive caſu, quod exiſtimat Scaliger, eo delatus fuerit Euſebius, perinde eſſe.* Sufficere hic poſſe, Scaligerum *non improbaſſe* hoc παράπηγμα Euſebii. Porro, Cyri initia omnium antiquorum Chronologorum conſenſu cadere in annum primum Olympiadis LV. h. e. Anno Iphiti CCXVII. Intereſſe itaque inter Excidium Templi & initia Cyri XXXI annos. Cyro competere XXIX annos, qui primum ſint ſequuti. Cambyſi & Mago, VIII. Dario II. qui exacte præſtent LXX. annos. Quod idem illuſtrat ex comparatis

(a) Nicolaus Abramus, *Pharo* Lib XI. cap. XI. §. 91. *Hinc liquet, anno Cyri circiter vigeſimo captam eſſe Babylonem: Darium, quem Xenophon Cyaxarem appellat, annum aut alterum annum ibi regnaſſe, ut Cyrus ejus ſucceſſor poſt Darium Medum ſolus & totius Aſiæ Monarcha annos præter propter octo regnaverit. His adde Cambyſis & Magorum ſolidos octo ex Herodoto; & annos Darii duos, (quorum ſecundo viceſima & quarta undecimi menſis, nondum repetitam fuiſſe Templi ſubſtructionem querebatur Zacharias, & jam ſeptuageſimum deſolationis annum eſſe dicebat) hos, inquam, numeros in unam ſummam contrahe: habebis annos octodecim inter initia Cyri & Templum Darii juſſu inſtauratum evolutos.*

tis iisdem terminis ex Æra Nabonaſſarea. Belle omnia, ut videtur, & blanda ſpecie; quæ tamen hic maxime fallit. Id ſane recte evicit Vir doctus, ſecundum hypotheſin Chronologiæ Euſebianæ, fluxiſſe LXX annos inter Excidium Templi & *ſecundum* Annum Darii: largior quoque, rem ipſam ita ſe habere: ſed quid illud? cum Chronologia Euſebiana ex falſis ducta ſit principiis. Utique Euſebius decurtat hic tempora Chaldaica (Nebucadnezari, cui certa hiſtoriæ fide debentur anni XLV, tantum dans XXXVI.) & Cyro in hoc computu dat integros XXX annos regni Perſici (ſecundum communem, fateor, Traditionem, quæ initia ejus Perſica repetit ab Olymp. LV. licet ne ipſam quidem hanc vulgatiſſimam hiſtoriam extra dubitationem locem :) cui plures hic non debentur quam octo vel *novem*, quot ei dat Canon Ptolemæi, incluſo *uno* anno Darii Medi ſive Cyaxaris, altero regiminis anno, ut videtur, defuncti. Eſt itaque Chronologia ex vitioſis principiis conſtituta, & quidem fundamentis leviſſimis. Certe cum Euſebius, initia Cyri duo, Perſicum & Babylonicum, quorum illud per XXI. ſive XXII annos hoc præcedit, (quod ex Canone Aſtronomico Ptolemæi, favente clariſſima hiſtoria ſcripturæ Sacræ & Xenophonte, hoc tempore magno uſui Chronologiae & Hyſtoriae, recte percipimus:) in *Chronicis* non diſcreverit, fieri non poterat, ut hæc tempora accurate digereret. Quod cum Vir eruditus non ignoraret, ipſe hypotheſi de duplici initio Cyri tenaciſſimus, ut liquet ex alia Diſſertatione, quam de epocha LXX annorum Exilii Babylonici ſcripſit: mirum videatur, illum à ſe impetraſſe, ut Euſebium ex falſis principiis vera ſcribentem hic laudaverit. Atqui eundem errorem ante Euſebium erraverat Clemens Alexan-

drinus, (a) quem ipſe hic adduxit; licet Clemens principium LXX annorum petat à deportatione *Jebojachimi*, *ſeptimo* Nebucadnezaris *anno*; non ſane à deſolatione Templi & urbis. (b) Quin ante Clementem Theophilus, ſive is epiſcopus Antiochenus fuerit, ſive quis alius: (c) Τῷ οὖν δευτέρῳ ἔτει Δαρείου πληροῦνται τὰ ό ἔτη, τὰ προειρημένα ἀπὸ τοῦ Ἱερεμίου. *Altero autem Darii anno implentur ſeptuaginta anni a Jeremia prædicti.* Perperam utique. Anni à Jeremia prædicti terminum habent in primo Cyri, ut Hiſtoria exerte, (d) Atqui hic idem Theophilus Cyri initia Perſica; (Babylonica enim, quæ hic Chronologiæ cardinem faciunt, omiſit) fixit in quinquageſimo anno poſt Templi deſtructionem; ejusque *ſecundo*, (non *primo anno*, ut hiſtoria,) ipſum Judæis copiam feciſſe ait redeundi in patriam juxta prophetiam Jeremiæ; & eidem Cyro in rationibus temporum adſcribit XXXVIII annos quæ confuſiſſima ſunt. (e) Vir Doctus, noviſſimus Clementis Editor, ipſe in luto hæſit. Sententiam Clementis & Euſebii de termino LXX annorum finitorum Darii *ſecundo* improbans, ex eo argumentum petit, quod auctores hujus ſententiæ neceſſe habeant decurtare tempora Chaldaica, ſiquidem ſecundum hunc computum à deſolatione Hieroſolymæ tantum cucurriſſent anni XXX usque ad Cyrum. *At conſtat*, ait, *Nabuchodonoſorum regnaſſe poſt deſolationem, ut traditur, 2 Reg. XXV. annos XXVIII. poſt eum quatuor imperarunt, Evilmerodaos, Nigliſſarus, Laborſadochus, & Nabonidus, ut Joſephus, Hieronymus, & Euſebius tradunt, XVII. anni. ita erunt XLIII. anni à deſolatione Hieruſalem usque ad primum Cyri.* Laudatur Pererius in Danie-

(a) §. XX. &c. (b) *Strom.* I. Edit Oxon. p. 365. (c) *Ad Autolyc.* lib. III. Ed. par. p. 136. (d) Ezræ. cap. I: 1, 2. (e) Cl. Potterus.

nielem. Id quidem recte, quod quicunque hæc ſcripſerit, recte obſervaverit, non poſſe hanc Veterum chronologiam ſecundum veras temporum rationes conſiſtere: ſed ipſe interim, quatuor Regibus Babyloniis, à ſe recenſitis, Nebucadnezarem ſequutis, annos tantum concedendo XVII, & Cyro integros tribuendo XXX annos, à craſſo errore, qui non debebat cadere in lucem hiſtoriæ noſtrorum temporum, liber non eſt. Pererii autem auctoritas, qui in Daniele interpretando infeliciter verſatus eſt, apud nos eſt nullius pretii.

§. V. Dixi, totam ἀπόδειξιν hujus argumenti pendere à duplici initio temporis Cyri, quod ita ſe habet. Fuiſſe autem inter Veteres aliquos, qui id viderint, ſive ad id proxime acceſſerint, ex ipſo patet Euſebio. Recenſens ille diverſas ſententias de principio & fine LXX. annorum Exilii; primam ſententiam ſic effert, in *Canone Chronico*: (a) Συνάγεται δὲ πᾶς χρόνος τῆς αἰχμαλωσίας τῶν ο᾽ ἐτῶν τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους ἀριθμούμενος κατὰ μέν τινας, ἀπὸ τρίτου ἔτους τῆς βασιλείας Ἐλιακεὶμ, τοῦ καὶ Ἰωακεὶμ, ἐπὶ τὸ ἔνατον καὶ δέκατον ἔτος Κύρου τοῦ Περσῶν βασιλέως· *Colligitur vero totum tempus Captivitatis ſeptuaginta annorum Judaæ gentis, ſi putetur ſecundum aliquos quidem, à tertio anno Regis Eliakimi, qui & Joachim dictus, usque ad nonum decimum Cyri, Regis Perſarum decurrit*, &c. Hieronymi Latina: (b) *Colligitur omne tempus captivitatis Judæorum anni LXX: qui ſecundum quosdam à tertio anno Eliakim, usque ad* VICESIMUM ANNUM *Regis perſarum, computantur.* Sic idem Hieronymus in ipſo Chronico. (c) Inde jam non dubito emendandam eſſe lectionem Euſebii ipſius in *Chronico*, (d) ubi idem tractans argumentum;

(a) p 162. (b) Hieron. p. 128 in *Canone Chronico*. (c) p. 29. (d) p. 48.

rum; poſtquam dixiſſet, eſſe, qui hoc tempus putent à XIII. anno Joſiæ, in quem incidunt initia Jeremiæ, uſque ad *primum* CYRI, ſubjicit: Κατὰ δὲ δεύτερον τρόπον ὁ αὐτὸς ἑβδομηκονταετὴς χρόνος συνάγεται ἀπὸ τοῦ τετάρτου δ' ἔτους Ἰωακεὶμ ἀφ' οὗ καὶ ὁ Θεὸς διὰ τοῦ προφήτου ἐνεκάλει τῷ λαῷ τῶν Ἰουδαίων περὶ τῆς ἀπειθείας, ἐπὶ τὸ α' ἔτος τοῦ αὐτοῦ Κύρου κ. τ. λ. *Secundum alterum vero modum* (ſupputandi ſc, LXX, annos deportationis) *tempus hoc LXX. annorum, putatur à præſente IV anno Jojakimi, quo Deus criminationem inſtituit per prophetam adverſus inobedientiam populi Judæ,* (&, quod addendum, LXX annorum Exilium iis ſolenniter denunciat. reſpicit Jer. XXV. 1. ſqq. in quo loco hæc ſententia vere fundata eſt:) *usque ad primum Cyri.* ſic vertendum erat ſecundum hanc lectionem. Quomodo vero ſic ſcripſerit Euſebius? An idem annus Joſiæ XIII terminum habebit in primo Cyri; & ſimul annus quartus Jehojakimi in eodem primo Cyri terminabitur? Ergo pro α lege κ', & verte, *Viceſimum annum Cyri* quod alteri loco conſonum, & ab Hieronimo expreſſum. Atqui id ipſum veræ ac noſtræ ſententiae congruit. Auctores, qui in hac fuerunt ſententia, agnoverunt duplex Cyri initium, quod cognoſcere poterant ex annis Regum Chaldæorum & ex Xenophonte. Babylonicum autem Cyri imperium putarunt *novem* vel *decem* annis, Hieronymus tamen, motus auctoritate Clementis, (qui non inepte ex annis Hophræ ſive Apriæ Regis Ægypti rationem petit,) & hujus loci Zachariæ, utrobique huic ſe inhærere ait ſententiæ, quæ hos LXX annos putat ab XI. Tſedekiæ, ſive ab Excidio Templi, eosque expleri ponit Darii ſecundo. Licet eam ipſe ſecundam veras temporum rationes non potuerit ſalvam præſtare.

§. VI.

§. VI. Similis plane generis ἁμάρτημα, hic commiſſum eſt à Ligtfooto, qui utramque nobis largitus hypotheſin; ſcilicet LXX annos à quarto Jehoiakimi ſecundum Jeremiam decurſuros compleri in primo Cyri; eosdemque à Deſolatione Templi rurſus finiri in ſecundo Darii: poſteriorem hanc periodum tam infeliciter exequutus eſt, ut ſi ex mera imperitie, (cujus tamen aliquid in hoc ſtudii genere ipſi adhæſiſſe putem,) paradoxa ſua aliis obtruſiſſet; in tanta claritate hiſtoriæ ferri non poſſet, quantumvis de alio ſtudii genere, de literis noſtris, & de publico, optime meritus. Sed amor fingendi novas hypotheſes, non alienus ab ingenio gentis ſuæ, (laudabilis profecto, ſi ingenii & judicii partes adæquentur) ſæpius fecit, ut ad paradoxa, eaque minime probabilia, deflexerit. Hic quid tentaverit vide in *Chronicis temporum & ordine textuum V. T.* (a) *Darium* illum, cujus mentio eſt in libro Danielis, (b) recte quidem tanquam Cyri in devincenda Babylone ſocium, ſupponit; ſed ejusdem annum *primum*, Cyri quoque facit *primum*, quo de libertate Judæorum promulgatum fuerit Edictum. Cyro vero Monarchæ Babylonio adſcribit ſolummodo *annos tres*, ſive tum fato functus fuerit Cyrus; ſive, cauſſa bellorum, quibus diſtrictus fuit, filium ſuum Artaxerxem proregem conſtituerit. Hinc *Artaxerxi*, quem eundem *Aſſuerum* dictum eſſe vult, quemque adeo appellat *Artaxerxem Aſſuerum*, tribuit annos *quatuordecim*, argumento ducto ex hoc ipſo loco Zachariæ, quem tractamus, eumque pertendit fuiſſe *Aſſuerum* illum famoſum Libri Eſtheræ. Silet interim nomen Cambyſis. Huic jam Artaxerxi Aſſuero ſucceſſiſſe docet *Darium*, quem ille *Artaxerxem Darium*, (Darium Hiſtaspis, ſc.) appellat, confun-

(a) Op. Part. I. p. 122. (b) Cap. IX: 1.

fundens Artaxerxen, qui à Dario hoc ab Ezra diſtinguitur, cum ipſo illo Artaxerxe, & inculcans, ſub hoc Dario Artaxerxe tum ædificatum eſſe Templum; tum quoque Ezram cum comitatu ſuo remigraſſe in Palæſtinam. Diſtant hæc quodammodo à Metaſthene Annii, & ſumpta tamen ex eo eſt pars materiæ, ſiquidem is, ut ex ſuperioribus vidimus, in medium produxit Cyri ſucceſſorem *Artaxerxen Aſſuerum.* (a) Fœdiora ſunt multo apud eundem Annium ſpuria Philonis, qui tamen idem quoque nobis obtrudit *Artaxerxen Aſſuerum*, quem facit Eſtheræ maritum, quem Aſſueri priſci Filio Dario Longimano ſucceſſiſſe tradit. Hei mihi! quis media luce tantas ferat tenebras. Si hiſtoria *præcipuis ſuis partibus* obſcura eſſet, aut principia Chronologiæ non ſatis certo demonſtrata; res aliter ſe haberet. Nunc abſurdum ſit diſputando dubium facere, quod dubium non eſt. Qui Scaligeri aut Petavii majora Opera hic ad manus non habet: abunde contentus fuerit *parte poſteriore* Rationarii Petaviani, utiliſſimi Operis.

§. VII. Alterum argumentum, quo Vir Doctus adverſus Scaligeri hypotheſin pugnat, poſt intermedia multa, nec tamen otioſe, diſputata, tandem producitur, (§. XXIX) ex minime probabili partitione temporum, quam Scaligerana ſententia de inſtaurato Templi ædificio ſupponit. Cujus argumenti tria membra ſunt. Primo ex hac hypotheſi ſtatuendum eſt, Judæos poſt reditum ex exilio, qui incidit in primum Cyri fere per CXX annos Templo caruiſſe: tot enim effluxerunt ad Templum exædificatum abſolutumque Darii Nothi ſexto. (b) ad repetitam ædifica-

(a) In *Opuſc.* Annii p. 405, 406. (b) Ezræ, VI: 15.

cationem, Anno Darii ſecundo finiente, lapſi fuerint Anni CXIV. Demonſtratio hic neminem deſtituit; ſi tempora ſecundum Canonem Hiſtorico-Aſtronomicum, (favente hiſtoria exotica,) ſupputentur. Cyro Monarchæ dat annos IX. dempto uno pro Dario Medo, habes VIII. Cambyſi cum Magis VIII. Dario primo, ſive Hyſtaspis, XXXVI. Xerxi XXI. Artaxerxi primo ſive Longimano, XLI. Dario ſecundo, cui in univerſum. competunt XIX. ad initia exædificationis II, ad abſolutum opus, VI. Alterum ſuppoſitum huic ſimile, & cognatum, ſi hic ratio habeatur Darii ſecundi, enormem plane & præterordinariam longævitatem adſcribendam eſſe principibus & ducibus populi, Zerubabeli & Joſuæ, qui primo Cyri Populum reduxiſſe dicuntur in Cananæam, (b) quique iidem ſuperſtites fuerunt Templo inſtaurando vel inſtaurato, ut ex Zacharia noſtro perinde ac ex Haggæo liquet. Fac enim, illos, cum duces ſe præberent reducibus ex Exilio, attigiſſe ætatem XXV annorum; (quod poſtulatum modeſteſſimum eſt, cum graviſſimi muneris ratio, & reſpectus Joſuæ, Jotſedeki Filii, plures annos requirere videantur:) attigerint jam illi ſecundo Darii Nothi ævum CXL annorum; & plurium quoque. Suppoſitum tertium: ſecundum hanc hypotheſin Scaligeranam tempora Pontificum, qui præfuerunt ſacris ſub Imperio Perſico, inæqualiter & præter rationem diſpertiri. Sunt illi in univerſum ſex, ut liquet ex Hiſtoria Nehemiæ. (c) *Joſua*, *Jojakim*, *Eliaſib*, *Jojada*, *Jonathan*, *Jaddua*. Pone jam, ſi vis, Joſuam, primum horum, ſuperfuisſe usque ad CXIV. annum quid temporis cæteris diſpenſaveris? Monarchia Perſica ſtetit ducentos annos, & quod

D

(a) Ezræ, VI: 15. (b) Ezræ, cap. II: 2. III: 2. (c) Neh. XII: 9.

quod excurrit. Tempora à Dario Notho ex *Canone* ſic colliguntur. *Darii Nothi XIX. Artaxerxis* ſecundi, ſive *Memoris*, anni XLVI. *Ochi XXI. Arogi II. Darii tertii*, *IV.* ſc. ad prœlium Iſſicum, quo Darius & Alexander prælio decretorio inter ſe decertarunt. Sunt anni, demptis ſex Darii Nothi, LXXXVI. Si quis error ſubſit temporibus, ſingulis annis poſteriorum Imperatorum: toti ſummæ nullus ſubeſt. Tantum enim temporis lapſum eſſe à Cyri initiis usque ad quintum Alexandri, certam habet demonſtrationem in Hiſtoria & Chronologia. Cede nunc, ſi libet, ſoli Joſuæ, annos CXIV. cæterorum Pontificum tempora quomodo expedies? Augetur difficultas, ſi conſideres chronologiam Nehemiæ. Venit ille in Canaanæam anno vigeſimo alicujus Regis Artaxerxis, (a) quo Pontificatum geſſit *Eliaſib*, (b) qui in Recenſione Pontificali eſt *tertius*; & patet ex eodem Libro, (c) ſucceſſiſſe illi Jojadam, cum Nehemias anno XXXII. ejusdem Artaxerxis in Patriam reverſus fuerit. Partire jam, ſi lubet, Pontificum horum tempora, & compara ea cum Regibus Perſarum. Si dixeris, Artaxerxen hunc, cujus viceſimo Nehemias in Canaanæam venit, eſſe Longimanum: omnia erunt facilia, & temporibus ſua conſtabit proportio, centum annis per tres priores Pontifices diſtributis: (à Cyri enim initiis usque ad XX Artaxerxis primi ſunt anni XCIII.) Sed ſi cum Scaligero ſecundum ipſius hypotheſin Artaxerxen hunc facias Mnemonem; ſequentium trium tempora contra omnem proportionis æquabilis rationem & veri ſpeciem usque eo arctabis, ut omnem dimenſionis æquabilitatem plane deſtruas & ſubver-

(a) Neh. III: 1. (b) Neh. III: 1. (c) Neh. XIII: 28.

vertas. Cum enim prioribus tribus conceſſeris annos CLXI. reliquis tribus vix quartam hujus intervalli relinquas.

§. VIII. At vero has Scaligeranæ ſententiæ conſecutiones, quam eſt difficile animo perſuadere? Quam parum probabile, Deum voluiſſe permittere, ut ædificatio Templi, & Urbis Hieroſolymæ inſtauratio, tanti temporis intervallo disjungeretur, cum Jeſaïas ipſam Reipublicæ inſtaurationem fere ab initiis Cyri arceſſat, liberali promiſſo, cujus implendi honor ad Cyrum refertur, in Libro prophetiarum ejus, cap. XLIV: 28. quem locum Vir Eruditus huc vere adducit? Quam difficulter fidem inveniat, pontificum ſex ſpatia ſecundum Imperii Perſici durationem tam inæqualiter diſpertita fuiſſe contra Leges συμμετρίας, quas in ſucceſſione filiorum ac nepotum paſſim obſervari, videmus? Quis denique Longævitatem Principum Populi Zerubabelis & Joſuæ, tanquam ex compacto vitam protrahentium usque ad ætatem CXL., aut plurium annorum, conciliet cum communi ſorte vivendi, quam Deus generi hominum adulta hac mundi ætate diſpenſat? Si hiſtoria uni alicui homini præter ordinem vitam adeo longam attribueret: ferri id poſſet in exemplo ſingulari, quale gr. eſt Jehojadæ Pontificis, qui vitam produxit usque ad ætatem CXXX. annorum, (a) (ſed quod exemplum in hiſtoria hoc ipſo nomine ut inſigne notatur:) verum duos homines, utrumque principem populi Dei, eadem ætate viventes, ὁμοχρόνους & ὁμήλικας, hanc ſingularem vivendi ſortem nactos eſſe absque ulla hiſtoriæ nota, apud credulum quoque difficulter obtinet fidem. Utique ſi hiſtoria ſecundum diverſam hypotheſin explicari queat: pronum ſe ſentiet ad eam amplectendam.

 §. IX.

(a) 2 Chron. XXIV: 15.

§. IX. Vir illuſtris & illius Sectatores hic duo excipiunt, primo extare in hiſtoria exempla *μακροβίων Longævorum*, ex quibus longum ævum Ducum populi Dei, quod hic ſupponitur, ut non improbabile, defendi queat. Deinde, ex adverſa hypotheſi, quæ Darium Hyſtaspis & Artaxerxen Longimanum hic reſpicit, idem naſci dubium, reſpectu Nehemiæ, qui videri poſſit ſuperfuiſſe usque ad tempora Alexandri Macedonis, quippe hiſtoriam ſuam perſecutus ad Jadduam, qui Pontifex huic Regi obviam proceſſiſſe fertur à Joſepho. De Sanneballat idem judicium ſit; adverſario Nehemiæ, & tamen rebus Alexandri mixto. Utrumque Vorſtius docte expedivit. Quod ad poſterius attinet: ſi omnino ſecundum noſtram hypolepſin aliquanto major longævitas adſcribenda eſſet Nehemiæ, quam pro communi lege fati: cenſeri id debebat in uno homine tolerabile, quod in duobus una viventibus & forte in ſimili vitæ genere verſatis, probabile non videatur. Sunt exempla *longævorum*, præter communem naturæ Legem vitam producentium; ſed ſunt eadem rara, atque adeo ſingularia fere; de quorum numero poſſet fuiſſe Nehemias. Verum ſi jam concedatur, Nehemiam pertigiſſe ad tempora Jadduæ Pontificis: non utique conſequitur, eundem attigiſſe tempus Alexandri: videtur enim ex ipſa Joſephi hiſtoria, (cui tamen ipſi nemo prudens certam fidem adſtringat, utpote qui in Perſicis ſæpe gravius erraverit, & vera fabuloſis permiſcuerit:) liquere, Jadduam jam tunc fuiſſe ſenem, & non longo poſt vivere deſiiſſe; ut inde Vir Doctus conjecerit; videri credibile, illum jam ab ultimis Artaxerxis Mnemonis, vel ab initiis Ochi, Pontificatum adminiſtraſſe,

quan-

quando Nehemias non multum fuiſſet ſupergreſſus ætatem centum annorum: quam qui illi dederit, nihil ſuppoſuerit abſurdum. Sed vere non opus fuerit illuc venire. Certa nobis ſtat ſententia, alibi (a) jam & ab aliis (b) quoque propoſita, aut laudata, Tabulam illam Succeſſionis Pontificalis, quæ extat Libro Nehemiæ, cap. XII. à vs. 1. usque ad vs. 27. *excluſive*, non eſſe à manu Nehemiæ; ſed fragmentum eſſe huic Libro ab alia manu ad complementum hiſtoriæ inſertum; quippe quo (vs. 26.) clariſſima mentio eſt *Nehemiæ* Satrapæ, tertia perſona nomine ſuo appellati, qui cæteroquin de ſe per hunc Librum loqui ſolet *perſona prima*. Inſpectio fragmenti fidem faciet, quippe cum narratione antecedente & conſequente non cohærentis. Uſſerius Armachanus Darium, cujus ibidem mentio fit, refert ad Nothum: ſed cujus ſententiæ ſubſidio hic minime indigemus. Sanneballatum autem, cujus Joſephus meminit in Hiſtoria Alexandri, (c) ab eo, qui Nehemiæ adverſatus fuiſſe dicitur, diverſum fuiſſe, & ut probabile, nepotem cognominem, pro more populis omnibus recepto filios aut nepotes à majoribus appellandi. Plane colligas ex ipſa Nehemiæ Hiſtoria, (d) Cuthæos nondum perveniſſe ad illum opum & virium incrementum, quod Alexandro oſtentaverunt.

§. X. Quod vero in univerſum ad τοὺς μακροβίους attinet, qui hic à Doctis Viris in ſcenam producuntur ex hiſtoria vera vel falſa; à quibus modeſti judicii hominibus impetrabunt aſſenſum? Hiſtoriæ enim non ſunt explicandæ ex raris & inſolentibus exemplis: ſed ex communi

(a) *Obſerv.* S Lib VI. c. VII. §. 15. (b) Cl Clerico ad Neh. XII: 10. (c) *Antiq.* Lib. XI. c. VII. (d) Neh. II: 10. ſeq.

ni vivendi lege & ordine. Si res ſecus ſe habeat: in ipſa hiſtoria adſcribitur, ne fallat incautos. Moſes, Poëta à Moſe antiquo diverſus, in eximia Ode (a) de *Reſurrectione hominum ex morte*, (quod grave dogma conſpicuam partem faciebat ſapientiæ priſcæ apud Sanctos circa tempora Davidis & Salomonis;) commune fatum mortalium circumſcribit *ſeptuaginta* aut *octoginta annis*; & experientia clamat, rem ita ſe habere, & vero pauciores etiam hanc ætatem attingere, poſtquam genus hominum ab originibus ſuis, ſenſim decreſcentibus hominum ætatibus, pro ſapientiſſima Lege Divinæ providentiæ, devolutum eſt ad quandam Συςασιν, quam Latini, ſi liceret, *Conſiſtentiam* dicerent, progreſſui ſtatus humani generis convenientem. Qui itaque ſuprà ſunt, & ad ætatem nonaginta, & centum, annorum pertingunt, notabiles ſunt in hiſtoria; & qui hos etiam ſupergrediuntur, & ævum ad centum & decem ac viginti vel triginta annorum perducunt, (quod exemplum Jojadæ Zachariæ Patris ſingulare eſt, (b)) occurrunt rariſſimi: ut ſi perlegas hiſtoriam Populi Dei, videas, ſucceſſiones ætatum eadem fere æquabilitate & proportione ſe habuiſſe, & ſimiles fuiſſe variationes & fata, qualia inter nos obſervamus; ſi Jojadam jam appellatum exceperis, & ſanctiſſimam fœminam, Annam prophetiſſam, Phanuelis filiam, quæ, cum conjuge per *ſeptenos annos* vixiſſet, *vidua* tranſegerat LXXXIV, ſed quæ hac ipſa de cauſſa in hiſtoria (c) inſigniter demonſtratur. Ergo quis ad hypotheſin Hiſtoricam tuendam ferat, Doctos Viros refugere ad inſolentia Longævorum exempla ab illius ſæculi more plane aliena. Et vero Scaliger ipſe hic ſatis moderate inſtituit, Longævorum exempla, ex ipſa

(a) Pſ. XC: 10. (b) 2 Chron: XXIV: 15. (c) Luc. II: 36, 37.

ipſa quoque gente ſua nulla producens, niſi quæ intra modum aliquem conſiſtunt. (A) Sume tibi documentum ex mil-

(A) Jungmannus, Vir utique Doctiſſimus, qui omnia ſua operoſe exequitur, quicquid in ſcriniis ſuis reperit, de *Longævis* cujusque gentis & temporis, ſupellectile omni diſcuſſa, ad levandam hanc difficultatem in medium adfert; (in Dan. l. I. ſect. III. c. 25.) licet vel ſic non pauca à tergo reliquerit, quibus hi theſauri augeri poterant. Vere dixerim, me favere plurimum diligentiæ illorum, qui exempla Longævitatis hominum ex hiſtoria, falſi non ſuſpecta, eruunt: indigemus hujusmodi apparatu in vindicanda longiore vita Patriarcharum ante & poſtdiluvianorum; quam bona & certa fide recipimus; & lubens patior, illuc referri aliqua illorum exemplorum, quæ Plinius de hoc argumento commentans (*Hiſt.* N. Lib. VII. cap. XLVIII, XLIX.) plura produxit: non omnia, inquam, quippe omnibus fidem ipſe non adhibuit, vel certe fidem aliquorum luxavit. Luciani ſpecimina τῶν Μακροβίων, (qui oculos forte fefellit,) multa ſimilia habent in Hiſtoria omnium gentium, & noſtra quoque ætate his notabiliora. Lubens quoque audio, quæ ex auctoribus bonis & non ſubleſtæ fidei, (non ex Cteſia & illius ſimilibus,) de Perſarum, Indorum, Ichthiophagorum, Æthiopum, (adde, Thracum ex Ammiano Marcellino Lib. XXVII. §. IV. *Edit. Val.* & Arabum ex Elmacino (apud L' Empereurium in *Jachaid. in Dan.* & Waſmuthum in erudita *præfat.* Gram. Arabicæ.) proferuntur. Narrat Gaſſendus in *Vita Peireſcii.* (p. 197.) de ſene in Anglia, qui deceſſerit CLII annos natus; & παραδοξότερα ex Perſide adfert. Quanto minus ſpernere auſim, quod Herodotus de Arganthonio, Tarteſſi Rege, qui ætatem CXX annorum (alii Vett. plures illi tribuunt, ſed haud dubie præ-

mille ſimilibus. David Rex ſeptuageſimum primum agens annum ætatis è vivis exceſſit, ut ex locis hiſtoriæ ejus inter ſe collatis patet; & dicitur mortuus eſſe, *bona ſe-*

nectu-

præter fidem,) impleverit. (a) Ubi tamen ex Vetere hiſtoria lego apud Auctorem Libri de *Fluviis*, qui Plutarcho in operibus ejus adjudicatur, Gauranum Rhoxanis Satrapam ſic dictum, pietate erga deum excellentem *&* πάντων τῶν περσῶν τριακοσίοις ἔτεσι ζῆσαι καὶ ἄτερ νόσου τινὸς τελευτῆσαι *ex omnibus Perſis trecentos vixiſſe annos, & ſine morbo ullo vitam cum morte commutaſſe*, (*Geograph. Minores*, Vol. II. p. 48.) & in Recentiore tantundem ac plures Furmerium (in *Annalibus* Friſicis, p. 179.) noſtrum adſcribere Joanni de *Temporibus*, qui, cum vixerit ætate Caroli Magni, vivere demum deſierit A. CIƆCXXVIII. credulitatem meam non ſtatim ſubſtringo ejuſmodi traditionibus; ſed quæ traduntur, exigo ad hiſtoriæ Leges; quibus ſi ſatisfiat, non renuo fidem, certe ſuſpendo, ut in exemplis à Stephano Baluzio, Viro doctiſſimo, aliud agente productis, *animadv.* ad Lactantium de *Morte Perſec.* Cap. XLIV. Sum enim vere hac perſuaſione, corpora hominum in prima naturæ inſtitutione ſic à Deo pro ſumma ejus ſapientia & bonitate conſtructa eſſe, ut licet tenuibus vaſis & filamentis plurimis ſint contexta, quorum unum ruptum vel læſum toti ſtructuræ interitum minatur, citra ullum extraordinarium ſubſidium divinæ Providentiæ longæ vitæ capacia ſint, & durabilia in grande ævum; ut ſi accedat ſerenitas cœli, aëris puritas, calor climatis & ſoli, victus frugalis, exercitatio neceſſaria, & inprimis internarum partium laudabilis κρᾶσις & temperamentum, longa tranſcurrere queant vivendi ſpatia. Experientia clamat rem ita ſe habere, dum corpora multorum mortalium, in quæ per luxum, labores & incommoda, mutationes varias cœli & ſoli, & morbos violentos ma-

(a) Lib. I. c. 163.

nectute, Satur dierum, *opum*, & *gloriæ*. (a) Dionyſius Halicarnaſſenſis de Tarquinii Priſci exitu, (b) *βασιλεὺς δὲ Ταρκύνιος, ἀναπεπαυμένος ἤδη τῶν πολεμίων, διὰ γέρας. ἦν γὰρ ὀγδοηκονταέτης· Porro Tarquinius Rex propter ſenectutem à bellicis rebus feriatus:* ERAT ENIM OCTOGENARIUS: *per inſidias ab Anci Marci filiis oppreſſus interiit.* Hæc communis æſtimatio eſt ſenectutis, quæ apud omnes Populos obtinuit; ut ſi cui octuageſimum ſupergreſſo contingat vitam producere ad nonaginta, centum, aut plures annos; hiſtoria id abſcribat tanquam quid ſingulare ac præterordinarium; quare cum idem prudens Scriptor in ſequentibus diſputet de temporibus Tarquinii Superbi & Tanaquilis, uxoris Tarquinii Priſci, adverſus Fabium aliosque Hiſtoricos, qui ex Nepotibus Priſci Tarquinii, Tarquinio & Arunte, filios ejus faciunt, illos poſtulat *ἀτοπίας absurdi*, quod ex hypotheſibus eorum ſequeretur, Tarquinium ſuperbum exegiſſe ætatem *centum* & *decem*, ac Tanaquilem *centum* & *quindecim* annorum, ſubjungens: *τοῦτο δὲ μῆκος τοῦ βίου οὐ φέρουσιν οἱ καθ' ἡμᾶς τόποι· quam vitæ longitudinem hæ noſtræ regiones non ferunt.*

§. XI. Habeo quod addam, idque magni in rem momenti; quod non obſervavi ab aliis, qui de hoc argumento ſcripſerunt, attactum eſſe; quod tamen ſi ita ſit, mirum habeatur, cum vere obvium ſit & ante pedes.

E Hag-

manifeſta vis infertur, in longum ſæpe durare & difficulter frangi videmus ante oculos; adeo quidem ut rationes longioris vitæ hominum à prudentis judicii hominibus non difficulter explicari queant ex illis principiis, quæ Doctiſſimus Vir (de Ray, in Libro de *Sapientia Operis Creat.* p. 231, 232.) meditationibus ſuis ſubjecit.

(a) 2 Sam. V: 1-- 5. 1 Reg. II: 1------10. 1 Chro. XXIX: 28. (b) *Antiq. Rom.* Lib.III. p. 204.

Haggæus & Zacharias, ubi de Zerubabele & Joſua, tanquam ſuæ ætatis Principibus loquuntur, vel etiam ad eos verba faciunt, non compellant vel appellant eos tanquam ſenes grandævos & decrepitos, effætarum virium; ſed ad eos vel de iis loquuntur tanquam de hominibus, conſtitutis ἐν τῷ κρατίςῳ τῆς ἡλικίας, in *flore* ipſo & *vigore ætatis*, ad res fortiter gerendas idoneis, & beneficiorum Divinæ gratiæ in bonum tempus fruendorum capacibus: quod, niſi fallor, adverſam hypotheſin plane deſtruit. Si enim omnino ſupponantur adhuc vixiſſe tempore Darii Nothi; atque ordinis & legis naturæ aliquid in iis recognoſcas, ſtatueris utique, illos hac ætate CXL, aut, quod æquius eſt, CL annorum ſenio fuiſſe defectos, & ſpem hominum illius temporis de magnis rebus efficiendis in commodum publicum ſuſtinere non potuiſſe. Vide jam quid ad Zerubabelem & Joſuam Haggæus Propheta: (a) *Et nunc* חזק FORTIS ESTO, (præſta te virum: præſta te virum fortem:) *Zerubabel, ait Jehova, & fortis eſto Joſua, fili Jotzadaki, ſacerdos magne, & fortis eſto univerſe Popule terræ, & facite, quia Ego vobiſcum ſum*, & ſqq. Oratio ſpectat homines integris viribus inſtructos & ad id, quod agitur, ſuſcipiendum paratos. Id valet phraſis, uſu apud Hebræos, & alias gentes, recepta. David in extremis ad Salomonem: (b) *Ego abeo via omnis carnis: ſed tu* וחזקת FORTIS ESTO, *& præſta te virum.* Mihi, inquit, jam viribus defecto moriendum eſt; ſed tu, qui ipſa ἀκμῇ τῆς ἡλικίας *vigore ætatis* vales, eum in rebus gerendis præſta. *Promiſſorum* utrique ea, qua tunc erant, ætate, (ſecundo, inquam, anno Regis alicujus Darii) conditorum eadem ratio eſt. Apud Haggæum: *Loquere ad*

(a) Hagg. II: 5. (b) 1 Reg. II: 2.

ad Zerubabelem, Ducem Judæ, in hæc verba: (a) *Ego concutio cælum & terram, & ſubverto thronum Regnorum. Illo tempore, fatur Jehova Exercituum* Dominus: *Aſſumam te, Zerubabel, fili Schealthielis, ſervum meum, ait Jehova, & ponam te in ſignaculum, quia te elegi, inquit Jehova Exercituum* Dominus. Subeſſe prophetiae myſticum quid, quod ultra ætatem Zerubabelis excurrat, quis negat? Eſt tamen oratio ſic concepta, ut liquido ſupponat, præſentem Zerubabelis ætatem non abhorrere à pluribus annis ei adjiciendis. Ejusdem generis eſt quod apud Prophetam noſtrum legitur cap. IV: 7. *Quis tu es mons magne* (Imperium Perſicum;) *Coram Zerubabele evades æqua planicies.* Aliquid implementi debetur Zerubabeli in hac prophetia, facile demonſtrandum ex hiſtoria, ſed quod requirebat longiorem aliquam ætatem. Quod præceſſerat de Joſua, (b) ejusdem eſt tenoris. Exhibitus ille erat Prophetæ in Viſo tanquam *ſordidus*, *ſub reatu*, patens criminationibus Satanæ: ſed judicio gratiæ Angeli Mediatoris juſtificatus jubetur à ſordibus purgari, & nova ac ſplendida Veſte Pontificali ornari, cum promiſſis ipſi ſpondentibus hujus dignitatis in novo Templo longiorem uſum. Hæc facilia ſunt, & apta, ut opinor, omnem judicii obſtinationem vincere.

§. XII. Et tamen in hoc genere demonſtrationis accedit ei novum momentum ex πολυθρυλήτῳ loco alio Haggaei, in quo clare ſupponitur, eopſe illo tempore, quo exſtructio Templi ſub Dario fieri cœpit, ſuperfuiſſe inter Judæos; qui Veteris Templi Salomonei gloriam viderant, & qui de comparatione utriusque ſtructurae judicium ferre poterant. Verba Prophetae: (c) *Quis ſupereſt inter*

(a) Cap. II: 23, 24. (b) Zach. III: 1, 2. ſeq. (c) Cap. II: 4.

Vos, qui vidit hanc Domum in GLORIA SUA PRIORE, *& quomodo eam* NUNC? *An non illi comparata eſt ut nihil in oculis veſtris.* Adde LII annis, quot Templum jam deſolatum fuerat ad Initia Cyri, annos CXVI ab initiis Cyri usque ad alterum Darii Nothi: exurgent CLXVIII anni: qui praeterea augendi ſunt annis, qui competunt *ætati* illorum, quos Propheta prius Templum in *gloria* ſua vidiſſe ait, adhuc dum ſuperſtites. Ubi huc ventum eſt: friget diſputatio. Imputant ergo Docti Viri orationi Haggaei alienum ſenſum, quem nemo prudens ſibi obtrudi patietur. quem recitare & refellere, mihi tanti non eſt; & Vorſtius docte & diligenter, quae huc pertinent, expedivit.

§. XIII. Idem ſe gnaviter exercuit in expugando præcipuo ſententiæ Scaligeranæ præſidio, quod ſitum eſt in loco Libri Ezræ, cap. IV: 5. ubi de turbato opere ædificii Templi poſt jacta illius fundamenta in hæc verba ſcribitur: *Et conduxerunt* (pars adverſa,) *adverſus ipſos conſiliarios ad irritum faciendum conſilium ipſorum omnibus diebus* CYRI *Regis Perſiæ, & usque ad Regnum* DARII *Regis Perſiæ; & regnante* ASSUERO, *in initiis Regni ipſius ſcripſerunt literas accuſatorias adverſus incolas Judææ & Hieroſolymæ & in diebus* ARTACHSCHASTÆ *ſcripſerunt Biſchlam, Mithrodath, Tobel, & reliqui illius cœtus ad Artachſchaſtam Regem Perſiæ; & exemplar Epiſtolæ ſcriptum eſt Syriace, & quæ ad illud interpretandum faciunt, expoſita ſunt Syriace.* Intelligitur Diarium Hiſtoricum, ex quo non tantum literæ, ſed Epiſtolæ hujus hiſtoria excerpta eſt, quæ hiſtoria præmittitur; ſequitur Epiſtola ipſa. Utrumque Syriace ſive Chaldaice. Inſertum itaque hoc fragmentum Chaldaicum de Artachſaſta eſt ex Tabulis publicis huic hiſtoriæ. Arguunt οἱ ἐξ ἐναντίας, liquere ex hoc fragmento & ex ſequente hiſto-

hiſtoria, illum *Darium*, ſub quo extructum eſt Templum, medium fuiſſe inter duos *Artaxerxes* Perſiae Reges, qui character eſt Darii Nothi; medii nimirum inter Longimanum & Mnemonem, utrumque Artaxerxen. Audaciores etiam inferunt ex hoc loco, omnes fere hic Perſiae Reges usque ad Nothum recenſeri: quis itaque dubitet, eſſe Darium Nothum, ſub quo ſtructa fuerit Ædes ſancta? Sunt poſt Cyrum *Darius*, *Aſſuerus* ſive *Xerxes*, *Artaxerxes* videlicet *Longimanus*, & *Darius*, quem Judæi ſibi experti ſunt faventem. Sane ſpecies magna eſt: qua ſi quis forte ſe à vero abduci patiatur, huic erroris danda eſt venia. Nos ita perſuaſi ſumus, quæ ex certiſſimis Monumentis Propheticis produximus: nulla probabili ratione revinci poſſe; ſed quæ in hoc loco videri queant hærere difficilia, eſſe ſuperabilia, ſi dextre accipiantur. Quod ad poſteriorem hypotheſin attinet, quæ hic omnes fere Perſicos Reges videt usque ad Nothum, omnino fallit. Cambyſis mentio hic ſecundum illam ſententiam nulla eſt. Nulla quoque Darii Hyſtaſpis ſecundum illorum ſuppoſitum. Verba enim hiſtoriæ, *Et usque ad Darium, Regem Perſiæ*, (Cap. IV: 5.) omnino referenda ſunt ad Darium illum, ſub quo ædificium Templi conſummatum eſt; atque adeo ſecundum illuſtris Viri ſententiam ad Nothum: quod non tantum colligas ex phraſi, עד USQUE AD, quæ deſignat *terminum ad quod*; verum clariſſime patet ex Fragmento Chaldaico, cujus verba Hiſtoricus hic imitatus eſt, quippe quod ſermone Chaldæo in conſequente contextu hæc ipſa exhibet verba, Cap. IV: 24. *Tum ceſſavit opus Domus quæ Hieroſolymis eſt! & omnino ceſſavit usque ad annum ſecundum Regni Darii, Regis Perſiæ.* Et vero Scaliger ipſe in primis Rei Chronologiæ commentationibus in hunc

ſenſum ſumpſit; neque Jungmannus quoque cæteroquin in his partibus validus.

§. XIV. Ergo, fracto argumenti hujus non minimo robore: quæritur, an ſecundum hypotheſin antiquam, quæ pro Hyſtaſpide facit, demonſtrari nequeant ex hiſtoria, *Aſſuerus* aliquis & *Artachſaſta*? Atqui ſane ſi quis pertinaciter urgeat, poſſe dicendum eſt. Non hoc modo, quem imperitiores hiſtoriae in hunc locum intulerunt, ut *Aſſuerus* & *Artaxaſta* pro uno eodemque Imperatore binominis ſumatur, videlicet Cambyſe: ſed ut ſub *Aſſuero* intelligatur *Cambyſes*, & ſub Artachſaſta *Smerdes* ſive *Tanyoxares*, Magus, fratri Cambyſis ſuppoſitus, qui, perſonam mentitus, per VII menſes verum Imperatorem egit, & pro eo cultus eſt; & inter Perſarum Reges ſub nomine MARDI ab Æſchylo quoque exerte recenſetur. (a) cujus ſane memoria de Regibus Perſarum nos ſat clare monet, aliquanto plus geſtum eſſe in Perſicis mutationibus, quae poſt Cambyſis obitum acciderunt, quam legimus in Herodoto, dum duos adhuc alios Magorum potentium, qui cum Dario Hyſtaſpis in necem Smerdis conſpirarunt, inter ipſum & Darium interponit. Non reſpondent, ais, nomina? Id recte expedivit Vorſtius ex ipſius Scaligeri præceptis & animadverſionibus ad ſimilia exempla, docuitque, Perſas maxime Reges, ubi ad Imperium venerunt, nomina mutare ſolitos. Nec tamen in eo hærendum; ſed audacter ac vere reponendum eſt, Scriptoribus Hiſtoriæ Sacræ tutiſſimum viſum eſſe Reges aliarum gentium paſſim appellare nominibus communibus, & honorariis, quæ illi tanquam epitheta aſſumere conſueverant, in quibus erant præcipua *Xerxes* (Aſſuerus,) Ἀρήϊος *Martius*, bellicoſus, & *Artaxerxes*,

(a) In *Perſis*, vs. 776.

xes, aucto nomine ex ארח Perſica Lingua *fortis*, ut Docti Viri jam monuerunt. Ipſa Regum Perſarum nomina ſi inſpicias fidem faciunt. Si quid veri ſit in Cteſia: diſſenſio illius ab Herodoto & utriusque ab Æſchylo, in Nominibus eorundem hominum, ejusdemque temporis, idem confirmat. Ut proinde hæc interpretatio nemini improbabilis videri queat; atque ego quoque eam rejicere vel vitii ſupectam facere nolim.

§. XV. Et ſunt tamen plures jam anni, à quo locum diligenter revolvens, mihi perſuaſi, eſſe aliud quid, quod ad veram illius intelligentiam pertinet. Erat Hiſtorico, (forte non Ezræ quod ad *priora* ſex *capita*) propoſitum inſerere huic loco *Fragmentum* aliquod *Chaldaicum* Hiſtoriæ, ex Tabulis publicis deprompta, quo confirmatum daret, quod ipſe poſuerat; ceſſaſſe Templi ædificium à Cyro uſque ad *alterum* annum Darii. Fragmentum autem hoc vere pertinebat ad Cambyſen, Cyri filium, qui inter Cyrum & Darium interceſſerat: quod Fragmentum ſive ὑπόμνημα cum longius excurreret; viſum eſt Hiſtorico, dum in eo erat, ut molimina adverſariorum Judæorum ad ipſis nocendum commemoraret, ante Fragmenti hujus recenſionem ſimul enarrare Cuthæorum adverſus ipſos machinationes, ſub Xerxe ſive Aſſuero; (quem hic concedo Darii Filium & ſucceſſorem eſſe) quem ideo præponit Artachſaſtæ ſive Cambyſi, quia propoſitum habebat hiſtoriæ Artaxaſtæ protenus ſubnectere illud ipſum ὑπόμνημα Chaldæum, quod directe Artaxaſtam reſpiciebat; & quia de Xerxe agendi occaſio nulla deinceps occurreret. Eſt ὕϛερον πρότερον hiſtoricum, non inſolens Hiſtoricis ſacris & ſecularibus. Non dicitur autem in hac hiſtoriæ particula, Xerxen ſe oppoſuiſſe Templi ædi-

dificio promovendo; ſed Cuthæos in initiis Aſſueri Judæos apud illum Principem criminatos eſſe; nimirum, ut novi Regis affectum erga Judæos tentarent. Hiſtoria ipſa Aſſuerum immediate ſubjicit Dario: ſed, ut jam dixi, cum diſertius confirmare & narrare vellet, quod anticipaverat de impedito opere Templi ad Darium Hyſtaſpis, Artaxaſtæ ſive Cambyſis, facit mentionem, ut ex ipſa hac lacinia Hiſtorica doceret, qui factum ſit, ut ædificium Templi medio tempore inter Cyrum & Darium ceſſaverit: in qua hypotheſi, *alibi (a) jam propoſita*, & ſæpius meditata, nihil offendi, cujus me hoc tempore pœniteat. Hæc ſcopo ſufficere arbitror. Dixeris, digreſſionem eſſe otioſam, cum forte ad interpretationem ejus non multum referat, utra ſententia verior ſit. Sane ſi id ita habeat pertinet tamen ad interpretationis curioſitatem; & ipſius contextus partem facit; ut diſputatio hæc negligi non potuerit. Verum ego, ſi Deo placet, docebo ſuis locis, ex hypotheſi hac bene jacta lucem accipere non dubia loca hujus prophetiæ, quæ cladem Xerxis, à Græcis acceptam, reſpiciunt; de quibus in anteceſſum nihil volui præfari.

Hypotheſis, ſive *Argumentum* Prophetiæ.

§. I. Argumentum Libri hujus Prophetici accommodatum eſt ad *Statum Populi*, ad quem Conciones hæ, quarum major materiæ pars compoſita fuit ex Viſis, quæ Zachariæ obtigerunt, directæ fuerunt, & *circumſtantias temporis*, quo editæ & vulgatæ ſunt. *Temporis* quidem notitiam ex ſuperiore diſputatione petere licet. Ex ipſo autem Propheta noſtro, perinde atque ex συγχρόνῳ Haggæo, (b) de *Sta-*

(a) *Hypotyp.* Hiſtor. S. *Period.* VI. §. XLV. (b) Ezr. II: 64. ſqq.

Statu Populi, in cujus uſum hæ Conciones inſtitutæ fuerunt, edocemur: &ſi merito hic uberiorem hiſtoriam deſideraremus. Populus, ex Babylone redux, (poteſtate ampliſſima atque indulgentiſſima, ſibi à Cyro jam Monarcha Orientis, facta,) Ducibus, Zerubabele & Joſua, repetierat patrias ſedes, à pluribus non viſas, non ſpernendo numero liberorum capitum 42360, præter *proſelytos*, *ſervos*, & *ancillas*, ad numerum 7337. Ex *ſervorum* & *ancillarum* ſumma colligas fuiſſe inter eos plures tenuioris fortunæ homines, cum cæteroquin major eorum fuiſſet numerus ſecundum συμμετρίαν ſtatus civilis illius temporis; ſed ſi liberaliter Deo oblata à Principibus familiarum, jam in Canaanaeam reductorum, (præter munificas oblationes alias & vaſa ſacra ex Babylone reportata, de quo hiſtoria ſeorſum meminit (a):) conſideres: miraris utique, confeciſſe LXI millia *drachmarum aurearum*, & *minarum*, ſive *pondo argenti millia quinque*; (b) id eſt, ut Vir Doctiſſimus cenſet (c) 122000. *Ducatorum*, & 150000. *Joachimicorum; ſi ſiclos*, ait, *& minas Sanctuarii ad noſtram redigas monetam.* Auri major æſtimatio eſt, ut opinor, quam oportet.

§. II. Hic Populus, ut rebus novis lætus & alacer, & haud dubie fultus amplis promiſſis, quæ Deus redituris ex Carceribus Babylonicis Genti fecerat per Prophetas anteriores, ſuo tempore vere impletis, occuparat Urbes & agros ſibi commodos, & ſe primo quoque tempore applicuit ad Religionem & Rempublicam inſtaurandam. Prima cura fuit Religionis, ut par erat. Fundatum extructumque eſt altare, & ſacra in eo ſecundum Legem

fa-

(a) Ezr. I: 6, 7. ſqq. (b) Ezr. II: 69. (c) *Georg. Eric. Phaletranus, Diſſert. de Ablatione Sceptri* Judaici, Cap. X. in Gravianis (P. 437.) Diſſert. Syntagm.

facienda rite & ordine à Sacerdotibus & Levitis ordinata procurataque ſunt; & celebrata Feſta, ex Legis præſcripto obſervanda. Altero mox anno jacta ſunt Templi novi fundamenta, magno jam tum Populi reducis timore ob inſidias, quas vicinarum Gentium & Cuthaeorum maxime æmulatio illis tendebat, quippe recuſaverant reduces illos in communionem Sacrorum ſuorum & Eccleſiæ admittere, cum eandem profiterentur fidem, licet non puri natalibus. Unde primo remiſſiora Populi ſtudia in urgenda ædificatione Templi: deinde, cum, adverſarii iidem, Cyro expeditionibus, poſt expugnatam Babylonem & conſtitutam rempublicam Imperii ſui, abſente & diſtracto, ſecundum Xenophontem, conſiliarios Regni adminiſtros in partes ſuas pertraxiſſent; & criminationibus ſuis, ſuetisque aulæ artibus & nundinationibus ſub Cambyſe obtinuiſſent, ut Judæi coacti ſint ab opere jam cœpto ceſſare: occupavit eos languor, ſenſim mutatus in *ἀκηδίαν ſegnitiem* & *torporem*; &, deferveſcentibus primis ſtudiis, paſſim cum impetu conjunctis, tardiores, & in Sacra Religionis non ut par erat affectos, invaſit frigus; *non eſſe*, dicentes, *opportunum huic operi vacare*; faventiora tempora expectanda eſſe, qui itaque libenter captarunt occaſionem agros ſuos excolendi, domos in uſum ſuum extruendi easque exornandi, & rem ſuam privatam tunc ſtabiliendi, tum amplificandi; quo ſtatu eos Haggæus, (a) & Zacharias deprehenderunt. Acceſſit aliud altioris contemplationis. Erant in turba illa reducum ex Exilio hypocritæ, animo non ſatis à vitiis purgati, qui licet præ ſe ferrent Religionis ſtudio in Patriam remigraſſe, moribus ſuis & exemplo vitæ teſtatum faciebant,

(a) Hagg. I. 2. 4.

bant, eſſe aliud quod ſibi magis curæ & cordi ſit quam Sacra Religionis; quos proinde Prophetæ docent cenſeri *impuros* coram Deo; exhortantur ad ſeriam *converſionem*; (a) quorumque vitiis & trangreſſionibus imputant, tum quod Deus illos optata & expectata benedictione fruſtraretur; tum quod proximis annis ſenſilibus plagis judiciorum ſuorum, quibus fatorum & arborum proventus corrupti erant, in ipſos animadvertiſſet; quod jubent eos revocare ad animum.

§. III. Sed prævidebat Spiritus, eſſe quid gravius, quod ſequens dies doceret poſt Templum jam inſtauratum & ordinata Sacra; nimirum fore, ut turba illa, ſive Populus reducum magis magisque deflecteret à recta via; Sacra tepidiſſime tractaret, & Sacrorum miniſtros neceſſariis ſubſidiis fraudaret; natales ſuos hactenus puros, miſceret & pollueret connubiis vicinarum gentium, Sabbathum, ſanctiſſimum Religionis ſuæ inſtrumentum, profanaret; uxores ſuas, ex Lege adſcitas in matrimonium, viles haberet, iisque repudium mitteret, in gratiam alienigenarum, quas iis ſuperinduceret, & quæ horum ſimilia erant crimina. Imo vero, non temnendam partem horum fædifragorum & Religionis irreverentium facturos eſſe Sacerdotes & Levitas ipſos, quos Deus ut doctores & Interpretes ſuæ voluntatis, & Judices Populi, in inſtitutione Reipublicæ ordinaverat. Videbat ſimul & prævidebat Spiritus, ex quo fonte quibusque ex principiis hæc vitia promanarent; nimirum ex profanitate animi, & Religionis Patriæ contemptu; qui ſummus impietatis gradus erat; longe deteſtabilior idololatria; quod crimen in gente regnaverat ante tempora Exilii, etiamſi ne tum

 qui-

(a) Hag. II: 13, 14. Zach. III: 1. ſqq. Zach. I: 3. ſqq.

quidem impii ac profani deeſſent. Ex Populo plures, qui magnam ſpem de rerum ſuarum ſucceſſu poſt Reditum ex Exilio conceperant: poſtquam ſentirent atque per experientiam diſcerent, ſe Reverſos ex Exilio triſti vel tenui relinqui ſtatu, & veluti à Providentia Divina deſtitui; primo quidem à Perſis pro more illius Imperii habitos tanquam *ſervos*; (a) deinde medios inter Seleucidas & Lagidas, modò his modo illis obnoxios, & dum illi de Cœleſyria, cujus partem faciebat Palaeſtina, verbis & armis inter ſe contendebant, utrarumque prædæ & vexationibus expoſitos; hi ipſi homines, quum non prævidebant incommodorum malorumque ſuorum exitum; & præterordinaria ſigna nulla divinæ Providentiæ: inceperunt dubitare de Veritate Religionis Patriæ, & de certitudine promiſſorum Genti ſuæ prae Populis aliis factorum, dum utique ipſi inter probra & oppreſſiones Gentium aliorum divitiis, potentia, gloria, florentium, durabant, nec prævidebant ullam rerum ſuarum notabilem mutationem in melius. Corruptio hæc plane jam gliſcebat in Gente Reducum circa tempora Nehemiæ, & Malachiæ, ut ex illius hiſtoria & hujus Concionibus Propheticis, (quæ ex hypotheſi noſtra inciderunt in tempora Longimani,) absque dubitatione liquet: ſed procedente tempore poſt Alexandrum magis invaluit, donec circa tempus Antiochi Ephiphanis in apertam à Deo apoſtaſiam plurimorum Sacri Ordinis hominum, Religionis ſuæ irreverentium, & placita impuri Principis ſummo piorum ſcandalo ſanctiſſimis Dei Legibus anteponentium. Imo vero ſemina ejus jam jacta fuiſſe tempore Vatis noſtri, mox monebo; & ſane Moſes, de fatis Gentis vati-

(a) Neh. IX: 35-37.

ticinatus, tot ſeculis ante clare docuerat, *Atheiſmum* in fine temporum ſuccreturum eſſe *Idololatriæ*; &, ſi invaleſcat, certum allaturum eſſe exitium. (a) Et ſunt tamen hæc, quæ hiſtoria docet, cum temperamento aliquo accipienda. Nempe toto hoc tempore prædominante etiam impietate, Deus in Populo ſuo conſervaret Eccleſiam piorum & ſibi fidentium hominum, Religionem Patrum profitentium, & cultum ejus cum zelo obeuntium in fide, promiſſis gratiæ nixa. Hoc eſt illud *ſemen ſanctum*, *reliquiæ Iſraëlis*, quod patienter exſpectavit implementum Promiſſorum gratiæ, quorum præcipuum erat Regnum Meſſiæ, & Beneficia Gratiæ ſub hoc Regno donanda Eccleſiæ; quæ promiſſa vere impleri coeperunt cum temporibus Maccabaicis, quando Gens vindicata in Libertatem *multiplicata & benedicta eſt ſupra Patres*, & ſubitariis ac mirificis incrementis auctior facta aſſequuta eſt terminum Veteri oeconomiæ deſtinatum, ſuperiorum Prophetarum prædictis & promiſſis explicitum; quando, cum Eccleſia Populi Dei novam contraxiſſet labem, ipſe apparuit Filius Dei, verus Meſſias, *aream ſuam purgaturus*; electos ex Populo collecturus; Regnum fundaturus inter Gentes; & hypocritas, incredulos, carnales, profanos, (quales plerique erant Doctores & Proceres, Deo inviſi,) poſt ſpretam Evangelii Gratiam, & *Dominum Gloriæ cruci datum*, graviſſime puniturus, omnibus ut mortalibus exemplo eſſet: dum interea Regnum Filii Dei inter Gentes per varia fata tenderet ad complementum ſuum, in fine temporum poſt difficillimum luctum toti Orbi glorioſiſſime oſtentandum.

§. IV. Atqui hæc ipſa ſunt, quæ Libri hujus Propheti-

(a) Deut. XXIX: 18. ſqq.

tici *argumentum* & *objectum* faciunt. Nihil enim huc præter rem adduxi. Orditur Vates ab Elencho, hortatus Populum ad verum reſipiſcentiam; cui officio majores illorum defuerant. Inde explicat Populo egregiam Dei & propitiam erga eum Voluntatem, per electiſſima Viſa Reſponſi Dei benevoli ad interceſſionem Angeli Interceſſoris & ſub Deo rerum humanarum Inſpectoris; Fabrorum quatuor obtundentium cornua Populum Dei ferientia; Dimenſionis Hieroſolymæ; Juſtificati Joſuæ, cum ſubjecta παρακλήσει, ad illum directa, & Candelabri ex oleo, quod ex duabus Oleis, quarum duo robuſtiora brachia demittebantur in duo præla, & ibi expreſſum effluebat in Lecythum, & inde per tubulos excipiebatur à Lampadibus, perpetim copioſe inſtructi. Quibus Viſis mere conſolatoriis, quæ primis *quatuor Capitibus* occurrunt; adjungi poſſunt prophetiæ luculentæ de conſequente proſperitate Status Populi, & demonſtratione qualitatis temporum & Imperiorum Mundanorum, quorum Succeſſio peculiari Viſo declaratur, Capitibus *ſexto*, *ſeptimo*, *octavo;* dum interim *Capite quinto* per duo memorabilia Viſa, Voluminis ex Templi Veſtibulo prodeuntis, diras & exitiales complexi execrationes; & Mulieris, cui nomen *Impietas*, ſedentis in Epha, ſed in ea proſternendæ, ore ejus obturato, Vates ducitur in conſpectum graviſſimorum judiciorum, quæ Deus Improbis, Fœdifragis, Apoſtatis, hypocritis, jam hoc ævo ſuccreſcentibus & cum tempore magis magiſque invalituris, pro ſeveritate ſua infligeret. Inde Vates ſtylum laxat, & uberiore oratione vaticinatur de Fatis vicinarum Gentium, (a) earumque ad Deum converſione, poſtquam faſtus earum de-

(a) Cap. IX.

depreſſus eſſet, & humiliores facta Deum didiciſſent cognoſcere ac revereri; de Adventu Chriſti Jeſu veri Regis ſui Populi, & de proximo illius Signo, hoc eſt, de Maccabæis, Vindicibus Populi Dei & Heroibus Reformatoribus Eccleſiæ, quorum facinora magnifice deprædicat; agit denique (a) de Statu Eccleſiæ Populi Dei, novam contracturæ corruptelam, vitio maxime *Paſtorum* ſive *Rectorum ſuorum*, quibus Filius Dei, verus & ſummus Paſtor, ſubſtitueretur; dum ipſi, poſt expletum tempus divinæ Longanimitatis, ſibi & Reipublicæ extremum accerſerent exitium. (b) Huc ubi ventum eſt, nova aperitur ſcena nos perductura usque ad finem Libri. Propheta recenſet eventus Eccleſiæ Novæ, ſuſcepturæ Nomen Eccleſiæ antiquæ, poſt deſtructam Hieroſolymam Veterem; ejusque *tum* Beneficia, ut ſunt, Doctrina Gratiæ de vera cauſſa Remiſſionis Peccatorum, exitura Hieroſolymis, & diffundenda per Orbem, Deſtructio Idololatriæ; effuſio donorum Spiritus S. eamque comitatura converſio pœnitentialis, ſpectanda in implemento ſuo inchoato & tandem conſummando: *tum*, luctam cum Mundo, longam duraturam, quæ notabiles produceret effectus; ſive afflictionis Eccleſiæ, ſubinde graviſſimæ; ſive plagarum, hoſtibus intentandarum, qui noxam Eccleſiæ inferendam non ferrent impune: *tum* triumphum Regni Chriſti de hoſtibus, ejusque pacatum & glorioſum Statum, conjungendum cum perditione hoſtium & bonorum temporalium ac ſpiritualium affluentia & veræ Religionis cultu per totum Orbem, quæ vaticinationes, paſſim expreſſæ phraſibus allegoricis vel metaphoricis, deſumptis à temporibus Maccabaicis, continentur *tribus* ulti-

(a) Cap. IX. & X. (b) Cap. XI.

timis Libri *Capitibus*. (a) *Analyſis* ſingula planius demonſtrabit.

§. V. Patet ex his, quæ commemoravi, Viſa & Conciones hujus Libri partim eſſe Argumenti *Moralis*; partim *Prophetici*. *Moralis* rurſus vel *Elenctici* vel *Conſolatorii*. Sed *Conſolatorium* genus per Librum totum dominatur. Ipſæ quoque prædictiones, poſtremis *Capitibus* comprehenſæ, ſunt argumenti παρακλητικȣ͂, & eſt is, quem demonſtrat Apoſtolus, (b) verus ſcopus *prophetiarum*, imo vero *totius Scripturæ S.* Eccleſia in hoc Mundo pro Voluntate Dei variis premitur adverſis, ſed tandem lætum & glorioſum ſortituris exitum. Hæc vero omnia ſuſtinet & ſuperat ſpes, fulta conſolationibus, ex Sancta Scriptura & Verbo Prophetico promptis. Hoc pane vivitur. Hic verus ſcopus eſt Prophetiarum. Sæpius de eo alibi locutus, nihil addo.

De *Divina* Libri hujus *Auctoritate*.

§. I. *Auctoritatem* hujus Libri Divinam eorum qui ſunt in communione Eccleſiæ, quod ſciam, nemo unquam vocavit in dubium; ut vanum ſit hic operoſam texere diſputationem, qua probes quod nemo negat. Et eſt tamen hic mos ſæculi, Commentatoribus Biblicis, dum in ubere ſcribendi materia materiam quærunt, ſatis receptus.

§. II. Divinam Libri cujusque auctoritatem demonſtrat *Traditio* & *Materia*. Certa, conſtans, & canonica *traditio* Eccleſiæ Judææ, quam Deus olim Verbi ſui Depoſitariam fecerat, licet mere oralis, & nulla ſcripta auctoritate infragabili ſuffulta, præſtat fidem auctoritatis Libri Sa-

(a) Cap. XII, XIII, XIV. (b) Rom. XV: 4.

Sacri, in *Canonem* priſcum recepti: quippe quod unum traditionis genus non poteſt eſſe fallax, aut ſubjectum errori; de quo hic longius agere non lubet. Sed ſi eadem illa traditio fulciatur auctoritate alia aut teſtimonio ſcripto, eoque invicto & irrefragabili; incredulitati apud homines, Verbi Dei reverentes, nullum ſupereſt effugium. Sunt autem, præter teſtimonium Revelationis, in ipſo hoc Libro conſignata duo: primum quidem Hiſtoriæ ejusdem illius temporis, quo Zacharias vixit, & vaticinationes ſuas vulgavit, in quibus pro vero Propheta agnoſcitur & commendatur, veluti in Libro Ezræ. (a) Alterum, quod non tantum Apoſtoli Chriſti Jeſu illius auctoritatem agnoverint & commendarint; certis locis ex ipſo adductis; Matthæus, inquam, Marcus, Joannes, Paulus; (b) verum etiam ipſe Dominus Prophetiæ clariſſimæ, in hoc Libro de ſe perſciptæ, præſtare voluerit implementum; & præterea alia à ſe impleta vel implenda diſcipulis ſuis ex hoc Libro voluerit demonſtrare. (c) ut ſane, ſi à Jeſaïa diſcedas, Prophetarum nullus alius tam frequens in Libris Novæ Oeconomiæ appellatus ſit quam Zacharias, in confirmandis Eventis, de Salvatore noſtro prædictis. Quin præter hæc loca ſatis vulgata & in omnium incurrentia ſenſum, adverte ad phraſin *ἀνατολὴ ἐξ ὕψους Oriens ex alto*, Luc. I: 78. & compara cum voce צמח Zach. III: 8. *κατὰ τοὺς ό.* Dictum Domini de *Templo* à ſe *extruendo*, apud Joannem, Cap. II: 19. omnino reſpicit locum Prophetæ noſtri Cap. VI: 13. Parabolica ſive metaphorica digreſſio de ſe *Paſtore* cum reſpectu ad Eccleſiam ut

 ad

(a) Ezr cap. V: 1. VI: 14. (b) Matth. XXI: 4, 5. XXVII: 9. Joh. XII: 15. XIX: 37. Apoc. I: 7. Epheſ. IV: 25. (c) Matth. XXI: 1. 2. ſqq. Marc. XIV: 27. Matth. XXVI: 31.

ad *oves*, Cap. X: 1. ſqq. ſumpta eſt ex Zach. XI: 1. ſqq. Ubi Dominus de Eccleſia ſuper *Lapidem* ædificanda loquitur; Matth. XVI: 18. cogitare nos vult de loco hujus Libri Cap. III: 9. Pariter verba ejus in inſtitutione Cœnæ Sacræ, Matth. XXVI: 28. *Hic enim eſt ſanguis meus*, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, ILLE NOVI FOEDERIS, ſpectat manifeſte ad Zach. IX: 11. Ubi Apoſtolus frequens diſſerit de Spiritu ADOPTIONIS & GRATIÆ, Rom. VIII: 15. Gal. IV: 6. Heb. X: 29. non eſt dubium, quin in oculis habuerit SPIRITUM GRATIÆ & PRECUM, *ſcilicet* fiducia filiali fundendarum, de quo hoc Libro Cap. XII 10. Emblemata *Lampadum ſeptem coram throno Dei*, Apoc. IV: 5. & *duarum Olearum*, Cap. XI: 4. deſumptæ ſunt ex excellente figura *candelabri* hujus Libri, Cap. IV: 2. ſqq. Similem in modum, ubi Apoſtolus locis inſignibus, Rom. III: 30. Gal. III: 20. 1 Tim. II: 1. *unitatem* ſive *identitatem modi Juſtificationis* Judæorum & Gentium ſub Oeconomia Nova deſcribit: certum eſt, illum intentum eſſe Loco hujus Libri, Cap. XIV: 9. *Illo tempore erit Jehova* UNUS, *& nomen ejus erit unum*: quæ ſpecimina inpræſentiarum ſufficiant.

§. III. Quid vero? ſi horum nihil eſſet, quem non commoveat excellentia *materiæ* hujus Libri? Nihil ea Divinius; nihil legi poteſt praeſtantius aut ſublimius. Imagines omnes Prophetæ in Viſis objectæ ſunt electiſſimi generis, magnam partem ſpirituales, omnes ingenio Spiritus S. (ſi reverenter loqui liceat!) convenientiſſimae, altæ contemplationis & meditationis; quales fingere, non eſt mortalis ingenii; nedum animalis aut carnalis. Habent enim Imagines Propheticæ ſuos characteres, à nemine exprimibiles; quæ licet perceptæ ab ingenio mor-

mortali alienæ non videantur; tam ſcite pictæ fictæque ſunt, & ad naturam Rerum ſpiritualium accommodatae, ut ſupra ingenium mortale ſit, & nemini in mentem veniat homini, tales ſpecies conſtruere, quæ Divinitate ac luce ſua quemque afficiant. Tentent profani, athei, Dei & Verbi ejus irreverentes, & ingenium ſtrenue exerceant in ſimilibus producendis, earumque Divinitate aliis perſuadenda. Nullum hujusmodi productum hactenus editum eſt tolerabile; quæ enim producta ſunt, ut Sibyllina, ſpuria Ezræ, Liber Paſtoris, & ſi quæ alia hujus Generis, futilitatem ſuam omnibus prodiderunt: & eſt tamen probabile, ſi quid ejusmodi ſub facultatem ingenii carnalis caderet; plures, & maxime Verbi Dei irreverentes, tentaturos eſſe, vel hac ſola de cauſſa, ut Sacris illuderent. Accedunt περιςατικὰ, *circumſtantialia*, tum narrationis Viſorum; tum *accidentium*, iis mixtorum, quæ ſua decentia & ſimplicitate veritatem eorum confirmant.

§. IV. Plus eſt quod addo. Viſa omnia eſſe prophetica & ſpectare Eventa futuri temporis; in quibus aliqua tam inſignia & notabilia, ut cujusque provocent attentionem. Cape tibi exemplum ex Viſo *Succeſſionis magnorum Imperiorum Mundi*, Cap. VI: 1. ſqq. ea claritate expreſſo & expoſito, ut quod ad præcipuas partes ſuas dubitationem nullam admittat. Qui enim hic diſſentiunt, ob imperitiam hiſtoriæ vel diſſentiendi libidinem, (quæ ubique obtinet,) nullum nomen merentur. Imperium Alexandri Macedonis, & Regnorum eminentium cum proprietatibus ſuis characteriſticis σχέσει ad Populum Dei, ibi poſt Babylonicum & Perſicum ſuo loco & ordine comparent tanto ante tempore, quam res geſtæ ſunt: ne de aliis

Fatis luculentis quicquam moneam. Inſpectio & interpretatio prophetiarum ipſa fidem faciet, & ſuam adferet demonſtrationem. Pii omnes & veri amantes animum extollent ad deprædicandam ſummam Dei bonitatem, quod Eccleſiæ ſuæ hanc accenderit lampadem in tenebris mundi: impii, profani, hypocritæ, oculos ſuos à luce avertentes, acribus conſcientiæ morſibus convicti, & tandem confuſi pudore, probro erunt omni carni; & *hac parte inſanabiles in majus Dei odium, majoraque incurrant infortunia*, ut in ſimili caſu ſed non bona cauſſa egregius Hiſtoricus Romanus. (a) *Lux eſt parata juſtis; & lætitia puris corde.* Ps. xcvii: 11

De affectionibus *Revelationis Prophetiæ*; & *Orationis*, qua tradita eſt.

§. I. Gemina hic nobis conſideranda eſt *affectio*; tam *Revelationis* ipſius, quam *Orationis*, qua tradita expoſitaque eſt. Quod ad prius attinet: cum Revelatio Prophetica omnis Prophetis obtingat vel medio *imaginationis*, in *Somniis* aut *Viſis* ecſtaticis, vel *Vocis*, ad Vigilantium aures delatæ, ejusque varie affectæ: (de quo in præſenti non placet pluribus agere,) non eſt dubitandum, quin Revelationes Zachariæ factæ ad prius genus pertineant; hoc eſt, ad *imaginationem*. Maimonides judicat, (b) *Viſa* ſive *Parabolas*, quas ille vocat, ipſi per *quietem* obtigiſſe; & cum præter neceſſitatem *undecim* ſtatuat *Revelationum Divinarum* ſpecies, quarum *novem*, ſi qua earum alicui obtigerit, faciant verum *Prophetam*, ſic vere & proprie dictum: Zachariam refert ad *gradum primum*, ſive *infimum* poſterioris ordinis, eumque accenſet Viris Sanctis, qui revelationes ſuas per *ſomnium* acceperunt. Sunt non contemnen-

(a) Dionyſ. Halic. Lib. VIII. p. 527. (b) *More Nev.* Part. II. Cap. XLV.

-nendae rationes, quæ huic ſententiae videntur favere. Primo enim dicitur ipſe primum Viſum *vidiſſe de nocte*. Verba ejus: (a) ראיתי הלילה *Vidi* HAC NOCTE. Alio loco (b) ait Angelum ſe *excitaſſe*, כאיש אשר יעור משנתו *inſtar Viri qui excitatur in ſomno ſuo*. Deinde, cum Deus ipſe per ſe aut per Angelum cum homine loquutus eſſe dicitur: quod contigit Zachariæ; id præcipue referendum eſſe ad *Somnium*, ſecundum id quod Deus ipſe de hac ſpecie revelationis teſtatur apud Moſen. (c) *Si ſit inter vos Propheta: Ego Jehova per viſionem me ipſi notum faciam; per ſomnium* אדבר בו LOQUAR CUM EO. Sed poſterior haec ratio nihil ſolidi habet, fundata unice in luſu ingenii acuminis judaici. *Loqui* enim *cum aliquo* hic non contradiſtinguitur τῷ, *notum* alicui *facere*; ſed alterum per alterum explicatur. Quin ipſe Vir Doctus agnoſcit *Angelos* in *Viſione Prophetica* cum hominibus loquentes; ut ibidem videre eſt. Verior ſententia eſt, Zachariam, quæ vidit, *vidiſſe per ecſtaſin*; ſed eſſe hic exiguam differentiam. Cum enim ecſtaticarum Revelationum non unum genus ſit, ut mox dicam: Propheta in Viſis expertus eſt tam validos raptus, ſive, ut propriiſſime loquar, tam *forti* affectus fuit *imaginatione*, ut retractus ab omnibus ſenſilibus rebus, absque ſenſoriorum externorum uſu, ſeſe habuerit inſtar *dormientis*, *ſoporati*, & alto ſomno oppreſſi; &, ut ipſi ſibi, dum hoc erant ſtatu, tales viſi ſint: ut clariſſime liquet ex Daniele. (d) quæ itaque ſpecies Revelationis ecſtaticae rectiſſime dicitur *Somnus Propheticus*. Huc vero pertinet, quod modo proferebam ex Cap. IV: 1. ubi Vates ſe habuiſſe dicitur tanquam *dormientem*, *è ſomno excitatum* ad videndam novam imaginem ſibi oblatam. Utique hic non fuit

 ſom-

(a) Cap. I. 8. (b) Cap. IV: 1. (c) Num. XII: 6. (d) Dan X: 9, 10

ſomnus naturalis, è quo excitatus fuerit vates: manſit enim in ecſtaſi: ſed ſomnus fuit Propheticus ſive imaginarius, qui Prophetæ in ipſa ecſtaſi talis eſſe viſus ſit: ut proinde hic locus ipſe ſuadeat, hoc πάθος non fuiſſe Somni, ſed ecſtaſios. Quod vero dicatur Zacharias *vidiſſe de nocte* primum Viſum: (a) (quod deinceps in aliis non repetitur,) nihil vetat ipſum *de nocte* vigilantem raptum eſſe in ecſtaſin, quod id tempus ſilentii Spiritui S. viſum fuerit in hanc rem commodius. Differt phraſis, *Vidi hac nocte*, ab illa, *Vidi* בחלום per *ſomnium*, vel בחזון לילה *Viſione nocturna*, quae ſæpius occurrunt; etiam de Viſis Danielis. (b) Nec tamen ejus fuit generis Viſum Danielis quod modo attigi ex Cap. X: 9, 10. & dicitur Daniel omne Viſi genus expertus eſſe. (c) Verum, quod jam præmonui: non eſt hæc diſputatio magni momenti, nec mihi magnae curæ: nec eſt mihi ratio gravior ulla pro ea, in quam feror, ſententia, quam conformitas ſive cognatio horum Viſorum cum analogis Joannis Apocalyptæ, qui *Die Dominico raptus fuit in ecſtaſin*, (d) & Jeſaïæ, Jeremiæ, Ezhechielis, Amoſi; quos putem ecſtatica πάθη ſuſtinuiſſe, licet Maimonides ea quoque Viſa ad *ſomnia* referat. Sed negari nequit, Raptus ecſtaticos eo Viſorum genere, quod *ſomniis* conſtitit, habitos eſſe excellentiores.

§. II. Nec tamen Propheta omnes Revelationes per *Viſa* aut *imagines* Propheticas accepit; ſed poſterioris hujus Libri Revelata abſque figuris emblematicis, ut ex inſpecto Libro liquet, ſub hac formula, optimis Prophetis recepta, *Verbum Jehovæ ad ſe factum eſſe*, (e) vel, *Sententia Prophetica gravis ſuper Iſraëlem*, (f) quae ipſæ quoque for-

(a) Cap. I: 9. (b) Job. IV: 13. Jeſ. XXIX: 7. Dan. II: 19. VII: 7. (c) Cap. I: 17. (d) Apoc. I: 17. (e) Cap. VII: 4. VIII: 1. (f) Cap. XII: 1.

formulæ referendæ ſunt ad Revelationes ecſtaticas ejus generis, ut Vates ſive extra ſe raptus, ſive ſui compos, viſus ſit percipere & clare intelligere vocem has ſententias auribus ſuis infundentem; tam alte ipſi impreſſas, ut easdem ipſe imaginatione gravis, absque errore vel mutatione conſignaverit: qui character eſt hominum imaginatione captorum. Diſſerui de eo & explicui aliis locis, (a) ut poinde propoſitum non ſit hic latius excurrere.

§. III. *Oratio*, qua Liber conſcriptus eſt, eſt Hebræa, & quidem purae dictionis: niſi quod Menſium Chaldæorum nomina Hebræis ſint ſubſtituta, ad facilitandum popularem Libri uſum. Multis perſuaſum fuit Doctis Viris, abiitque ſententia in vulgus, Judæos in Exilio Babylonico dedidiciſſe Linguam Patriam, & ſibi adſciviſſe uſum dialecti Chaldææ, ſive Syriacæ, ante quam Cl. Jac. Altingius in culta diatriba (b) de hoc argumento contrarium docuerit; cujus argumenta feriunt ſcopum. Inter alia quoque rationem promit ex ultimis Prophetis, inter quos noſter Zacharias, qui Hebraica Dialecto cum Populo reduce egerunt. Syriacæ Dialecti cum Hebræa permixtio haud dubie referenda eſt ad tempora Syro-Macedonica, quæ in hanc Gentem magnam intulerunt perturbationem: nam Babylone, dum erant in Exilio, ſingulari cura divinæ providentiæ vixerunt in Coloniis, & agris, ipſi adſignatis, ſub Præfectis quoque inferioris ordinis ſuæ Gentis, & Sacra ſua libere coluerunt. Quandoquidem vero hic Liber argumenti eſt mixti vel Hiſtorico-Prophetici, vel mere Prophetici: in hac quidem parte ſtylus Prophetæ omnes recipit figuras, translationes, Parabo-

(a) Ad Jeſ. I: 1. XXXVIII: 4, 5. (b) *Diſſ. Phil. I. de Lingua Hebrææ Conſtantia*, §. XXII.

rabolas, quas dictio aliorum Prophetarum, ut v. gr. Jeremiæ, Michæ, quos exempli cauſſa allego. Scandit etiam *Capitibus* extremis ad genus ſublime & myſticum & graditur altis cothurnis, ut aliquibus partibus cum Jeſaïa conferri queat. Sed in parte Hiſtorica, ſive complectatur narrationem Viſorum, ſive eorum interpretationem: facilis eſt & intelligibilis orationis phraſis, conſtructio, & compoſitio; imo ipſa materia Prophetica, licet ad ſublime tendat, phraſi faciliore conſtructa eſt, quam paſſim Prophetarum priorum. Si attenderis ad Odas Sanctorum, quæ compoſitæ fuerint vel ipſius Exilii Babylonici tempore, vel poſt illud tempus: deprehendes, ſtylum & phraſin planam & facilem; ut exemplum habes in Canticis, LXXXIII. CVI. CXV. CXIX. aliisque; cum contra obſcurior ſit phraſiologia, ſive quod ad verba inſolentiora, ſive quod ad ſtructuram & καλασκευὴν orationis, in antiquioribus. Sume ex Pſalmis, XVI, XVII. XLIX. LII. LVII. LIX. CXL. & compara Hymnologiam Deboræ, Jud. V: 2. ſqq. & Ultima Davidis, 2 Sam. XXIII: 1, 2. ſqq. Quod ipſum quoque huc referri, & ὡς ἐν παρόδῳ obſervari velim.

§. IV. Abarbenel, tanquam magnum quid acturus, in initiis Commentationis hujus Libri, tanquam ſingulare quid obſervat, Prophetam noſtrum perinde ac Haggæum Revelationes, quas à Deo acceperunt, ſignaſſe *charactere temporis*, *anni*, *menſis*, *diei*, cum tamen alii Prophetæ id rariſſime egerint: *decem* autem *minores*, præter *hos* duos, nullum characterem temporis vaticiniis ſuis præſcripſerunt, niſi quod in univerſum in aliquorum titulo adſcribatur ἐν πλάτει tempus Regum, quo vaticinationes ſuas edide-

diderunt: Jeſaïam ipſum, tot concionum Propheticarum auctorem, hoſce temporum characteriſmos in ſuis prophetiis, ſive ſcripſerit ipſe, ſive aliis dictaverit, neglexiſſe. Jeremiam & Ezechielem in quibusdam adſcripſiſſe tempus; ſed plures intermedias omni nota temporis carere. Veniſſe ſibi in mentem, rationem ejus differentiæ forte inde petendam eſſe, quod Revelatio Prophetica fuerit copioſior ante Μετοικεσίαν Babylonicam, ſed poſt illud tempus rariores, & infrequentiores Revelationes; verum periiſſe ſibi illam cogitationem, poſtquam conſideraverit, Malachiam, Zachariæ & Haggæo ſupparem, temporis notam nullam Prophetiæ ſuæ præſcripſiſſe. Quin ipſos quoque Prophetas illos, qui tempora non prorſus negligunt, rarius eadem ſignare; & ipſos quoque Vates poſteriores, Haggæum & Zachariam, non ſemper eas temporibus ſuis ſignaſſe: Haggæi quidem Concionem primam notam temporis habere: alteram ea carere: reliquas rurſus tempore circumſcriptas eſſe. Quando de Zacharia noſtro: ובנביא הזה אשר אני בביאורו זכריה תמצא נבואות רבות בהגבלת זמן ונבאות אחרות מבלי זכרון זמן כלל *Quin in ipſo hoc Propheta Zacharia, quem nunc expoſitum eo*, DEPREHENDES MULTAS PROPHETIAS *ſignatas tempore: ſed alias absque ulla temporis memoria*, mirari ſe, Interpretes alios ad hanc differentiam non advertiſſe animum, & cupere hac de re ſolide edoceri, excepto obſervato Maimonidæ ad tempus ſignatum ab Ezechiele.

§. V. Eſt hæc fumoſa oratio, plena jactantiæ & quæſitæ laudis accurationis in re non valde magni momenti. Si Zacharias ubique ſuis Viſis vel Vaticiniis præſcripſiſſet tempus: quæſiti hujus movendi gravior fuiſſet

ratio: ſed extat tantum in hoc Libro trina temporum notatio: (a) quæ ſcilicet ſunt illæ נבואות רבות *multæ Prophetiæ*, ſuis ſignatæ temporibus, quas ille jactat. Differentia itaque hic tanta non eſt, cum apud Jeremiam (b) & Ezechielem (c) aliquibus locis ſignaturæ temporis adſcriptæ ſint, quas jam fere Abarbanel obſervavit. Quin ne apud Jeſaïam plane deſunt, cum utique bis exerte notetur annus acceptæ Revelationis; (d) & aliis Prophetiis, quibus Prophetia manifeſte alludat ad Hiſtoriam, tempus ex hiſtoria colligi queat ut in Prophetiis (e) de Achazo, & Aſſyrio. Quod autem characteriſmus in aliis non extet: hæc haud dubie vera ratio eſt, quod neceſſitas id nulla poſtularet illo tempore, quo conciones Propheticæ editæ ſunt: editæ autem ſunt, ut credibile eſt, & publice propoſitæ, quando inſpiratæ. Si enim pœnitentiales aut monitoriæ, præſens reſpicerent tempus: id omnibus notum erat, nec neceſſe habebat ſignari: ſi Prophetiæ meræ futuri temporis Eventus prænuntiarent; conſignatio temporis nullum certum uſum adferebat illius ætatis hominibus, quod hic probe conſiderandum eſt. Sed cum multæ circumſtantiæ rerum & temporum hominibus illius ævi cognitæ & perſpectæ, nobis hoc tempore lateant, ex nulla hiſtoria ſupplendæ: haud dubie nobis nonnullæ Prophetiæ intellectu eſſent faciliores, vel certe earum interpretatio, ſi tempora Raptuum Propheticorum ubique adſcripta eſſent. Quærenti tamen & diligentia debita uſo Verbi Divini Scrutatori hinc illinc lux aliqua

(a) Cap. I: 1. I: 7. VII: 1. (b) Jer. I: 2. XXV: 1. XXVIII: 1. ſqq. &c. (c) Ezech I: 1, 2. VIII: 1. XX: 1. XXIV: 1. XXIX: 1. XXXII: 1. 17. &c. (d) Cap. VI: 1. Cap. XIV: 1. (e) Cap. VII: VIII.

aliqua affulget, unde defectum hiſtoriæ ſuppleat. Quid? Hiſtoricis Libris utriusque inſtrumenti ſi adſcriptæ eſſent circumſtantiæ temporis & locorum, quibus editi ſunt, & Scriptorum etiam, qui in nonnullis deſiderantur: quot præveniri potuiſſent de iis diſputationes Doctorum Virorum, ex curioſitate ingenii humani natæ, quæ tamen probabiliter definitæ fidem de iis noſtram certiorem non faciunt? Quid de ipſa *Apocalypſi* Joannis dicemus, cujus tempus non niſi πλάτυσμα, & quidem circumſtantia *loci*, ex hiſtorica traditione cognita, definiri poteſt? Eorum, quæ à Spiritu proficiſcuntur, ea eſt ratio, ut Grammaticas & ſupervacaneas curas reſpuant. Spiritus S. non conſuluit noſtræ curioſitati; ſed neceſſitati. Erat autem ſummæ neceſſitatis tempus editarum Revelationum priorum accurate notari: quæ neceſſitas nulla fuit in Vaticiniis in lucem datis à minoribus novem prioribus. Generalis notitia temporum illorum, à Regibus ſumpta, ad intelligentiam earum ſufficiebat. Quod ſi vero hic *Compoſitiones* Scriptorum Exoticorum ſive Proſaicas ſive Metricas, quarum temporum indagatio Doctis tanto conſtitit labore, comparare vellem cum Sacris: quam facile eſſet evictu, accuratiſſimos quoque illorum non exiſtimaſſe, ad ſe pertinere, ut ea temporibus ſuis ſignarent.

De *Clavibus* ſive *principiis* interpretandi hujus Libri.

§. I. Quæ in ſuperioribus anticipavi de perſpicuitate & facilitate orationis Propheticæ: nolim in hanc trahi ſententiam, acſi ipſæ hujus Libri Prophetiæ, ſive ſub figuris, ſive absque iis expoſitæ, omnes quod ad earum ſenſum

ſum & genuinam interpretationem æque absque profundiore meditatione & cura eadem facilitate explicabiles eſſent. De multis non renuo; in quarum aliquibus quí hærent Interpretes; ſi in cauſſa non ſit hiſtoriarum imperitia: eſt ſane diſſentiendi libido & ſingularitas judicii. quæ vitia per expoſitionem Sermonis Prophetici regnant, imo per omnes Diſciplinas, quæ morali demonſtratione nituntur; ut jam ſupra monere memini: ſunt enim quorum *anima ad omnem cibum nauſeat.* (a) Nec tamen obſcuritas ſtudioſum veri abſterret ab inveſtigatione, genuini ſenſûs prophetiæ, dum certo conſtat, ſubeſſe ei ſenſum reconditum rerum præſtantiſſimarum, quas quilibet non incurioſus veri ſcire velit, ſi liceat; noſtri autem intellectus tarditatis aut ſtuporis atque ignorantiæ vitium eſſe, quod circa ſenſum hæſitemus: quam ob rem Angelus Interpres, Prophetæ hanc ipſam ob cauſſam adjunctus, ut tarditati ingenii ejus ſuccurreret, interroganti, quid *figuræ* ſibi in Viſis oblatæ vellent: *An non noſti*, ait, (b) *quid hæc ſibi velint*, Sic eſt concepta reſponſio, ut tacitam complectantur reprehenſionem ἀνοησίας ipſius ſive tarditatis ingenii ejus in rebus ſpiritualibus percipiendis. Quare quod Auctor* profani animi & ſtyli, ne minimam quidem præterire ſinens occaſionem ridendi auctoritatem Sacrarum Literarum, ſcribit, ex hypotheſi ſua σκωπτικῶς *Variabant præterea repræſentationes, non modo tantum, ſed etiam perſpicuitate; nam repræſentationes Zachariæ obſcuriores erant, quam ut ab ipſo absque explicatione poſſent intelligi:* nihil obeſt eorum fictionis præſtantiæ aut divinitati. Ut ex pictura bonæ manus periti, cujus partes inter ſe concinna συμμετρίᾳ diſpoſitæ ordinatæque ſunt, cognoſcis artem pictoris,

(a) Pſ. CVII: 18. (b) Zach. IV: 5. 13.

* -- Tract. Th: polit. c. 2. p. 20

ris, licet ad primum aſpectum non aſſequaris imaginum ſignificationem, & συμμετρίας totius rationem: ſic ſe habet res cum imaginibus Sacris. Tranſparent in earum fictione characteres perfectiſſimi ingenii, licet hactenus ſenſum earum per omnia non pernoſcas, ut exemplum eſt in Coloſſo Nebucadnezaris. Magnum quid eſſe ſibi Viſo exhibitum perceperat; ſed non intellectum, antequam accederet interpretatio.

§. II. Sed cum interpretatio omnis ſuas habeat Leges, & hypotheſes quoque ſuas, & Canones, ſecundum quos componenda eſt; vel ſubſidia, quæ interpretationem faciliorem reddunt: non eſt dubium, quin idem quoque in hiſce prophetiis exponendis uſum habeat. Nec tamen mihi hoc tempore eſt propoſitum in hoc argumentum excurrere, cum alibi (b) de *Canonibus* interpretandi Verbi Prophetici ſcripſerim in rem neceſſaria. Quare cæteris prætermiſſis, duo tantum hic animadverti velim.

§. III. Cum clavis propria exponendarum Prophetiarum ſit Hiſtoria, ex qua ſola cognoſcimus Eccleſiæ Eventus, à Conſilio & Providentia divina pendentes; & præſertim veram Naturam Regni Chriſti Jeſu, circa quod Prophetæ maxime occupati fuerunt (c) tanquam quod centrum efficiat omnium viarum & moliminum Dei; ejusque Regni fundationem, fata & accidentia, quæ Eccleſia jam fere per ſeptendecim Sæcula experta eſt: in univerſum quidem in Interprete hujus Libri *Notitia* generalis Hiſtoriæ accidentium & temporum Eccleſiæ requiritur; ſed inprimis *temporum Maccabaicorum*, hisque cognatorum, ſive antecedentium, ſc. Imperii Perſici, Macedonici, &

(a) Auctor Tract. Hiſt. Polit. Cap. II. [illegible] (b) In Typo Doctrinæ Prophet. Part. III. (c) 1 Pet. I: 11.

Regnorum Syriaci & Ægypti, inde ortorum; ſive conſequentium; ad quæ pertinet nova labes à Judæis contrahenda; apparitio Meſſiæ, ejusque conſequentia, quà læta quà triſtia. Nemini id non probabile videri queat, cum res illo tempore geſtæ ſint maximæ ac paradoxæ; & Beneficia temporalia olim genti promiſſa, & vero promiſſa reducibus ex Babylone, tum demum vere repræſentata ſint; & Zacharias iisdem temporibus proximus fuerit. Quid? Jeſaïas, ex hac & nulla hypotheſi alia, (quod fidenter ſcribo, & res ipſa rite expenſa cum tempore omnibus veri amantibus perſuadebit:) explicari nequit; & Jeremias, Ezechiel, Hoſeas, Amos, Joël, Obadja, Tsephania, clariſſimam horum temporum mentionem fecerunt; & ipſe Moſes, ex quo fonte omnes biberunt, iis præivit. (a) Exempla hic non anticipabo; ſed ipſa expoſitio noſtra fidem faciet, ſi Deus velit.

§. IV. Altera clavis, quam hic commendo, in neceſſarium uſum, eſt παραλληλία *alternatio*, & *permixtio*, *conſonantia*, fatorum Eccleſiæ utriusque Oeconomiæ, Veteris & Novæ. Magnum eſt myſterium Sapientiæ divinæ, quod pauci aliquatenus, nulli perfecte aſſequuntur. Cum me primis Juventutis meæ annis dediſſem lectioni Verbi Prophetici: plane deprehendebam, multa vaticinia apud antiquos Vates, Jeſaïam, Jeremiam, Ezechielem, Joëlem, & Prophetam noſtrum, eſſe mixti argumenti & ſenſus; videlicet partim explicanda ἱστορικῶς ſive γραμματικῶς, *ſecundum hiſtoriam & literam*; partim πνευματικῶς, *ſecundum ſenſum ſpiritualem & myſticum*. Quod cum clare perciperem; occaſionem mihi dedit ex hac hypotheſi commentandi in *Templum Ezechielis*; ubi eandem copioſe adſtru-

(a) Deut. IV: 27. ſeq. XXX: 3.

xi & demonſtravi, & repetii Canonem, unum utiliſſimum in interpretatione Verbi prophetici. Prophetiæ de Babylone, Tyró, Ægyptó, apud Prophetas partim *Literaliter*, partim *Spiritualiter* interpretandæ ſunt; perinde ac prædictiones ejusdem generis, quæ ſpectant Statum Reducum ex Exilio Babylonico, & Beneficia in eos conferenda, & Fata illuſtriora illorum temporum, ac Gogi Magogi, (exercituum Antiochi Epiphanis & Syrorum Regum) & Maccabæorum. Ratio hæc eſt, eaque certiſſima & invicta; quia etiamſi ex textu & circumſtantiis clariſſime liqueat, agi de Babylone, Ægypto, Tyro, Gogo & Magogo, *literaliter* ſumptis; (exempla cape ex Jeſaiæ Cap. XLVII. & Ezech. Cap. XXV. XXVII, XXVIII.) nihilominus legens illas prophetias admirabundus obſervat, tam attributa quædam eorum Subjectorum magnifica & ſublimi oratione efferri, ut videas de iis rebus majus quid & excellentius prædicari, quam in illis rebus inſuit, ut vel id, quod de iis Subjectis dicitur, accipere debeas tanquam dictum ὑπερβολικῶς ſupra earum rerum modum & meritum; vel ut in hanc venias ſententiam, eas res ſpectandas ut figuras ſymbolicas & propheticas aliarum rerum illuſtriorum, in quibus analogis, ſub N. Oeconomia extituris, eadem attributa perfectius apparerent quam in earum figuris, quae olim extiterant; & in quibus prædicta Prophetarum illuſtrius conſequerentur implementum, quam nacta erant olim in *figuris analogis*. Idque ita ſe habere, demonſtrant Scriptores N. T., & inprimis Spiritus S. optimus ſui interpres in *Apocalypſi* Joannis, quando *dicta* & *figuras* illarum prophetiarum tranſtulit ad *Res* & Eventa temporum Eccleſiae Novi Fœderis; etiamſi, quod

mo-

monui, ex inſpectis iisdem prophetiis evidentiſſime pateat, Easdem ſecundum primum aſpectum hiſtorice accipiendas eſſe.

§. V. Atqui hujusmodi inſtitutum & methodus Spiritus S. nullum habere poteſt fundamentum aliud atque hoc unicum; Eſſe παραλληλίαν ſive *reſpectum*, analogum illuſtrium Fatorum Eccleſiae utriusque Oeconomiae; ut eadem Fata & Eventus, certe illuſtriora, quae hiſtoria docet accidiſſe Eccleſiae antiquae σωματικῶς *corporaliter*, ex conſilio Divinae providentiae exhiberentur grandiore modo & quidem πνευματικῶς *ſpiritualiter*, quam exhibita fuerant olim, ſub Oeconomia Nova. Ejusmodi autem παραλληλισμὸν facile eſt detegere, ſi in generalioribus hæreas: ſed ſi ad ſpecialiora & ad omnem temporum ambitum te convertas, & ſingula inter ſe comparare inſtituas, ut agere inſtituit noſtro ævo Vir quidam Doctiſſimus in Libro, cui titulum præſcripſit, *Futurorum per Signa temporum inveſtigatio*: difficillimum inibis laborem, forte de certa hypotheſi nulla nixum, nec ex re ipſa facile demonſtrabilem; dum non adſunt omnes characteres, quos in juſta comparatione quærimus, & multa violenter ad ſcopum trahuntur. Cum ex noſtra hypotheſi, Eccleſia Sæc. XVI. egredi cœpit Babylone; idque factum fuerit ſub Carolo V, Imperii Germanici Rectore: inſtituit Vir Doctus comparationem inter ipſum & Cyrum, qui Babylonicos carceres aperuit. Quæ cum ad primum aſpectum horrida & rudis videatur hypotheſis: multa attulit in rem præſentem, ſtylo quidem ſcribendi perobſcuro, ſed ingenii ſubtilitate & peritia neutiquam contemnenda, quin multis partibus mirabili, quæ rei ad primum intuitum

tum non ſpecioſæ conciliant ſpeciem; nec tamen tantam, quantam veri amantes cuperent, & juſta analogia partium requireret. Ipſe quidem ego quoque in hoc argumento meditando me multum exercui; nec tamen huc uſque aſſequutus ſum, in quo acquievi. Nec tamen quenquam hic abſterreo; cum conſtet; Sapientiam Dei eſſe profundiſſimam, & ſæpe vitium ſubeſſe imprudentiæ in hypotheſibus quibusdam male jactis: nec etiam vehementer urgeo, ſi clarum lumen quærenti non affulgeat. Crudas enim & longe quæſitas cogitationes, nihil probabile præferentes, hic violenter obtrudere prudentibus judiciis; plus obeſt huic ſtudio, liberaliter tractando; quam prodeſt.

§. VI. Generalia autem, in quibus huc usque perſiſto, ſunt,

Eccleſiæ Chriſtianæ diviſio in Orientalem & Occidentalem, tempore Carol. M. & Ludovici Pii: ſimile ei quod accidit Eccleſiæ in Judam & Iſraelem ſive Ephraimum diviſæ ſub Rehabeamo.

Orientalis Eccleſiæ figuram latere ſub Ephraimo;

Occidentalis, ſub Juda.

Utriusque Prolapſio ad idololatriam.

Schiſma inter utramque ortum tandem factum inſanabile.

Orientalis Eccleſia corrupta per idololatriam aliaque Vitia & Crimina cum Imperio dudum caſtiganda tradita Bulgaris, Schlavis, Avaris, & Turco-Muhammedanis,

Occidentalis Eccleſia, ipſa quoque ad turpem idololatriam & ſuperſtitionem prolapſa, tandem oppreſſa à tyrannide Romana Papali, & poſt tempora Ludovici Bavari,

danis, & cum Imperio deſtructo acta in ſervitutem Turcorum; ſub qua ad hucdum Gemit: ut Ephraimitæ oppreſſi ab Aſſyriis.

vari, cum vindices nullos amplius haberet, acta cenſetur in Exilium Imperii magni Babylonis ſpiritualis.

In qua tamen non periit, nec cum Babyloniis permixta eſt; ſed ſummo beneficio Providentiæ divinæ conſervata eſt, ut exemplum eſt in Waldenſibus & Bohæmis fratribus.

Educta eſt non *tota*, ſed *pars*, ex Babylone idololatrica Papali, Sæc. XVI. inprimis cum Tranſactionem Paſſavienſem, ſed rectius, Auguſtanam, Anno 1555. poſt Eccleſias ſeparatas jam formatas in Galliis, ab inſignibus Heroibus vindicandas in libertatem.

Ara Dei ſtructa & fundamenta Novi Templi jacta in Confeſſionibus Fidei, Auguſtana, Helvetica, Genevenſi, Belgica, ad exemplum Cultus Divini reparati à reducibus ex Babylone.

Impedimenta huic operi ob-

objecta ab adverſariis, qui profitebantur, ſe ejusdem fidei conſortes cum ipſis concurrere velle ad Religionem decori ſuo reſtituendam. Pertinent huc tot Colloquia de Religione habita ſub Carolo V; Synodus Tridentina; Syncretiſtæ, Caſſander, Eraſmus, &c.

Tandem abſolutum hoc opus: Statu Religionis purioris & Rerum publicarum eam ſuſtinentium poſt longam luctam tandem confirmato & conſtabilito in Germania, & Regnis Septentrionalibus ac Civitatibus Liberis Imperii, Anglia, Scotia, Gallia ſub Henrico IV., Hungaria, Belgio hoc noſtro. Reſpondent tempora Structi Templi Hieroſolymitanti ſub Zerubabele, Joſua, Zacharia, Haggæo.

Egregii Viri, Scripturarum divinarum doctiſſimi interpretes, in Eccleſia à Spiritu Dei excitati, qui Sacra publica ſumma cura or-

dinarunt & reformarunt; fundatis quoque hanc in rem Academiis illuſtribus, quæ magnum ſparſerunt lumen. Typus Ezræ & Legis Doctorum ſui temporis.

Reformatæ illius *Eccleſiæ*, quæ dicitur, deformatio, ſive vitia ab ea contracta, ſive *languoris* per totum corpus ejus regnantis; ſive luxus & ſchematis Mundani, quo tota ſic obnubitur, ut, ſi externas Sacrorum cæremonias excipias, vix diſcernatur à Mundo; ſive etiam, quod horreo dicere, *profanitatis* impietatisque ſententiarum de Religione. Quod lolium noſtro etiam tempore ex ipſo Ordine Eccleſiaſtico erupit. Res eadem in Eccleſia reducum; quæ libera jam ab idololatria in graviora crimina incidit.

Subnata interim duo Regna, Duabus potentibus Domibus ſubnixa, utrumque ex Francica Gente, puriori Religioni infeſta, idololatriæ & ty-

tyrannidi ſubſervientia; Francicum & Auſtriaco Hiſpanienſe, Eccleſiam Dei prementia & preſſura, ex quibus prodirent potentes Reges ſubvertendæ puriori Religioni unice intenti, cujusmodi Philippus II, Ludovicus XIV. Eadem ſcena, quæ olim viſa in Regnis Lagidarum & Seleucidarum, Regibusque Philopatore & Antiocho Epiphane. Potior videtur ſententia, quæ Francicum Regno Ægyptio reſpondere ſtatuit; Hiſpanienſe Syriaco.

Verum ut Deus olim ſuſcitavit Maccabæos Heroës, qui ſtupendis editis fortitudinis & Zeli exemplis Eccleſiam afflictam & oppresſam vindicarunt: ſic idem fecit recentiore hac Mundi ætate, & facturus eſt modo multo adhuc clariore & glorioſiore per Heröes à ſe armandos inſtruendosque, quando aliqui Antiocho Epiphani, & Demetrio, aſſimiles Principes cum cogna-

tis Populis in Eccleſiam Proteſtantium graviorem inferent perſecutionem & afflictionem, quam hactenus experta eſt; quæ *tentatio* adhuc videtur reſtare ad Eccleſiam multa labe vitiatam purificandam.

Conſequetur perditio adverſariorum Eccleſiæ, & eorum præſertim Regnorum, quæ conſilium iniverant de Eccleſia ſubvertenda.

Quando Eccleſia Chriſti ab hoſtibus ſuis liberata, à Deo protecta vindicataque, conſequetur integrum implementum promiſſorum, ei olim factorum; ut Maccabaica poſt ſtatum ejus conſtabilitum: & juxta ſpem Abrahæ factam mittetur in *hæreditatem totius* Mundi, hoc eſt, omnium per terram Gentium. Deus velit & faxit!

§. VII. In hiſce hactenus ſubſiſto; licet mihi ſane in promptu ſit de ſingularibus multis, quæ huc pertinent, accuratius diſquirere atque diſputare. Sed non facio. Indigeo majore luce. Sunt enim dubia, in quibus adhuc dum

dam hæreo. Ne dicam, hypotheſin, cui tanta moles ſuperſtruitur, magis eſſe ſpecioſam & delectabilem; quam certam & demonſtrabilem.

Analyſis hujus Libri Prophetici.

§. I. Liber, partitu facilis, quinque conſtat *Partibus*, ſive *Revelationibus Propheticis*, quà EMBLEMATICIS, quam per Viſa, imaginationi ejus objecta, recepit; quà LIQUIDIS, absque imaginibus ſymbolicis, pro communi Revelationum more.

§. II. α *Revelatio prima*, *præparatoria*, Εἰσαγωγικὴ *introductoria*, facta Anno ſecundo menſe octavo Regis Darii, non adſcripto Die. Cap. I: 1—6.

β Revelatio *Secunda*, ejusdem Anni, Menſis XI, Diei XXIV. complexa Viſa *octo*, vel cum Emblemate *Coronæ*, impoſitæ Capiti Joſuæ, *novem*,

α *Equitis inter myrtos*, Cap. I: 7——17.

β Quatuor *cornuum* & totidem *fabrorum*, Cap. I: 18–21.

γ *Angeli* cum funiculo menſorio, Cap. II. per totum.

δ *Judicii* de Joſua, cum τοῦ σατὰν, Cap. III. per totum.

ε *Candelabri* cum duabus Oleis, ei ſubminiſtrantibus Oleum, Cap. IV. per totum.

ζ *Voluminis volantis*, pleni *Execrationum*, Cap. V: 1–4.

η *Epha*, cum fœmina in ea ſedente, transferendæ in terram Sinear, vs. 5—11.

ϑ *Quatuor quadrigarum*, ſive magnorum Mundi *Imperiorum*, quæ ſibi invicem ſuccederent, Cap. VI: 1—8.

ι *Co-*

ε *Coronarum* imponendarum *Capiti Joſuæ*, vs. 9---15.

γ Revelatio *tertia*, Anno Darii IV, Menſe IX, Die IV, de Jejunii rite celebrandi vera ratione, natura, fine; & præſertim de optata proſperitate Rei *publicæ* & *privatæ*, qua Judæi in conſequens tempus fruerentur, Cap. VII, VIII.

δ *Revelatio quarta*, complexa Fata vicinarum Gentium, quæ afflictis temporibus Populi Dei ſe erga Judæos inſolenter geſſerant, graviſſimis Dei judiciis deprimendarum; & venturarum in communionem Religionis Judææ & Regni Meſſiæ; ipſius illius Regni Meſſiæ deſcriptionem: ſignum antecedens illius Regni, Fata & Geſta Maccabaica; Corruptionem ſubſequentem Eccleſiæ, præcipue cum reſpectu ad Proceres Reipublicæ & Eccleſiæ; Reprobationis Chriſti Jeſu veri *Paſtoris*, atrox crimen ſui Populi: & Judicia longe graviſſima, quibus Deus improbos Proceres cum Republica perderet, Cap. IX, X, XI.

ε Revelatio *quinta*, de Fatis Eccleſiæ Chriſti Jeſu vi perrupturæ per Mundum, cum effectis deſtruendæ idololatriæ, inchoatæ converſionis Judæorum, & oppugnationis Gentium, atque adverſariorum ejus, & tandem triumphi de omnibus adverſariis ejus reportandi, ſtatu rerum pacatiſſimo & florentiſſimo; expoſita maxime ſub phraſibus & figuris emblematicis & metaphoricis, deſumptis à temporibus Maccabaicis, quæ Ultimorum Eccleſiæ temporum imagines gerunt, Cap. XIII, XIV.

COM-

COMMENTARIUS IN LIBRUM PROPHETIARUM ZACHARIÆ.

REVELATIO PRIMA,

Qua Zacharias Propheta veluti Officio ſuo inauguratur, & à Deo inſtruitur mandato Populum Reducum ex Exilio Babylonico exhortandi ad Reſipiſcentiam à vitiis, quæ jam tum in coetum irrepſerant, & in his præſertim à languore circa Cultum Divinum & conſummandum ædificium Templi, qui complures illorum obſidebat.

CAPUT. I.

Verſ. 1. *Menſe octavo, anno ſecundo Darii editum eſt verbum Jehovæ, ad Zachariam filium Barachiæ, filii Iddonis, Prophetam, in hanc formam.*

Verſ. 2. *Excanduit Jehova in Patres veſtros vehementer.*

Verſ. 3. *Et dices ad illos: ſic fatur Jehova exercituum* Dominus *convertite vos ad me, ait Jehova exercituum* Dominus, & *Ego convertam me ad vos inquit Jehova exercituum* Dominus.

Verſ. 4. *Ne ſitis ut Patres veſtri, ad quos vocarunt prophetæ priores in hunc modum: & dicit Jehova exercituum* Dominus: *recedite quæſo à viis veſtris malis, & ab inſtitutis veſtris pravis: Sed non audiverunt, nec ad me adverterunt animum, ait Jehova.*

Verſ. 5. *Patres veſtri ubi ſunt? & Prophetæ an in æternum vixerunt?*

Verſ. 6. *Veruntamen verba mea & ſtatuta mea, quæ præcipi ſervis meis prophetis, an non aſſecuta ſunt Patres veſtros, ut convertentes ſe dixerint: ſicuti cogitaverat Jehova exercituum* Deus *nobiſcum agere, ſic egit nobiſcum.*

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus Revelationis.

§. I. EXhibet hæc Pericopa *Revelationem*, eique ſuperſtruendam Concionem, ſenſus liquidiſſimi, quæ Vati obtigiſſe dicitur Anno *Darii* Regis *ſecundo*, menſe *octavo*. Populus reducum ex Μετοικεσίᾳ Babylonica primo Cyri anno laudabili ut videbatur Zelo ſe applicaverat ad inſtaurandum Cultum Divinum, fauſta ſibi lætaque omnia Deumque per omnia propitium pollicitus, quod opus ageret Dei; qui cum id maxime vellet, quod ipſi curabant negotii, non dubitabant, quin omnia ſibi ex voto ſucceſſura eſſent: ſed cum opus aggrederentur magnum, magno conſtituturum ſumptu & labore, cujus uſus non ſibi privatim, (excipe Sacerdotes & Levitas,) ſed publico inſerviret; & ex quo ad plures nulla priva redundaret utilitas; & cum præterea gentes vicinæ, & in

in his præcipue Cuthæi, magna ducti æmulatione inſtaurandæ à Judæis Reipublicæ, ipſis opere occupatis inſidias ſtruerent, & per Proceres Regni Perſici ei objicerent impedimenta, nec tamen, quantum ex hiſtoria colligimus, graviſſima, ut ſi animus & vigor ipſis fuiſſet, potuiſſent ſuperari: captarunt inde occaſionem, ſi non quæſitam, facile inventam, de Zelo & fervore ſuo remittendi, & contraxerunt languorem & deſidiam in urgenda Templi novi ſtructura; & tandem ab opere deſtiterunt; & totos ſe dederunt ſive agris ſuis colendis, ſive Domibus conſtabiliendis, unde certum expectare poterant emolumentum. In qua indole, quibusque moribus, Populi cum facile eſſet obſervare ſemina novæ alienationis & declinationis animi à Deo: Spiritus Dei excitavit Haggæum & Zachariam Prophetas, ut Judæos jam expertos judicia divina, ob hanc ipſam cauſſam iis inflicta, tam exhortarentur ad ſinceram reſipiſcentiam à vitiis jam dum gliſcentibus, quam incitarent ad opus Templi perficiendum ac conſummandum. Et prius quidem hac Concione potiſſimum agit Zacharias, ratione petita ex exemplo triſtiſſimo Majorum Gentis, qui cum conſilia, prædicta, & monita Dei per Prophetas enunciata, contempſiſſent, & ſusque deque habuiſſent, per experientiam didicerant, nihil eorum, quæ illi prædixerant, intercidiſſe: mala, quæ interminati fuerant contumacibus, majores ipſorum feriiſſe; idque ipſorum ad Deum revertentium teſtimonio conſtitiſſe; atque adeo ipſorum officii eſſe, ex hoc exemplo capere documentum prudentiæ, & ab ira atque indignatione Divina ſibi diligenter cavere, ne in eam incurrentes in eundem inciderent eventum.

§. II. Patet inde, Sermonem hunc primum totum eſſe

generis *Moralis*, & quidem *Elenctici*, accommodatum ad circumſtantias illius temporis, & in hunc tendere *Scopum*, quem demonſtravi; ut nimirum hæc Concio Spiritui ſubſerviret tanquam medium producendæ in Judæis reſipiſcentiæ & excutiendi languoris atque ἀκηδίας, quam circa Divina contraxerant; à quo jam reſipiſcere inceperant ad conciones Haggæi, ejusdem argumenti, bimeſtri ante habitas; quas easdem Conciones hic Sermo Zachariæ ad ſuam intelligentiam ſupponit. In Reducibus enim, convictis excitatisque Concione Haggæi, jam ab illo tempore revixerat voluntas & ſtudium reſipiſcentiæ, ut ex hiſtoria ejus patet; (a) ut proinde Concio hæc ſuccedanea Zachariæ apta fuerit hoc ſtudium promovere, & favillas ſub cineribus deliteſcentes amplius ſuſcitare atque educere. Mutuæ & alternæ horum Doctorum operæ, invicem ſuccenturiatæ, in eundem finem pulcre conſpirarunt. Atque hic primus & præcipuus Revelationis Scopus fuit: alter ei ſubjectus & conſentaneus eſt, magnum hoc inculcare præceptum; *Beneficia*, quæ Deus hominibus aut Eccleſiæ pollicetur, licet conferenda ex gratia, ſemper prærequirere *officium* hominis, ut Deo dignum ſit & honeſtum, fas dictu, ea conferre.

§. III. Si vero hunc Sermonem referas ad Revelationes ſubſequentes hujus Libri: non obſcurum fuerit animadvertiſſe, eum toti Libro præſtare vicem εἰσαγωγῆς *introductionis*, & Prophetæ ipſi veluti *inaugurationis*, qua muneri ſuo initiabatur, & ad ſequentes Revelationes recipiendas informabatur & præparabatur. Utique enim Revelationes ſubſequentes, quæ majorem partem complectuntur clara promiſſa inſignium bonorum, Eccleſiæ in conſequens

(a) Hagg. I: 14.

ſequens tempus deſtinatorum, requirebant hypotheſin aliquam iis ſubſtratam; quæ hypotheſis erat conſentaneus affectus animi promiſſis Divinis reſpondens, hoc eſt, reſipiſcentia à vitiis jam pullulantibus, converſio ad Deum; mens recta & purus in eum affectus. Ergo Propheta ſic à Deo inſtruitur, ut antequam ampliſſima Dei beneficia Genti per imagines ſymbolicas conſpicienda exhibeat; declaret officium Populi ſui, ſive *conditionem* qua Deo decorum ſit copiam ei facere horum bonorum. Dare Deum velle; ſed ſimul ſcire, cui & quibus det.

§. IV. Pericopa, hunc Sermonem complexa, eſt bimembris, quippe hiſtoriam *Revelationis*, ejusque *Materiam*, continens.

α Historia Revelationis,
- α *Revelatio* ipſa,
- β *Circumſtantia* temporis, quo facta fuerit vs. 1.

β Subjectum Revelationis, quod conſtituit Mandatum de *Concione*, apud Populum Judæum habenda. ubi
- α *Hypotheſis* Concionis, *Ira Dei juſta* in Majores Judæorum concepta, vs. 2.
- β *Exhortatio* ad Reſipiſcentiam, ei ſuperſtrata, vs. 3.
- γ Exhortationis *Ratio*, ex hypotheſi educta, petita ab exemplo Patrum, triſtiſſimi eventus, vs. 4.
- δ *Convictio* ex Eadem *Ratione* preſſius inſtituta, *Rationem* urgens, & vim illius commonſtrans, vs. 5, 6.

§. V. *Anacriſi* hic nullus locus: quicquid enim ejus eſſet, pertineret ad *circumſtantiam temporis*. Atqui de hoc Quæſito prolixe actum tractatumque eſt in *Prolegomenis*

COMMENTARIUS.
Revelatio *Prima.*

α *Hiſtoria* Revelationis.

Vs. I. MENSE OCTAVO, *anno ſecundo Darii*, *editum eſt Verbum Jehova ad Zachariam*, *filium Barachiæ*, *filii Iddonis*, PROPHETAM, *in hanc formam.*] Demonſtrat Propheta auctorem Revelationis; tempus quo facta ſit, & ſe ut organon, ſive inſtrumentum & ſubjectum ejus acceptæ. *Verbum Jehovæ*, ait, *fuit* ſive *factum eſt ad Zachariam.* h. e. vulgata & ſolenni phraſi, Revelatio Divina (Chaldæo, פתגם נבואה *verbum Prophetiæ*,) *obtigit* Zachariæ; de qua phraſi alibi (a) egi. Nihil ea docet de Revelationis modo, an per *quietem*, num *Vigilanti* per extaſin aut alloquium internum facta ſit: ſed poſterius ut probabilius, ſupra adſtruxi. *Tempus* ſignat *menſem octavum anni ſecundi Darii*, quem Hyſtaſpidam intelligendum eſſe, in ſuperioribus evici. *Dies* non eſt adſcriptus, nec nomen *menſis* expreſſum, ut infra, vs. 7. & Cap. VII: 1. Eſt autem, qui hic deſignatur, ipſe menſis *Marcheſvan*, reſpondens *Octobri* & *Novembri* noſtro partitim, cardine fixo in Menſe *Abib*, ſive *Niſan*, primo menſe anni ſacri: inde enim, non à menſe *Thiſri*, principio anni Civilis, qui cadit in Septembrem, ſive æquinoctium Autumnale, menſium computum incipere in hoc Libro & ſacris aliis, jam obſervarunt Docti Viri, nempe ſecundum clariſſimam Legem Exod. XII: 1, 2. Liquet ex menſe *Schevat*, qui *undecimus* dicitur vs. 7. utique *anni ſacri*, & *Caſleu*, qui *nonus* Cap. VII: 1. confer ejuſdem *Sermonis* vs. 5. Quando autem Propheta nullum hic adſcripſit diem: credibile eſt,

(a) Jeſ. II: 1.

eſt, contigiſſe illi Revelationem ipſis hujus Menſis Kalendis, perinde ac Haggæo Kalendis *Menſis* ſexti; inter cujus proinde vaticinationem & Zachariæ noſtri *bimeſtre* interfuit. Quod cum ita habeat; feſtinus Grotii calamus hic rurſus, ut pluribus aliis locis, præceps fuit in errorem, ubi ſcripſit: (a) *Cœpit ergo hic* (Haggæus) *à Deo bis viſis illuſtrari ſeptem menſibus ante quam is qui hic ſequitur Zacharias.* Voluit aut debuit ſcribere, *duobus*, Patet ex Hag. I: 15. Judæos, ad primam Haggæi concionem excitatos, reſumpſiſſe Opus ædificandi Templi & *fundamentorum* ejus ſolidius jaciendorum Die *vigeſimo quarto Menſis* ejusdem *ſexti*, quo Haggæus à Spiritu affectus fuit. *Verſiculus* enim ille, qui in pluribus *Editionibus* recenſetur *primus Capitis ſecundi* Libri hujus Prophetæ, (in Belgica quoque noſtra,) absque omni dubitatione referendus eſt ad *Caput primum*; ut ex *contextu* toto liquet, & jam à Doctis monitum: ut proinde Zacharias noſter ſua hac Concione intervenerit huic operi, & Haggæi vaticinationem fulſerit, confirmaverit, & promoverit. Nec obſtat locus Hag. II: 18. ubi Piſcator recte obſervavit, למן היום quæ videtur valere, *à die hoc*, ſecundum poteſtatem phraſios vertendam eſſe, non, *à die quo fundatum eſt Templum*, ſed *usque ad diem quo Templum fundatum eſt*. ſc. ab illo die quo Haggai illam Revelationem accepit, h. e. die XXIV *Menſis noni*, *ſurſum aſcendendo* ad illum diem, quo *fundatum fuit Templum*, hoc eſt Diem XXIV *Menſis ſexti.* Concinit plane Cl. Coccejus, & rem ipſam adſtruit. למן היום idem hic valere quod לעד מן היום *usque ad illum diem à quo fundatum fuit Templum*, h. e. ſurſum aſcendendo *usque ad diem*, quo *fundari cœpit Templum*. ſc. XXIV Diem *Menſis ſexti*, ut

ſupra

(a) Ad Hagg. I: 1.

ſupra dixerat. Interim quod in univerſum hoc tempus *ſecundi anni Darii* jam præciſe notetur; inde petenda eſt ratio, quod illo tempore expleti fuerint LXX anni *Deſolationis Templi*, ut liquet ex hoc Libro, Cap. I: 12. de quo in ſuperioribus abunde. Eſtne præterea operæ pretium monere, vocem נביא *Prophetæ*, quæ ſubjicitur *Idduntî*, non ad illum pertinere, ſed ad Zachariam, cum *ſcopus* hujus narrationis, & locus parallelus Ezr. V: 1. id in dubium trahi non ſinant; & tamen Judæi inſulſe ineptientes ſic putarunt, hunc *Idduntem* confundentes cum illo, qui circa tempus orti ſchismatis inter Judæos & Ephraimitas Propheta floruit. (a) Kimchius prudens diſceſſit.

β Materia Revelationis *Concio* ad Judæum Populum habenda

α Hypotheſis *Concionis: Indignatio Dei in Populum antiquioris temporis.*

Vs. II. Excanduerat Jehova in Patres veſtros vehementer.] Heb. *Efferbuerat Jehova in* (vel *adverſus.*) *Patres veſtros fervore.* Sic fere Coccejus, Piſcator, *fervente ira.* Hieron. *Iratus eſt Dominus ſuper Patres veſtros iracundia.* Debebat ſcribere, *fuit.* Mentio enim hic fit, non *præſentis*, ſed *præteriti.* Οἱ Ο΄. Ὠργίσθη ὀργὴν μεγάλην. Nihil hic obſcuri. Nec enim dubia hic eſt ſignificatio vocis קצף: nec dubium quoque qua de re hic agatur. Vox קצף *Katſaph* Hebræis idem valet quod *efferveſcere*, Græcis, θυμοῦσθαι. Uſurpatur autem hiſce ipſis Linguis pro *ira ebulliente*, metaphora ſumpta ſive ab *aqua*, quae fervore ignis incitata *bullas* facit ſive *ſpumam* ebullit, quo Jeſaïas alludit in elegante loco Cap. LXIV: 2. ſive à mari efferve-

(a) Par. XII: 15.

veſcenti & concitato, quod in *ſpumam* reſolvitur, eamque ejicit, & expellit; ſive etiam à *vino fermenteſcenti*, quod eundem praeſtat effectum. Inſtar eſt *ſanguinis*, ira concitati, & circa cor ebullientis, quo reſpicitur in ſcitiſſima locutione parabolica, apud Jeſaïam, Cap. XXX: 28. Eſt autem קצף *Ketſeph* Hebræis *ſpuma*, ut ſumi videtur apud Hoſeam. (a) Unde patet, vocem קצף hoc in loco ſumi tam de *ira gravi*, qualis eſt *effervescentia*; quam de *effectu*, gravi quidem, ſed non *longi temporis*: unde vox aptiſſime transfertur ad mala, & plagas Divini judicii, Populo inflictas in Transmigratione Babylonica, de quibus hic mentionem fieri nemo dubitat; atque ideo frequentius ad hunc caſum, quam ulla alia, deſignandum adhibetur. Jeſaïas: (b) *Pauxillo* IRÆ EFFERVESCENTIS (בשצף קצף) abſcondi *faciem meam momento abs te.* Reſpicitur Babylonica vel Syriaca afflictio, ſervata integra proprietate vocis קצף Propheta noſter: (c) *Quemadmodum cogitavi de eo, ut vobis malefacerem* בהקצף אבותיכם אתי *cum Patres veſtri me ad* EFFERVESCENTIAM *provocarent.* Threnis: (d) קצפת עלינו עד מאד *Efferbuiſti in nos* ADMODUM. Pertinet utique ad afflictionem Babylonicàm. Confer Tſephaniæ, Cap. II: 2. Atqui id ipſum latet in phraſi, קצפתו קצף *Efferbui effervescentia.* hoc eſt, *vera effervescentia.* Verbum idem vel *infinitivo* vel *nomine* ejusdem Verbi auctum ſive geminatum, intendit ſignificationis *gradum* aut ſententiæ *veritatem* àc *certitudinem.* ut adeo קצפתי קצף ſit *excandui omnino, vere, vehementer.* ὀργὴν μεγάλην, ut οἱ ό. Canon notus eſt τοῖς νεοφύτοις linguæ Hebrææ. (e) Idem valet, quod Latinis, ut Livio, *Occidione occidere.* Nempe, ſtylo Scrip-

L turæ

(a) Cap. X: 7. (b) Cap LIV: 8 (c) Cap. VIII: 13. (d) Cap. V: 22. (e) Glaſſ Lib. III. Tract III. Cad. XXXVII.

turæ Sacræ, effecta juſtitiæ Dei, ulciſcentis hominum delicta, tanquam adverſa Majeſtati Numinis ipſius, nuncupantur ab effectis, gravioribus aut levioribus, quæ *affectus* ex læſo honore Principis inter homines producunt; cum cæteroquin perfectio Naturæ Divinæ commotionem omnem, (certe triſtem, moleſtam, perturbantem, qualem nos mortales in *ira*, *excandeſcentia*, *efferveſcentia* experimur,) excludat; de quo hic neminem, qui me leget, neceſſe habeo monere. Fuiſſe autem calamitatem, qua Deus Populum Judæum terra ſua expulſum cum Republica everſa afflixit, graviſſimam, liquet ex Jeremia (a) ipſo, ejusque *Threnis*, & ex Ezechiele; (b) cujus minas Propheticas implementum conſequutas eſſe dubitare nefas eſt. Et tamen Deus etiam hic varia adhibuit temperamenta, quæ longanimitas & clementia ejus, & propoſitum, quod ceperat, de Eccleſia ſua purganda, & caſtiganda, non perdenda; ſuaſere: quo pertinet quod Propheta, ut alicui videri poſſet, in contrarium ſententiæ hujus loci noſtri ſcribit hoc ipſo *Capite* vs. 15. *Ego magno fervore efferveſco in Gentes haſce tranquillas, quippe cum ego* קצפתי מעט PARUM EFFERBUERIM: *illæ juverunt in pejus.* Intelligendum utique, non ἁπλῶς *abſolute*, ſed σχετικῶς *relative*, tum reſpectu magnitudinis gravitatisque criminum, à Populo commiſſorum, quæ longe graviorem punitionem & longioris temporis merita erant; tum reſpectu *finis*, quem Deus ſibi in punitione propoſuerat, qui non fuit Populi ἐξολόθρευσις *perditio*; ſed purgatio ejus & inſtauratio in meliorem formam, deſtructis peccatoribus obſtinatis, qui ſe Divina gratia indignos reddiderant: de quo inſignia ſunt loca Amoſi (c) & Tſephaniæ. (d) Quare non eſt neceſſe verba

(a) Jer. XV:3. ſqq. (b) Cap. V:1. ſqq. (c) Cap. IX: 8, 9, 10. (d) Cap III: 11, 12.

ba hæc ſic accipere, acſi hunc darent ſenſum, *Deus efferbuit* PROPTER PATRES VESTROS *efferveſcentia magna*, CONVERTITE vos ſc. in GENTES. ut idem hic dicat Propheta, quod in vs. 15. cujus interpretationis mentio eſt apud Abarbanelem. Coacta eſt interpretatio, ut liquet ex his quæ ſequuntur, in quibus eos exemplum *Patrum*, non reſipiſcentium, & iram Dei expertorum, proponit in exemplum.

β Exhortatio *ad Reſipiſcentiam*, ei ſuperſtrata.

Vs. III. *Et dices ad illos: Sic fatur Jehova Exercituum* Dominus: *convertite vos* AD ME, *ait Jehova Exercituum* Dominus; *& Ego convertam me ad vos, inquit Jehova Exercituum* Dominus.] Materia concionis, hypotheſi jactæ ſuperſtructa, conſtat exhortatione Populi ad reſipiſcentiam, argumento petito ab exemplo Majorum, ne incideret in illas judicii Divini plagas, quas Deus Majoribus illius inflixerat; qui neglecto officio reſipiſcentiæ, cujus per Prophetas monebantur, in graviſſimam Dei inciderant indignationem. Vocem שוב SCHUUF ſive hic vertas, per *reverti*, ſive ſignificatione reciproca, *convertere ſe*: mihi hoc in loco fere perinde: nec tamen ubique. Metaphoræ enim coïncidunt. Nemo enim *reverti* poteſt eò unde diſceſſit, niſi *ſe convertat*. Græcis, ἐπιστρέφειν, ἐπιστρέφεσθαι, præter alias notiones. Eſt actus pœnitentis, qui cum intellexerit, ſe eſſe in errore viæ, aut amicum potentiorem, à quo irato diſceſſerat, placatum eſſe; ſe convertit, & relegit iter. cum vero uſus vocis per totam Scripturam utriusque Fœderis receptiſſimus ſit pro *actu* hominis, inſtitutum vitæ & morum, Deo diſplicentium, immutantis atque emendantis, ad officium redeuntis, & ſe vertentis ad Gra-

tiam Dei, de cujus placabilitate perſuaſus fuerit, ſpe impetrandæ veniæ: id unum hic obſervandum eſt, uſum vocis hoc ſenſu ſumptæ magnam admittere latitudinem, vel enim ſumi *generatim* de *converſione* hominis, qui hucusque vixerit extra Dei communionem in peccatis & vitiis, & quidem graviſſimis, veluti idololatria, luxu, libidine, ſceleribus quoque & flagitiis, absque Dei metu ac reſpectu; ad *Deum* & communionem ejus divina gratia ipſi oblatam, fide & obſequio conſtanti propoſito colendam ut mox vs. 4. aliisque locis longe plurimis (a): vel ſenſu *ſpecifico*, pro actu hominis ſe ab hoc illo vitio, in quod inciderat, purgantis, & redeuntis in viam, à qua diſceſſerat: ſic omnino ſentiendum videtur, vocem hoc in loco, quod ad majorem Judæorum partem attinet, poſteriore ſignificatione accipiendam eſſe. Reſipiſcentia latius ſumpta involvit continuum hominis ſtudium ſe purgandi ab omnibus vitiis ei adhærentibus, & *converſionem* ac reſpectum animi ad Deum, cum voto, propoſito ſincero, & ſtudio ſanctimoniæ ſuæ conſummandæ; & tamen fieri poteſt, ut illi, quorum rectus eſt animi in Deum affectus, locum faciant vitiis, ſenſim inoleſcentibus; quæ ſi ingraveſcant, & non ſuffocentur in herba, hominem magis magisque à Deo alienant, atque *avertunt*; ut ſunt, languor, tepida circa Religionem ſtudia, diffidentia in Deum, & incredulitatis ſemina, in animum à tentationibus Satanæ conjecta & non protinus oppreſſa, minor accuratio in obſervandis officiis, quæ ſancta Religio exigit; rerum terreſtrium & mundanarum cura nimia, & quæ horum ſimilia ſunt: quæ vitia ubi ſuboleſcunt, requi-

(a) Jeſ X: 21. XLV: 22. Jer. XXXI: 19. XXXV: 15. Ezech: XVIII: 27. Act. III: 19. Μετανοήσατε καὶ ἐπιστρέψατε.

quirunt ſeriam μετάνοιαν & ἐπιστροφὴν *converſionem* ſive *reditum animi* ad Deum. Dominus ipſe ad Epheſinam Eccleſiam: (a) *Habeo adverſus te, quod charitatem* tuam *primam omiſeris.* h. e. de ea remiſeris. Intellige, *zelum* Religionis. Addit, *Memor itaque eſto, unde excideris,* καὶ μετανόησον *&* RESIPISCE, *ac priora opera fac.* Idem alio loco: (b) *Refrigeſcet* CHARITAS *multorum.* Atque hujus potiſſimum generis vitia erant, quorum Reduces hic corripiuntur à Spiritu, ut in *Prolegomenis* monui. Prædixerat Moſes abducendos in Exilium, Patria ſua pulſos, in ipſo Exilio ſe *converſuros* ad Deum, damnata deteſtabili idololatria, cui Majores ipſorum ſe ad furorem uſque mancipaverant; (c) & poſt receptum puriorem Dei cultum, à Deo placato reducendos in terram majorum, & caſta fide atque diſciplina Deo tenaciter adhæſuros eſſe, & cum tempore potituros eſſe inſignibus beneficiis Gratiæ, quæ Deus Genti condixerat. Prophetæ omnes atteſtantur, & memini de eo agere ad Jeſ. XXX: 22. Tſephanias: (d) *Reliquiæ Iſraëlis non exercebunt iniquitatem, & non loquentur mendacium, neque invenietur in ore ipſorum lingua doloſa.* Deum verum in fide profitebuntur, & colent. Inſignis eſt locus Jeremiæ, Cap. L: 4, 5. Hiſce vero prædictionibus ſatisfactum eſſe non eſt dubium, & de idololatria liquet ex Hiſtoria: ut adeo credere par ſit, *corpus* illorum hominum, qui ad Edictum Cyri terram Patriam repetierunt, conſtitiſſe hominibus recti in Deum animi, Religionis ſuæ ſtudioſis, & fidentibus promiſſis gratiæ, quæ conſignata erant in Scriptis Prophetarum; quem affectum ſtatumque fuiſſe hujus Populi reducum, Ezræ Liber prima ejus par-

(a) Apc. II: 4, 5. (b) Math. XXIV: 12. (c) Deut IV: 29 ſqq XXX: 3, 4. (d) Cap. III: 13.

te plane prodit. Sed *primo* hic ſupponendum eſt, mixtos huic *corpori* Populi reducum fuiſſe hypocritas, quos nullus Eccleſiæ ſtatus puriſſimus excludit. Qui cum illecti ſpe terreſtrium utilitatum, cum eventus non per omnia expectationi aut voto reſponderet, & vero ipſa Dei benedictio in temporalibus ipſos videretur deſtituere: remiſerunt de zelo, quem primus ſpei & lætitiæ ardor in ipſis produxerat; animo ſuo conceperunt frigus; & quod *ſecundo* loco obſervandum erat, id ipſum frigus ad alios, bonos cætera & recti in Deum ſtudii, tranſmiſerunt, ut μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. (a) Inde itaque languor & tepor quaſi communis factus totum corpus pervaſit: quo ſtatu Haggæus & Zacharias Populum deprehenderunt; ut ſupra monui. Et tamen corruptionem in ipſo *corpore* hactenus non penetraſſe ad principium vitale reverentiæ Dei, quod intus latet: facile colligimus ex effectu concionum utriusque Prophetæ. Excitati enim ab iis & corroborati, conceperunt animo eundem ardorem, de quo remiſerant; & labore non intermiſſo quadriennii opus ſecundo Darii anno cœptum abſolverunt: (b) quam diligentiam, quodque obſequii ſtudium, Deum proſequutum fuiſſe, & deinceps proſequuturum, uberrima benedictione, Vates noſter (c) juxta Haggæum (d) docet: ut ſane inde ſatis liqueat, *vitia*, à quibus Deus illos converti & reſipiſcere voluit, illa ipſa eſſe, quæ modo demonſtravi. Interim verum eſt, vidiſſe Zachariam, à Spiritu doctum; (e) gliſcere in hypocritis cœtui huic mixtis, & in ipſis quoque Sacerdotibus, quorum aliqui jam admiſerant ſemina irreverentiæ in Deum & ſanctam Religionem, vitia graviora, quæ eos cum tempore objicerent ſeveriſſimis

(a) 1 Cor. V: 6. (b) Ezr. VI: 15. (c) Cap. VIII: 9. ſqq. (d) Hagg. II: 19. (e) Cap. V: 1. ſqq. V: 6. ſqq.

mis Dei judiciis, adminiſtrandis per Syro-Macedones; de quorum vitiorum proventu liquet ex *poſteriore parte* Libri Ezræ, (a) ex hiſtoria Nehemiæ, & Prophetico Volumine Malachiæ. Hypocritæ nihilominus, qui jam imbiberant profanæ doctrinæ principia, vitia ſua, perinde ac fraudationem ſacrorum, & iniquia Uxorum Hebræarum repudia, aut voluptuarias Polygamias, impudenter excuſabant, & vocati ad reſipiſcentiam, dum liberi erant idololatria, palam negabant, rationem eſſe, quare ad *converſionem* vocarentur, ut eſt apud Malachiam; dictum Dei: (b) *A diebus Patrum veſtrorum receſſiſtis à ſtatutis* MEIS, *&* NON *obſervaſtis* ea: CONVERTIMINI AD ME, ET CONVERTAM ME AD VOS: (eadem verba quæ in hoc loco:) *Et vos dicitis*, במה נשוב QUA IN RE CONVERTEMUR. Quænam tandem culpa, quod vitium noſtrum? Hic rigor erat, hæc acrimonia Prophetica; qui Doctores & cenſores publici, cauſſam Dei agentes, omnia vitia populi Dei videbantur in majus exaggerare. Prophetarum eſt, omnem declinationem voluntatis Populi à Deo rigide inſectari; & quod multorum erat, integræ adſcribere communitati; cum cæteroquin & jam optimorum quoque latentia vitia clarius quam alii ex revelatione divina perſpicerent; de quo alibi neceſſaria ſcripſi. (c) Ergo reſpicit hic Propheta, ex Deo loquens, omnia qualiacunque vitia & crimina ſive *hypocritarum*, ſive ipſius *Corporis* Populi Dei, συλλήβδην *collectim* ſumpta, & pro cujusque conditione ac ſtatu, ubi vitium hærebat, levius, gravius: imperat *converſionem ad Deum*; ſpe ex promiſſo facta, *ipſum* ſe *converſurum ad ipſos*. Sic ſe habet Lex fori gratiæ. *Beneficia* non diſpenſat Deus niſi ad *officium* hominis, liberrime factum; ad quod:

(a) Cap. IX: 1. ſqq. (b) Cap. III: 7. (c) Jeſ I: 6.

quod licet ipſe gratiam ſuam conferat: non vult tamen illud in cenſum adduci. Gratia enim illa præterordinaria & ſupernumeraria eſt, ut mihi loqui licet: *officium* cenſetur eſſe hominis. Suntque alia loca huic noſtro parallela multa, inter quæ Mich. VII: 19. Jer. III: 14. 22. Referendus autem hic actus *converſionis Dei ad Judæos* ſecundum *circumſtantias* hujus loci; & plane ſignificat, Deum ſe iis exhibiturum ac reapſe demonſtraturum eſſe propitium ac benevolentem in auferendis malis, quibus affligebantur, & conferendis benedictionibus, quas putabant ab ejus favore jure ſe exſpectare poſſe. Ut enim mala & plagæ judiciales Populo impoſitæ ſub Oeconomia Vetere cenſebantur ſigna iræ divinæ: ſic benedictiones corporales putabantur in beneficiis, quæ reſpiciebant ut teſſeras Gratiæ divinæ, & argumenta, ex quibus colligebant, ſe jus habere communionis, libertatemque apud Deum; quæque adeo lætam iis ac ſerenam faciebant conſcientiam. Certus hic interpres Zachariæ eſt ipſe Haggæus. Docet ille, Deum proximo tempore induxiſſe ſterilitatem, & uredinem, in arva, agros, arbores, unde lætus proventus & benedictio expectabatur; continendo pluviam neceſſariam, & nimio æſtu urendo & conſumendo colonorum ſpem; ita ut falleret meſſis, & ex re ipſa intelligi poſſet, plagæ huic ſubeſſe judicium Divinum, & Deum *faciem ſuam* à Populo *avertiſſe* ob delicta à Populo commiſſa: ſimul ſpe facta, ſi reſipiſceret, & ædificando Templum ſe componeret ad voluntatem Dei, protinus experturum optatam deſideratamque Dei benedictionem, hoc eſt, Deum ad ipſos *reverſurum* eſſe, & ipſis exhibiturum ſigna ſuæ gratiæ & favoris. Sic diſerte Haggæus, Cap. I: 6. ſqq. Cap. II: 16, 17. & Zacharias noſter Cap. VIII:

9,

9, 10. ſqq. quæ edita Prophetia eſt Anno Darii IV. quarto Die Menſis *Caſleu*, quando in opere Templi magnum jam profectum fecerant Judæi. Sic ſe habebat conditio Populi Dei ſub Oeconomia antiqua. Ex externis beneficiis Divinæ providentiæ fiebat æſtimatio favoris Divini; ſecundum conditiones fœderales Moſaicas: quod ſecus ſit ſub Oeconomia Nova: certe in omni caſu non obtinet: etſi non nego, dari poſſe tam ſpectabilia Dei judicia, ſive in Eccleſiam, ſive in Domos integras aut ſingulares homines; vel contrarias hiſce ſignificationes Divini favoris, ut excitent juſtiſſimam animadverſionem ad vias Dei, quem actum Propheta vocat, *apponere animum ad vias ſuas*. (a) Sed eſt hic prudenter & modeſte procedendum; &, ſi conſcientia nos non redarguat, nos eſſe in vitio & culpa reſpectu officiorum, quæ Deo debemus: licet absque perturbatione animi expectare exitum viarum Dei, & tentationum, quæ nobis accidunt, ſemper nobis ſalutarem, & glorioſum quoque. Hic ſenſus conſtat ſententiæ. Unum ſupereſt, quod quæri meretur: nempe, an myſterium ſubſit trinæ repetitioni phraſios, אמר יהוה צבאות *Dicit Jehova Exercituum.* Verba Prophetæ ſunt: *Et dices ad illos; Sic dicit* JEHOVA EXERCITUUM Dominus, *Revertimini ad me*, *ait* JEHOVA EXERCITUUM Dominus: *& ego me convertam ad vos, ait* JEHOVA EXERCITUUM Dominus. Primo animadverſionem mereri videtur, quod *Nomen* Dei in brevi hac pericopa *ter* repetatur; deinde, quod trina hæc appellatio Dei fiat ſub nomine Jehovæ Exercituum. Addo, duarum appellationum priorem alteram videri παρέλκειν *vacare*, videlicet, in *verbis*, *Sic dicit* JEHOVA EXERCITUUM: *Revertimini ad me*, *Ait* JEHOVA EXERCITUUM.

M Prius

(a) Hagg. I: 7. II: 16--19.

Prius vel poſterius videtur poſſe abeſſe. Et quidem Abarbenel, ut ſe hic expediat, prius illud, *Sic dicit Jehova Exercituum*: refert ad ſuperioris membrum orationis; *Efferbuit Jehova in Patres veſtros admodum.* Sed ſententia non eſt probabilis. Quæ ſequuntur, *Et dices ad illos*, SIC *dicit J. E.* reſcindunt hanc orationem à ſuperioribus, & cum hiſce noſtris proxime connectunt. Statuendum igitur, verba hæc, *Sic dicit J. E.*, complecti generale Exordium totius orationis ſequentis; ſed, quod ſequitur, *Revertimini ad me*, *ait* JEHOVA *Exercituum*: referendum eſſe ad primum hoc membrum orationis, proxime præcedens. Sequens *comma* fidem facit huic animadverſioni. Quod vero ad priora dubia attinet: cenſeo, non abſurde cogitari, τρίπλωσιν Nominis *Jehova Exercituum* Domini in hoc loco referri ad Μυστήριον Sanctæ Triadis, quod firma fide tenemus, & comparari poſſe cum aliis locis ſimilis generis, ut Gen. XLVIII: 15, 16. Num. VI: 24. ſqq. Joſ. XXII: 22. 2 Sam. XXIII: 2, 3. cætera enim, in quibus Perſonæ Sacræ characteriſtice deſignantur, huc directe non pertinent. Nec tamen auſim huic meditationi ad hunc locum fidenter ſubſcribere, quia primum illud *Jehova Exercituum*, quod hic occurrit, non facit partem orationis Dei, ſed Prophetæ ipſius, hac *utentis* præfatione. Et obſervavi alia quoque loca, in quibus nemo forte in hac triplicatione quærat myſterium: ut apud Jeremiam (a) *Utique ſeduxiſtis animas veſtros, quia vos miſiſtis me ad* JEHOVAM DEUM VESTRUM, *dicendo, intercede pro nobis apud* JEHOVAM DEUM NOSTRUM; *& ſecundum omne illud quod loquutus fuerit* JEHOVA DEUS NOSTER; *id nobis indica, & faciemus.* Amos: (b) *Quærite bonum, & non malum, ut vivatis;* &

(a) Cap. XLII: 20. (b) Cap. V: 14.

& erit vere JEHOVA EXERCITUUM *vobiſcum, quemadmodum dixiſtis. Odio habete malum & diligite bonum, & conſtituite in porta judicium: fortaſſis gratiam exercebit* JEHOVA DEUS EXERCITUUM *erga reliquias Joſephi. Quocirca ſic ait* JEHOVA DEUS EXERCITUUM, &c. In quibus vel ſimilibus locis nemo forte quærat emphaſin cum reſpectu ad hoc myſterium. Nulli enim adſunt characteres diſcretionis ſive in nominibus, ſive in rebus, ex quibus hoc myſterium eruas; ut analogis aliis, quorum ſpecimina modo producebam. Quando tamen certo credimus, hanc Sanctam Τριάδα involvi Divina Natura; & hoc arcanum ejus in aliis locis ipſius Veteris Fœderis plane tradi: ſi quis piæ huic meditationi hoc quoque in loco indulgeat, libenter fieri patior, nec velim vel auſim eam obſtinate refellere. Certius tamen teneo, Prophetam, ſive Spiritum ipſum, dum hic ter adhibet Nomen *Jehova Exercituum* ſ. Deus vel Dominus, in hac Appellatione Dei hic omnino ſingularem ſectari vim. Non illam ſane, quam jactat Abarbenel, Deum ſic appellare hoc loco ergo magnæ copiæ Judæorum & Ephraimitarum, agentium in Babylone, Aſſyria, Media, cum pauci tantum de Grege reverſi ſint ad Edictum Cyri in Terram Patriam; ut quo ſignificaret, ſe non illius tantum Popelli Terræ Canaäneæ, ſed omnium quoque Exulum, per alias terras ſparſorum, Dominum eſſe, & curam eorum minime deponere: quæ violenta & coacta eſt interpretatio, ut pleræque ingenii Abarbenelis. Certe Populus Abrahamidarum in Hiſtoria Exitus ex Ægypto non ſemel venit nomine Exercituum Dei, cum in ordines conſcriptus & diſpoſitus præeuntem ſibi haberet Angelum Fœderis, *Principem Exercitus Dei:* (a) ſed alia erat con-

(a) Joſ. V: 14.

conditio illius Populi, qui diſperſus inter gentes à Deo veluti neglectus nullam ſpeciem præferebat *Exercitus* vel *Exercituum Dei Jehovæ.* Genuina ſignificatio hujus ἐπικλήσιος ea ipſa eſt, quam produxi ad Jeſ. I: 9. Primam & præcipuam appellationis rationem petendam eſſe à Deo *Rectore Exercituum cæleſtium*, Angelorum videlicet, quorum miniſterio utitur in magno opere Providentiæ ſuæ circa res humanas: quæ ſola hic uſu venit, & mox (a) illuſtratur *Primo Viſo* luculento *Angeli* Populi inſidentis Equo rufo, & pone ſe habentis varii coloris & aſpectus Equos. de quo in loco. Cum enim Judæi reformidarent Perſas, quorum Imperatores hucusque ſe oppoſuerant *Ædificio Templi*: Deus eos monet, & identidem inculcat, ſe eſſe ſummum totius Univerſi Rectorem: magna Imperia Mundi ſibi ut Imperatori ſummo ſubeſſe: adverſus Numen ſuum & præter voluntatem ejus, nihil in iis committi: fluctus horum marium ad ejus dictum compeſci & placari, ut ſi in ſe collocarent *fiduciam*, proſpere omnia & ex voto iis eventura. Vidit jam Hieronymus. Quæ autem à me concepta fuerant ad expoſitionem hujus Appellationis, *Jehova Exercituum*, huic loco congruentia, legi poſſunt in Commentario Jeſaïæ, ad Cap. I: 9. Unum reſtat, de quo moneam. Propheta objectum, ad quod juſſu Divino orationem vertit, diſerte non appellat. Tantum ait, *Dices ad* ILLOS. Hic omnes, ut opinor, intelligunt *Populum Reducum*, qui Cap. XII: 1. veniunt nomine *Iſraëlis*: ſed Cl. Coccejus mavult hic ipſos illos intelligi *Patres*, de quibus actum erat vs. 2. *Deus vehementer efferbuit adverſus Patres veſtros.* ſc. *Præfectos Populi Dei*, ipſius temporis quo edita eſt hæc Prophetia. Quæ ſententia eſt paradoxa, & re-

(a) 7. ſqq.

redarguitur à *verſiculo* ſequente *quarto.* Populus enim hujus temporis *Patribus* exerte opponitur, & contradiſtinguitur. Confer Cap. VII: 8, 9. ſqq. Hic obſervandus eſt *canon*, alibi (a) à me demonſtratus, & ſat familiaris uſus: Subjeɛtum orationis, mente cogitatum, ſi ex nexu orationis, circumſtantiis & attributis ſuis cognoſci queat, ſæpe non exprimi, idque ad Linguæ pertinere elegantiam.

χ Exhortationis *Ratio*, petita ab Exemplo *Patrum.*

Vs. IV. *Ne ſitis ut* PATRES VESTRI, *ad quos vocarunt* PROPHETÆ PRIORES, *in hunc modum: Sic dicit Jehova Exercituum* Dominus: *Recedite, quæſo, à viis veſtris malis, & ab inſtitutis veſtris pravis: ſed non audiverunt, nec ad me adverterunt animum, ait Jehova.*] Proponit iis Vates exemplum Patrum, quibus Deo non fuiſſe audientes, & non reſipuiſſe, in noxam vertit. Oratio eſt rationalis. Exempla enim in illuſtri loco poſita, ſunt documenta rationis. Per *Prophetas priores* hic intelligendos eſſe Veteres, qui ante excidium Reipublicæ per Babylonios floruerunt, Haggæo, Zachariæ, aliis, ejusdem illius ætatis tanquam *poſterioribus* contradiſtinɛtos, nulla eſt dubitandi ratio, cum Vates noſter ſe ipſe interpretetur, Cap. VII: 7. *Annon hæc ipſa ſunt verba, quæ inclamavit Jehova per miniſterium* PROPHETARUM PRIORUM, *cum adhuc Hieroſolyma habitaretur, ſtatu pacato, & Urbes ejus circum eam, & Auſtralia ac Planities habitarentur.* Patet itaque inde quoque, per *Patres Judæorum* hoc in loco omnino intelligendos eſſe illorum majores, qui vixerant ante Exilium; neutiquam vero Præfeɛtos Populi illius ætatis. Erant *Patres* ejusmodi, de quibus quæri poſſet, איה הם *Ubi illi ſunt?* ut liquet ex commate

(a) Comm in Jeſ Part. 2 p. 52. a p 54 b.

mate ſequenti. Erant utique iidem, quos Prophetæ Veteres in hanc formam dicuntur inclamaſſe, *Convertite vos à viis veſtris malis & מעלליכם הרעים ab inſtitutis veſtris malis.* Ubi דרכים *viæ*, ſtylo ſacro, ſunt *mores*: מעללים ſunt tanquam ſecundum normam inſtituta, conſilia, ſtudia, ſecundum quæ mores & ratio vitæ componuntur; id ipſum ſane quod Græci ἐπιτηδεύματα vocant, οἱ O. in verſione hujus vocis plurimum uſi ſunt. Subinde tamen vox מעללים tam ἔργα *onera* & actiones ipſas, quam *ſtudia* & *inſtituta* earum complectitur, cum affinia ſint, cujus exemplum eſt Jeſ. III: 10. Qui autem & quales hi fuerint mores, quæ ſtudia & inſtituta, cognoſcere licet ex concionibus & Elenchis Prophetarum illorum priorum, qui ſuperſunt, & compendio exhibetur in inſigni loco 2 Chron. XXXVI: 14. ſqq. ſed illi dicuntur non *audiviſſe*, & ne *attendiſſe* quidem, ſc. affectu à Deo averſos, & in vitiis ſuis obduratos. Idem Vates noſter gravius effert Cap. VII: 11. *Et abnuerunt attendere, & uſi ſunt humero refractario, & aures ſuas aggravarunt, ne audirent: & cor ſuum poſuerunt ſilicem, ne audirent Legem & Verba, quæ mandavit Jehova* Deus *Exercituum in Spiritu ſuo per Prophetas priores.* Nihil fortius dici poteſt. Conferantur loca, præter modo productum, Jeſ. XXX: 12. Jer. XXV: 3—7. XXIX. 19. Subintelliges tamen ſemper: hæc dici κατὰ πολὺ μέρος, potiorem & longe maximam corrupti Populi partem, dum Deus ſibi omni tempore reſervavit *reliquias ſecundum electionem gratiæ.* (a) quod eventu comprobatum eſt. Itane vero, ais, cum Judæi reduces ex Exilio circa hanc tempeſtatem abſtenti ab idololatria & graviſſimis vitiis aliis

(a) Jeſ. X; 20, 21. Rom. XI: 5.

aliis purgati ac liberi eſſent: merentur tam dure tractari à Propheta, ut ſtatus ipſorum comparetur ſtatui Patrum, graviſſimis peccatis inquinatorum, & ad ipſorum tarditatem in ædificando Templo redarguendam, ex conſcelerata illa turba petendum fuerit exemplum? Sic eſt, hic ſtylus eſt Prophetarum, vitia in radicibus & fontibus ſuis inſpicientium. Viderunt illi peccata omnia ex uno maxime fonte alienati à Deo affectus; perinde ac virtutes omnes ex uno fonte amoris ac reverentiæ Dei, ſecundum illud Jacobi: (a) *Si quis in uno impegerit: damnas factus eſt omnium.* Sed clarius id quoque intellexerunt Prophetæ de interioribus hominum, indole & latentibus eorum vitiis, à Deo edocti, quam perſpicere poterant alii, quorum judiciis multorum hypocriſi illuſum eſt; ut inde acrimonia & aſperitas, quam in ipſorum convictionibus obſervamus, ut ſubinde modum excedere videantur, arceſſenda ſit; quemadmodum jam in ſuperioribus monere memini.

♪ Convictionis *inſtantia* ex eodem principio petita.

Vs. V. *Patres veſtri ubi ſunt? & Prophetæ* AN IN ÆTERNUM VIXERUNT? Vs. 6. *Veruntamen verba mea & ſtatuta mea, quæ præcepi ſervis meis Prophetis, an non aſſecuta ſunt Patres veſtros? ut convertentes ſe dixerint? Sicuti cogitaverat Jehova Exercituum Deus nobiſcum agere, ſic egit nobiſcum*] Inſtat Propheta convincens, docetque: ſi eadem via incedant, qua Patres, non poſſe alium expectare exitum, hoc eſt, triſte Dei judicium, quo diſperſi & diſpergendi ſubito & contra expectationem perituri ſint. Ad quod cum excipe-ret pars adverſa, quæ objectum faciebat hujus Elenchi, Pro-

(a) Cap. II: 10.

Prophetas quoque ipſos non amplius ſupereſſe, ſed ſuo quoque fato functos eſſe: Reponit Vates; ita quidem ſe rem habere, verum *verba* eorum *mortua non eſſe*, non *mori*, verum integram vim obtinuiſſe tum, ipſa Patrum confeſſione, & obtentura in poſterum. Relegamus ſententiam Vatis. *Patres veſtri* איה הם UBI SUNT? Communem interpretationem ferre, ait Abarbenel; Patres veſtri hunc viis ſuis invenerunt exitum ſecundum prædictiones & interminationes Prophetarum, ut interierint Judiciis Divinis, *fame*, *bello*, *peſte*, (a) ut dicat Vates, *Ubi ſunt*? dudum videlicet abſumpti Judiciis, quæ ſeveritas Divina iis ſtatuerat: ſed hæc verba rectius referri ad *diſperſionem* tum Ephraimitarum tum Judæorum per Aſſyriam, Chaldæam, & alias Mundi regiones, ut de iis quæri poſſit, *Ubi ſint*: non periiſſe enim *omnes*, ſed ſuperſtites ab invicem disjunctos, Patria ſua exactos, per terras omnes ſub cœlo diſperſos eſſe, ut triſtis ipſorum in Exilio inter peregrinos agentium ſit conditio: & ſane verum eſt, Moſen primo, dein reliquos Prophetas hoc malum iis ut inſigne interminatos eſſet. (b) Sed nihil obſtat, ea inter ſe conjungi, quæ ille disjungit. Illud, *Ubi ſunt*? ad utrumque referri poteſt; ut valeat, alios variis caſibus judicio Dei interiiſſe; alios vi interminationis divinæ, Patria ſua expulſos, per omnes Orientis regiones ſparſos eſſe. Eſt in Oratione Tſopharis Naamathite, apud Jobum, (c) loquentis de momentanea felicitate & lætitia improborum ac ſuperborum, quos, in altum evectos, ait, *inſtar ſtercoris ſui perire*, (hoc eſt, ex alto dejici in viliſſimum, infimum, occultum, & contemtiſſimum locum. אשפה dicitur

(a) Conf. Jerem. XXIV: 10. XXIX: 17, 18. Ezech. V: 3, 4. ſqq. (b) Deut IV: 27. Jer. XIII: 24 &c. (c) Cap. XX: 7.

citur Pſ. CXIII: 7. *ſterquilinium* Locus neglectus, in quem conjiciuntur *ſordes & excrementa*) *adeo ut videntes eum dicant* אי UBI ILLE EST? Ille ſc. modo in alto, & conſpicuo, ſe oſtentans loco, ſtabili & certa fide, ſplendida & prætexta veſte omnibus ſpectabilis ac reverendus? Quod ſequitur, *Et Prophetæ an in æternum* VIXERUNT? Malim, ait Druſius, *vivunt.* Recte. ſed pendet deciſio dubii à vera interpretatione verborum. Sententia non videtur ſatis liquida; quam tamen obſcuriorem fecerunt οἱ ο'. & Hieronymus, qui τὸ והנביאם *Et Prophetæ* à poſteriori membro avellerunt, in hunc modum: *Patres veſtri ſunt, & Prophetæ? Num quid in ſempiternum vivent.* Quod itaque Hieronymus refert ad *Pſeudo-prophetas*, qui & ipſi perierint cum his quos ſeduxerant. Verum non eſt probabile, vocem *Prophetæ* hic alio ſenſu ſumi ac *commate antecedente & conſequente* absque ullo charactere, qui doceat, hic *Pſeudo-prophetas* intelligendos eſſe. Id quoque, *an in æternum vivent*, vel *vixerunt:* ſi ſit accipiendum de pœna, in quam incurrerint *Pſeudo-prophetæ* cum Populo ſeducto, minus eſt, quam ut huic loco conveniat. Cum enim de vita animali agatur: obſequium mandatorum Dei non præſtat cultoribus Dei vitam animalem *æternam.* Ergo ut ambages vitem, Judæi antiqui temporis verum aſſequuti fuiſſe videntur, ubi hæc verba interpretati ſunt per modum oppoſitionis, ab ipſo Propheta adverſus exhortationem ſuam occupatæ; ut cum ipſe dixiſſet, *Patres veſtri ubi ſunt?* ipſe anticipando illorum objectionem, *At Prophetæ an in æternum vixerunt?* hoc eſt, *Dicetis*, ſi de majoribus veſtris dici queat, *ubi ſunt! Prophetas quoque in æternum non vixiſſe:* ſuo quoque defunctos eſſe fato: ad quod

ipſe mox reſpondeat, *ita quidem eſſe*, *verum Prophetias ipſorum fuiſſe immortales*, & *veriſſimum conſequutas eſſe implementum.* Paraphraſtes paucis verbis: ואם תימרון נביאיא לא לעלמא קיימין *Et ſi dixeritis: Prophetæ non vivunt in æternum.* Talmudici pariter; eosque ſequutus Jarchius. Senſus emergit duplex. Primus, ſi Majores noſtri mortui ſint; mortui quoque Prophetæ; nec videtur illorum adeo eſſe diverſa conditio, illi enim quoque mortem non effugerunt; & de illis quoque dici poteſt, *Ubi ſunt?* Alter; Prophetæ loquuti ſunt ad homines ſuæ ætatis. Illi jam functi ſunt fato, ipſorum conciones nos non ſpectant. Secundum priorem ſenſum vox יחיו vertenda eſt *vixerunt*; ſecundum alterum, *vivunt.* Abarbanel aliam adfert interpretationem ſui ingenii. Videlicet verba hæc referenda eſſe ad הפסק הנבואה *ceſſationem Prophetiæ*, quæ hoc tempore inſtabat, ut dixerit Vates: *Vos non ſemper vobiſcum habebitis Prophetas.* Prophetia brevi deſitura eſt. Non eſt abſurda ſententia, ſi cum ſequentibus cohæreret, ut ſi ſubjungeretur, Non habebitis ſemper inter vos Prophetas, qui vos de officio moneant, quam gratiam Deus vobis adhuc dum indulget: ergo, dum adſum ut verus Propheta, à Deo ad vos officii commonefaciendos miſſus, obſequioſe recipite meam exhortationem. Sed ſequentia aliud ſonant, & reſpondent his, quæ jam in medium protuli; ſecundum Paraphraſtæ ſententiam; quam dixi duplicem dare poſſe ſenſum. Quorum ſenſuum prior poſcit, ut vox יחיו *terminationis futuræ* accipiatur pro *præterito*. Quia enallage temporum eſt frequentiſſima. Liquidiſſimum exemplum occurrit Cap. VII: 13. *Quia* ſicut vocavit Jehova Deus, & non audiverunt, כן יקראו ולא

אשמע

אשמע *ſic vocarunt* (יקרא pro קרא) *& non audivi.* אשמע pro שמעתי Placuit quoque interpretatio Cl. Coccejo, à quo me hic non disjungo.

Reſponſum Vatis, ſecundum ſenſum à nobis electum, ita conceptum eſt, ut manifeſto ſit ellipticum. Non reſpondet Propheta id omne quod reſponderi poterat ad hanc objectionem; ſed neceſſaria, quæ ad rem faciebant; ut in aliis locis hujus generis. Integrum reſponſum ſic formes. Equidem non nego, Prophetas quoque, quod vos mihi objicitis, ſuo defunctos eſſe fato, & non amplius eſſe, verum *præterquam quod maxima intercedat diſſeritas inter exitum Prophetarum, qui ſecundum Dei voluntatem hanc vitam depoſuerunt & vere moriendo conſequuti ſunt vitam æternam, quod vos falſe mihi objicitis, & inter majores veſtros, qui judiciis Divinis oppreſſi, & quaquà vorſum diſperſi ex hac vita exceſſerunt*: ſufficit, quod ad vos, Prophetias ipſorum, & interminationes, immortales eſſe, & æternum obtinere & obtinuiſſe vim atque effectum, ut quod ipſi ad ſe redeuntes confeſſi ſunt, & vos quoque experientia diſcetis, niſi moniti à me meliora ſequamini conſilia, ab ipſis neglecta. Οἱ ό. haud dubie ellipſin orationis obſervantes, aliquid de ſuo addiderunt, ſuppleta ſententia ex Cap. VII: 12. *Quin ſermones meos, & ſtatuta mea recipite, quæ ego præcipio in ſpiritu meo ſervis meis Prophetis, quæ comprehenderunt Patres veſtros*, & ſqq. Non probo, etſi mutatio ſit exigua. Incipit reſponſio à voce אך, hic loci appoſitiſſima, quæ ſignificatione plane convenit Græcæ, πλὴν, qua hic pariter uſi ſunt οἱ ό. Obtinet notationem, vel reſtrictivam, *tantum niſi*, vel adverſativam, *veruntamen, ſed, verum*; quæ poſterior hic obtinet. Eſt enim ἀντίθεσις inter hæc verba, & *commatis* ſuperioris membrum *ulti-*

mum, ut jam monui. Per דברים *verba* & חקים *ſtatuta*, quæ Deus dicitur præcepiſſe *ſervis ſuis* Prophetis, res ipſa clamat, hic intelligendas eſſe tum *prædictiones & exhortationes* Propheticas; tum *Definitiones Judiciales* Fori cœleſtis, Judæis denunciatas. Vox חק ſecundum conſtantem ejus uſum ſignificat quid *definitum*, demenſum, circumſcriptum; atque adeo חקים vel חקות vel ſignificat *Definitiones Legales*, in omni forma ſua deſcriptas; vel *Definitiones judiciales*; ſive ipſis Legibus adjectas; ſive ſeorſim prolatas atque expoſitas. Qui ſenſus hic obtinet, perinde ac Jeſ. X: 1. חקקים *præciſa & definita judicia*, ad jus corrumpendum vel eludendum excogitata. Deus peccatis & criminibus Judæorum certam ſtatuerat *pœnam* transgreſſoribus legum ſuarum decretam, quam Tſephanias (a) חק *ſtatutum*, definitum vocat. Kimchius: גזרותי שגזרתי עליהם שימותו בחרב ברעב ובדבר ויגלו הנשארים *Decreta mea, quæ ſuper iis definiveram* (b) *fore ut moriantur gladio, fame, peſte, & reliqui pellantur in Exilium.* Eſt Vir Doctus, qui hanc vocis notationem refert ad locum Ezech. XX: 25. ubi Deus Judæis *dediſſe* dicitur חקים לא טובים *Statuta* (definitiones,) *non bona*, ſc. ſecundum ipſum, Execrationes, Legi adjectas. Sed non eſt nobis dubium, pertinere ad Statuta idololatrica Gentium omnium peſſima, qualia erant Phœnicum in cultu Molechi. Elegans hic pariter uſus eſt vocis השיג *aſſequi*, ubi *Verba & definitiones Dei* dicuntur *aſſequuta eſſe.* Expoſui vim vocis ad Jeſaïæ, Cap. XXXV: 10. (c) quæ hic omnem poteſtatem ſuam obtinet. Valet enim, quem citiſſimo gradu fugientem, veluti quem hoſtis aut ſpiculator perſequitur, celeriore gradu *aſſequi*, prehendere, ſui juris facere, Græcis καταλαμβάνειν, qua no-

(a) Tſephan II: 2. (b) Jer. XXI: 7. (c) Part. II. Comm. p. 303. b.

notione Græcus hoc loco propriiſſime utitur. Hoſtem vel ſpiculatorem intentiſſime fugiens lucratur moram, & nondum prehenſus dubium facit, an non ſit elapſurus & evaſurus periculum: Symbolum Divinæ Longanimitatis, qua Deus utitur erga peccatorem impœnitentem, cui judicia & decreta ejus minantur exitium. Etiamſi enim dilatæ punitionis ſpatium à Deo impetret, &, judicio imminenti, omni niſu & contentione id agat, ut judicium Divinum elabatur; & ſubinde etiam Deus permittat, ut elabendi occaſiones ſecundum res humanas ipſi videantur favere: Vindicta tamen Divina vel tarde & claudo pede, illum aſſequitur & prehendit, ut fugiens non effugiat. Quod cum experientia omnium temporum doceat & docuerit: mirum non eſt, Judæos, ad ſe *reverſos*, dum exemplum in ſe experti eſſent: idem agnoviſſe, & confeſſione ſua expreſſiſſe; aliquos *converſione* vera & perfecta, de qua Moſes: (a) aliquos, à conſcientia victos, imperfecta & ſimulata. Plures enim judicio Divino indurati corruptionem indolis ſuæ & alienatum à Deo animum cum æterno exitio conjunxerunt, ut liquet ex Libro Ezechielis. (b) Sed ea vis veri eſt, ut verum etiam invitis & reluctantibus exprimat.

(a) Deut. XXX: 3 (b) Ezech. XIV: 1. ſqq.

REVELATIO SECUNDA,

Complexa *Viſa Octo*, cum Appendice de *Coronis*, imponendis Capiti Joſuæ.

Viſum primum *Equitis* in *Myrteto*.

Exhibens σχῆμα ſpirituale Providentiæ Dei profundis & arcanis conſiliis ejus nixæ, ſecundum quam res Mundi per Principem Angelorum Filium ſuum, ei ſubjectos Miniſtros, ſic adminiſtrat, ut convenit ſtatui Eccleſiæ per prædicta & promiſſa definito ac circumſcripto.

Verſ. 7. *Die viceſimo quarto menſis undecimi, qui eſt menſis Schebat, anno ſecundo Darii, obtigit verbum Jehovæ Zachariæ, Filio Berechiæ, filii Iddo, Prophetæ, in hunc modum:*

Verſ. 8. *Vidi hac nocte; & ecce: Vir inſidens Equo rufo, & ipſe conſiſtebat inter myrtos, quæ erant in profundo, & pone ipſum Equi rufi, gilvi & albi.*

Verſ. 9. *Et dixi, Quinam illi Domine mi! & dixit mihi Angelus mecum loquens: Ego oſtendam tibi, quinam illi ſint.*

Verſ. 10. *Et reſpondit vir ille conſiſtens in myrteto, & dixit: Hi illi ſunt, quos miſit Jehova ad perambulandam terram.*

Verſ. 11. *Et reſponderunt Angelo Jehovæ ſtanti inter-*

ter myrtos, & dixerunt. Perambulavimus terram & ecce! tota terra reſidet, & quieſcit.

Verſ. 12. *Et reſpondit Angelus Jehovæ, & dixit: Jehova exercituum: usque quando Tu non miſereberis Hieroſolymæ, & civitatum Judæ, quibus graviſſime indignatus fuiſti hiſce ſeptuaginta annis?*

Verſ. 13. *Et reſpondit Jehova Angelo loquenti mihi verba bona, verba conſolatoria.*

Verſ. 14. *Et dixit ad me Angelus, qui mihi loquebatur. Clama in hanc formam. ſic dixit Jehova exercituum* Dominus: *magno zelo affectus ſum erga Hieroſolymam & Tſionem.*

Verſ. 15. *Et excandeſcentia magna exarſi in gentes illas tranquillas; quod cum Ego efferbuerim paululum, illæ adjuverint in malum.*

Verſ. 16. *Propterea ſic dixit Jehova: revertar Hieroſolymam cum miſerationibus: domus mea ædificabitur, & linea extendetur ſuper Hieroſolyma.*

Verſ. 17. *Adhuc clama in hanc formam: Sic dixit Jehova exercituum* Dominus: *adhuc exundabunt civitates meæ bono: & conſolabitur Jehova Tſionem: & eliget adhuc Hieroſolymam.*

§. I SEcunda Revelatio, circumſtantia temporis notata, cum plura complectatur, eaque illuſtria Viſa: Primum Eorum eſt; Equitis Prophetæ de nocte ſive per quietem ſive per ecſtaſin, inſidentis *Equo rufo*, ipſi exhibiti in myrteto profundioris alicujus Vallis; & pone eum Equorum rubrorum, ſpadiceorum, & alborum: quod Viſum cum miraretur, & ex interprete ſibi adjuncto per-

con-

contaretur; Quid myſterii huic Viſo ſubeſſet: Eques myrteti ipſe expoſuit, quid ab Angelo Interprete Prophetæ reſponderi vellet, & myſterium declaravit, & quidem ipſo effecto. Vidit enim præſens audivitque Propheta, Equites illos diſcoloribus Equis inſidentes ad ipſum ut Principem Dominumque ſuum retuliſſe, quo ſtatu res mundanæ ſe hoc tempore haberent inter gentes, ad quarum ſtatum inſpiciendum ab Angelo Myrteti miſſo fuerant, eſſe nimirum ſtatum earum pacatum ac tranquillum. Unde cum intelligeret Eques Myrteti, hoc ipſum tempus commodiſſimum eſſe ſtatui Gentis Judææ, huc usque tenui & afflicto, erigendo & conſtabiliendo: aſſumit perſonam Interceſſoris, & Jehovam ſupplex interpellat, ut ſtatus Populi & Eccleſiæ Judææ hac commoditate temporis Propitius miſereatur. Ad quam interceſſionem benevolum à Deo accipit reſponſum, quod ipſum Prophetæ innoteſcit per Angelum Interpretem; qui ipſe Angelus Interpres Prophetæ in mandatis dabat, ut ſummam illius reſponſi Populo ad illius ſolatium promulgaret: eſſe nimirum Deo propoſitum, effectis indignationis, in Populum conceptæ, quam proximis LXX annis certis documentis experti fuerant, illos eximere; contra vero miſerationis & gratiæ ſuæ luculenta iis facturum indicia, in inſtaurando Templo, & Hieroſolyma, & univerſo ſtatu Reipublicæ proſperis lætisque eventibus recreando.

§. II. Atque hic ipſe eſt unicus Viſi ſcopus, quippe quod totum eſt argumenti Conſolatorii. Docebit nos illius penitior inſpectio & interpretatio; exhiberi nobis hoc Viſo exemplum Divinæ Providentiæ circa res humanas, & præſertim circa res Eccleſiæ, ut adminiſtrantur à Filio Dei, magno præſide & Curatore Populi Dei, & in-

in omnibus articulis temporum, quibus Eccleſiæ ſecundum voluntatem Patris opituletur & ſuccurrat. Quod magnum myſterium conſilii ac providentiæ Divinæ ſancti tenebant ſub Oeconomia Vetere. Exegeſis rem totam planam faciet: quare opus non fuerit plura de eo hoc tempore monere.

§. III. Occaſionem huic Revelationi præbuit circumſtantia temporis, in ſuperioribus à nobis late expoſita: nempe hoc anno ſecundo Darii præciſe effluxiſſe tempus LXX annorum quod Deus ſeveritati ſuæ præfiniverat, ſecundum latiſſimum ejus terminum. Erant, ut ſupra docui, termini hujus periodi duo. Prior incidebat in initia Imperii Babylonici Cyri Regis à quarto anno Jehojakimi: poſterior à Deſolatione Templi uſque ad Annum *Secundum* Darii Hyſtaspis Filii. Hic terminus erat extremus, ultra quem protendi non poterat implementum promiſſi, ſalva Dei veritate: quare Angelus in interceſſione ſua ad Deum pro Populo: (a) עד מתי QUO USQUE *non miſereberis*, &c. acſi diceret, *adeſt terminus extremus.* Poteras jam ante, integra fide tua, ejus miſertus eſſe: ſed cum huc usque diſtuleris, æquum eſt non differri amplius. Terminus temporis adeſt.

§. IV. Partitionem Viſi ſive Revelationis absque ullo negotio ſic conſtitues.

- α Circumſtantia temporis, quo Revelatio edita eſt vs. 7.
- β Ipſius Viſi narratio ſive hiſtoria vs. 8——17. Ubi.
  - α Viſum ipſum Angeli ſtantis in myrteto cum Angelis Equitibus illius miniſtris, vs. 8.

O β In-

(a) Cap. I: 12.

β Interpretatio Viſi Prophetæ facta ab Angelo Interprete, cum Angelo Equite colloquente, vs. 9-11.

γ Adjunctum, *Interceſſio* ab Angelo Equite facta pro Populo Dei. Ubi,

α Interceſſio ipſa, vs. 12.

β Reſponſum ad interceſſionem vs. 13.

γ Subjunctum mandatum ad Prophetam editum de promulganda ſumma Viſi hujus conſolatorii ad conſolationem & lætitiam Populi Dei, vs. 14-17. cujus mandati ſunt duæ inſtantiæ prima, vs. 14-16. altera, vs. 17.

α Circumstantia temporis Editæ hujus Revelationis.

Vs. 7. *Die viceſimo quarto menſis undecimi, qui eſt* MENSIS SCHEBAT, *anno ſecundo Darii, obtigit Verbum Jehovæ Zachariæ, Filio Berechiæ, Filii Iddo, Prophetæ in hunc modum*] Pertinet utique ad accurationem recenſendæ Prophetiæ, ejus noſſe hiſtoriam: quod minus neceſſarium in Vaticiniis, quorum implementum in longum differtur; ſed plurimum faciebat ad commendandam veritatem hujus Prophetiæ & proxime ſequentium, quarum implementum erat in proximo. Edita fertur die *viceſimo quarto menſis undecimi qui eſt menſis Schebat.* Monent Hebræi, (a) quod poſt ipſos alii; nomina menſium, quæ in hoc Libro & in Volumine Eſtheræ occurrunt, videri eſſe Chaldæa, vel Syra: ſiquidem in aliis Libris Sacris eorum uſus non eſt. Quod ita ſe habere, non eſt dubium. Et eſt tamen id accipiendum cum hoc temperamento, Hebræos ante migrationem Ba-

(a) Aben Ez. Kimch.

Babylonicam non caruiſſe nominibus menſium antiquiſſimi uſus & originis Hebraæ ut videtur, ut ſane ſunt, Nomina menſium, *Abib*, (a) qui poſtea *Niſan*; Menſis primus: *Ethanim*, qui *Tiſri*, ſeptimus; (b) *Buul*, qui *Marcheſvan*, octavus: (c) *Ziv*, qui *Jiar*, ſecundus: (d) ſed Exules in Syria & Meſopotamia, etiamſi hactenus uſum Linguæ ſuæ non mutarint aut perdiderint; facile ſibi adſciverunt appellationes Menſium Chaldæas, quarum in commercio uſus erat familiaris: eodem fere modo, quo Belgæ, poſtquam Feſta & Sacra Romanenſia, certis temporibus adſtricta, in Religionem ſuam receperint: longe frequentius uſurpant nomina Menſium Romana, (inde enim putem arceſſendam eſſe hujus uſurpationis originem,) quam propria & patria, quæ extant, & à curioſis Linguæ non negliguntur. Menſem vero שבט Schebat, undecimum Anni Sacri, proxime præcedentem τοῦ *Adar*, qui annum claudit, ſatis conſtat partim Januario, partim Februario noſtro reſpondere. Sed quia Kalendæ Menſium in Anno Judaico per totum Cyclum Lunarem variant, licet annus Lunaris Judæus cum Solari per Menſes embolimæos comparatus ſtabilem ordinem ſervet per omnes annos illius Cycli decennovennalis: dies hic cum diebus noſtrorum Menſium Civilium componi nequit, niſi certum Cycli annum primo ex hiſtoria demonſtraveris, deinde ex Mullerianis (e) vel Petavianis (f) Tabulis, anni illius cycli characteres. Quod, licet diligentia hominis in Aſtronomicis aliquatenus exercitati ſuperius non ſit; ſi confeceris, nihil tamen, quod video, profeceris: quia numero diei nullum, quod ſciam, involutum eſt my-

O 2

(a) Exod. XIII: 4. Deut. XVI: 1. (b) 1 Reg. VIII: 2. (c) 1 Reg. VI: 18. (d) 1 Reg. VI: 1. (e) De *Anno Jud.* Cap. IV. p. 28, 29. (f) De *Doctrina Temp.* Lib. VII. Cap. XVII.

myſterium. Menſis Schebat præter hunc locum extat memoria in Maccabaicis. (a)

β Narratio Viſi

α *Materia* ſive *Subſtantia* Viſi ipſius.

Vs. VIII. *Vidi hac nocte*, & *Ecce* ALIQUIS *inſidens Equo rufo*, & *ille quidem conſiſtebat inter myrtos*, *quæ erant in profundo*; & *pone ipſum Equi rufi*, GILVI, & *albi.*] Exhibent verba eam Viſi partem, quæ ipſam facit illuſtris Viſi ſubſtantiam, & baſin. Quando autem duo hic mihi agenda ſunt, primo quidem ut ipſum emblema ſecundum genuinum narrationis ſenſum rite conſtituam: ſecundo, ut ſenſum ſpiritualem ſecundum partes ejus inveſtigem atque interpreter. Utrumque ſic exequi propoſitum eſt, ut hæc duo inter ſe non permiſceam.

Vs. VIII. *Vidi* הלילה HAC NOCTE.] Teneo, ſimpliciter verti poſſe *de nocte*, *per noctem*, *nocte*, ut Chaldæus, בליליא; & putem tamen ex mente Prophetæ, rectius verti *hac nocte*, cum id conveniat *præfixo demonſtrativo*, & Propheta utique ipſum diem hic adſcripſerit, atque adeo ἀορίστως intelligi nolit, quod ipſe *definirit*. Intelligitur itaque *nox* quæ præceſſit *lucem* Diei *viceſimi quarti Menſis Schebat*, pro more Hebræorum, qui νυχθήμερον incipiebant à veſpera. Quod vero Prophetæ *de nocte* facta ſit hæc Viſio, videri poſſet illorum favere ſententiæ, qui Revelationem hanc Prophetæ obtigiſſe autumant per *ſommium*. Non eſt hic, fateor, magna differentia. Fuerunt enim *Somnia* Prophetica, quæ proxime ad Viſa Ecſtatica acceſſere. Sed analoga Viſa noſtri Prophetæ exhibent characteres Viſorum Ecſtaticorum. Velim præterea obſervari, ubi Revelationes nocturnæ Prophetis contigerunt *de nocte* per *ſomnium:*

nium:

(a) 1 Macc. XVI: 14.

nium: id exerte adſcribi. Sic moſes: (a) *Et venit Deus ad Abimelechum per ſomnium* חלילה HAC NOCTE ſive *nocturno* Mox in ſequentibus בחלום חלילה *Somnio nocturno*. & alibi. (b)

Et ecce? Vir, inſidens Equo rufo.] Ex circumſtantiis hujus narrationis facile colligas, *Virum* hunc apparuiſſe Prophetæ forma ſpectabili: ſed id neutiquam ex ipſa voce איש colligas, quæ eſt uſus promiſcui. איש *Vir* in hoc loco idem valet, quod *aliquis*, Latinæ Linguæ minus curioſis, *perſona*. Sic mox initio primæ Odæ: אשרי האיש *beatus eſt ille Vir*: nullam emphaſin quæres in notione איש velut ſpectabilitatis, fortitudinis, ſtrenuitatis; ſed accipies, ac ſi dictum eſſet, *beatus ille aliquis*. Beata perſona. Eſt hic frequens uſus vocis ἄνθρωπος in ſcriptis Novi Teſtamenti, quæ reſpondet voci איש apud Hebræos perinde ac ἀνὴρ, ſed quæ frequentius uſitata. Apoſtolus ad Athenienſes; (c) *Eo quod ſtatuit* (Deus,) *Diem, quo juſte judicaturus eſt orbem terrarum* ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε *per* VIRUM (non, per ILLUM *Virum*, ut Beza.) *quem definivit*. h. e. per certam aliquam *perſonam* quam *definivit*. Ad *ſexum* aut ſexus virilis attributa hic plane non reſpicitur. In eodem Libro: Ἀνὴρ Αἰθίοψ Εὐνοῦχος. *Vir Eunuchus*. Vir non Vir. Ergo Ἀνὴρ hic idem quod πρόσωπον ἀνθρώπου. Atque hunc *Virum* vidit Propheta רוכב *vectum*, ſive *ſedentem* ſuper *Equum rufum*. Hoc rectius, *ſedentem ſuper Equum* ſive *inſedentem Equo*, ut Piſcator. Hieron. *Vir aſcendens ſuper Equum rufum*. Imitatus eſt τοὺς ό. Ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ἵππον πυῤῥὸν, quod in antiqua Itala eodem modo vertitur; & tamen rectius ſonat, *Qui aſcendit* ſive *aſcenderat*. Sed vox רכב non eſt *aſcendere*, ſed *vehi*,

(a) Gen. XX: 3. (b) Gen. XXXI: 24. (c) Act. XVII: 31.

vehi, aut *ſedere* in Equo, jumento, curru. Non probo etiam illud Cocceji, *Equitans*. Figura enim emblematis Equitem hunc inducit abſque motu, tanquam *conſiſtentem*, ut protinus videbimus. De *colore* Equi, qui mox iterum, (a) & alio loco Prophetæ (b), perinde ac in Apocalypſi, (c) memoratur, nihil plane monendum habeo; præter animadverſa Cl. Bocharti. (d) Idem videtur eſſe *color*, qui in Equis *ruſſus* vel *ruſſeus* dicitur, non *acute*, ſed *dilutius rubens*; in Equis vulgatiſſimus. Belgica inde appellatio, ſpeciei toti communis, facta, *Het ros*. Non reſpici hic colorem *igneum*, ſed *rufum*, liquet ex genuina interpretatione emblematis Cap. VI: 2. Homerus quidem non ſemel laudat Equos αἴθωας, ut maxime Aſii Hyrtacidæ ἵππους αἴθωνας μεγάλους, Iliad. XII. vs. 96. Sed ſunt illi *coloris ardentis*, inſtar flammei; nigro colore in ardentem mixti. Hic color reſpicitur *ſanguineus*, ſive *phœnicius*, qualis ſtipati, laudatus ab Homero Iliad. Lib. XXIII. (Spond. p. 403.) ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν. ἐν δὲ μετώπῳ λευκὸν σῆμα ἐτέτυκτο, περίτροχον ἠΰτε μήνη. *Qui quidem totus rufus erat; ſed in fronte album ſignum erat veluti luna.* Interim de *habitu* ſive *figura* Equitis nihil hic definitur; atque eo ipſo nos docet, notitiam ejus vel neceſſariam non eſſe ad intelligentiam Emblematis; vel quicquid ejus hic neceſſarium cognitu eſt, ex aliis partibus emblematis colligi poſſe. Liquet, a. Eſſe perſonam ſpectatam, & quidem publicam, quippe quam alii ſimilis officii, & ordinis, tanquam ſuperiorem, Ducem, & Dominum reſpiciunt. b. Nec tamen hic comparere ſpecie *Imperatoris*, tanquam præituri Equitibus ſuæ ſectæ in prœlio, quia liquet ex

tota

(a) אדומים Zach. I: 8. (b) Zach. VI: 2. (c) Apoc. VI: 4. (d) *Hieroz.* Part. I: Lib. II. Cap. VII.

tota περιστάσει hujus Viſi, cæteros equites non eſſe equites militares; ſed nuncios à primario Equite miſſos ad res hominum inſpiciendas, earumque ſtatum ad ſe referendum. Tenemus itaque, hunc Angelum à Vate viſum eſſe ſpecie Viri principis inſidentis equo absque inſtrumento vel ornamento ullo alio, miniſtris ſuis parati mandata dare, ſatellitio domeſtico equeſtri ſtipati, & relata ad ſe ab iisdem accipere, prout circumſtantiis rerum & terræ, cujus ipſi commiſſa eſſet procuratio, conveniret: cujusmodi Satrapas Provinciis adminiſtrandis præfectos olim habuerunt Perſæ, & populi alii antiqui ac recentioris temporis.

Et ipſe conſiſtebat inter myrtos, quæ ERANT *in profundo.*] Hunc ſenſum exhibent Hebræi; ut hoc tempore leguntur, & conſtat ex Paraphraſi Chaldæa; & ex *Fragmentis* Nobilii, Aquilam & Symmachum pariter legiſſe הדסים *myrtos*. Docet enim Theodoretus, illos vertiſſe μυρσινεῶνας. Eſt autem μυρσινεὼν idem quod μυῤῥινὼν, vel μυρσινὼν *myrtetum*, ut Druſius recte videtur obſervare. Et eſt tamen hic dignum animadverſu, LXX Intt. hic à ſectione Hebræa multum variare. Vertunt verba: ϗ ὗτος εἱστήκει ἀνὰ μέσον τῶν ὀρέων τῶν κατασκίων. *Et ipſe ſtabat inter montos umbroſos.* Verſio vetus: *Et ipſe ſtabat inter* DUOS *montes umbroſos.* Sic pariter Cyrillus legit, & Cod. Alex. δύο ὀρέων: Aldinus. Δύο τῶν ὀρέων. Differitas lectionis hic magis eſt notabilis quam alibi, cum figuram emblematis mutet. Aliud utique eſt *ſtare inter myrtos*, aliud *inter montes* & quidem *umbroſos*. Eſt ne ut interpres pro ההדסים *Hahadaſſim* legerit ההרים *Heharim* ſive *Haharim montes*? & vocem במצלה *profundum* duxerit à צל *umbra*? Poſterius nullum dubium; nec eſt alienum à more hujus Interpretis,

tis, ſignificationes thematum, quæ iisdem Literis *Radicalibus* conſtant, confundentis. Originarium thema צלל *mergi*, *obſcurari*, involvit *obſcurationem*; ut adeo quod hic dicitur במצולה *in profundo*, ab ipſo verti potuerit *in obſcuro*, *in umbra*, ut ſunt *valles* mediæ inter *montes*, Græcis κατάσκιαι, *opacæ*, *inobumbratæ*. Hac itaque parte nulla hæret difficultas. Sed prius eſt impeditius. Voces ההרים & ההדסים ſcriptione & notatione nimium diſtant, quam ut facile confundi potuerint. Interpres ex mea ſententia, cum non perciperet ἁρμονίαν partium hujus emblematis quo *equites* dicuntur *ſtare* in *myrteto*, reſpiciens ad Viſum Cap. VI: 1, 2. quo *currus quatuor* exhibentur procedere é medio *duorum montium*: utrumque inter ſe inſtituit comparare, atque adeo ſibi perſuaſit, vel ipſe ex ingenio finxit, hic commodius legi *montes*: unde lectionis hujus origo. Primo ſimpliciter ſcriptum eſt, *inter montes*: inde, ut utriusque loci παραλληλία conſervaretur; *inter duos montes*. Certe ſi ita legeretur: non mutarem. Eſt enim *duorum montium* ibi liquidiſſima interpretatio, quæ etiam hic locum poſſet habere. Quin cum difficulter à me impretrarem, ut mihi perſuaderem, interpretem absque ullo ſibi ſubnata occaſione *myrtos* hic mutaſſe in *montes*: venit, fateor, in mentem, forte in Codice, quo uſus fuit, vel in primigenia lectione ſcriptum fuiſſe עמד בין ההדסים אשר בין ההרים במצלה *ſtabat inter myrtos*, *quæ erant inter montes*, (vel, *duos montes*,) *in profundo*. ſc. in *Valle*, inter duos montes media. Sed cum nemo Verbi divini reverentior hic velit vel auſit absque graviore ratione diſcedere à lectione Hebræa & Chaldæa, ab Aquila & Theodoreto confirmata: repellendi ſunt omnes luſus ingenii, & tenendum quod præ manibus eſt; in quo nihil vitii.

Cu-

Cætera vocem הדסים cum communi Interpretum verti per *myrtum*, notiſſimi nominis & multæ laudis arborem, de qua mox plura monenda erunt. Sic ipſi *οἱ Ο.* in cæteris locis, in quibus vox הדס occurrit. *Μυρσίνη Myrtus*: (a) Idem, ut videtur Eruditis Viris, quod עץ עבות *ξύλον δασὺ Lignum denſum. Arbor ligni & folii denſi*, in Levitico. (b) Alias circumſtantias præterit Hiſtoria Viſi. An nimirum Eques in medio ſpatio circulari hujus myrteti, quali fere figura ampliſſimi horti inſtruuntur, num potius inter ordines myrtorum, & ſeries conſpectus ſit Eques, ejusque Miniſtri. Si id ad myſterii intelligentiam ſcitu neceſſarium judicaret Propheta: utique adſcripſiſſet. Quod cum non egerit: quæſita in medio relinquenda ſunt.

Et pone ipſum EQUI *rufi*, GILVI, *& albi.*] Sub *Equorum* nomine intelliges *Equites*, iis inſidentes; qui pone Equitem primarium hic ſtetiſſe dicuntur, non ut *milites* pone Imperatorem, ſed ut *Miniſtri* honorarii pone ſuum *Dominum*, eorum opera in Legationibus utentem. Nihil itaque hic hæret dubii, niſi quid *coloris* ſignificetur ſub nomine שרקים, *Serukim*, qui hic inter *rufum* & *album* medius ponitur; de quo cum inter Doctos non conveniat: ſubſidium hic nullum peti poteſt niſi ex derivatis thematis radicalis שרק quæ nos ducere videntur ad *colorem*, inter *album* & *rufum medium*, *ſubflavum* videlicet, qualis Latinis *gilvus* dicitur, (quomodo deſcribitur A. Gellio, (c)) vel *ſpadiceus*, quorum uterque in Equis laudatur. Jovius in hiſtoria Car. VIII. Hiſt. Lib. III. p. 219. *Nec Mantuanus* (dux) *regiæ ceſſit liberalitati. Nam cum duos eximiæ proceritatis equos, quorum alter mille aureis venierat, dono accepiſſet:*

P *aliud*

(a) Jeſ. XLI: 19 LV: 13. Nehem. VIII: 17. (b) Cap. XXIII: 40.
(c) *Noct. Attic.* Lib. XIII. Cap. XXX.

aliud ipſo nobiliſſimum par regi dedit, *quorum* alter SPADICEO *erat* COLORE, *natus in Calabris*, *qui incredibili ad ſeſſoris nutum agilitate*, *&* *in* gyros *circumflexus*, *&* *curſu* ac *ſaltibus incitatus*, *ſtupentibus Gallis*, *regem ſummopere delectavit*. Prius placuit Bocharto, cujus operoſior diſquiſitio eſt de hoc argumento: (a) poſterius Coccejo. Utrum ſectatus fueris: non interfuerit multum. Sunt enim ſententiæ affines, &, ut mihi videtur, vero proximæ.

β *Interpretatio Viſi* facta ab *Angelo Interprete*, qui Prophetæ aderat, cum *Angelo Equite* colloquente]

Vs. IX. *Et dixi*, *Quinam illi*, *Domine mi! Et dixit mihi Angelus mecum loquens*, *Ego oſtendam tibi*, *quinam illi ſint.*] Comparet hic perſona, hactenus non expreſſa, nec recenſita in ipſo phantaſmate hujus emblematis; quem liquet eſſe *Angelum*, CUM PROPHETA LOQUENTEM, ex quo Propheta percontatus eſt interpretationem eorum, quæ in Emblemate hujus Viſi ignorabat, appellatione honoraria *Domine mi*. De quo *Angelo* duo quæruntur; Primo, An *Angelus* hic ſit diverſus ab *Angelo Equite*, conſiſtente inter myrtos? Dein, ſi omnino ab eo ſit diverſus: utrum ſit Angelus gregarius, num potius ἔξοχος, ſic excellenter dictus, unus aliquis *Principum primariorum*, (b) ipſe videlicet *Spiritus S.*, hypoſtaſis Divina? Prius, ſi legeris contextum Viſorum hujus Libri, videtur facillimum, eſſe videlicet *Angelum* Interpretem, qui Prophetæ in Viſis hiſce ubique aderat, ut quæ obſcuriora in iis videbantur, declararet; atque adeo plane diſtinctum ab *Angelo Equite*, qui hujus Viſi præcipuum fecit Objectum. Si idem fuiſſet Angelus *Eques*, conſiſtens *inter myrtos*, & *An-*

(a) *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. VII. (b) Dan. X: 13.

gelus Interpres Viſorum, qui *Prophetæ aderat*: cur à diverſis *epithetis* deſcriberetur? Angelus vero Interpres non tantum per hoc Viſum, verum etiam per ſequentia ubique occurrit. Sic mox in altero Viſo de quatuor cornibus: (a) *Et dixi ad* ANGELUM LOQUENTEM MECUM. Rurſus in ſequenti de dimenſione Hieroſolymæ, ubi hic Angelus per ipſiſſimum hunc Characterem ſuum ab alio Angelo diſcernitur. Verba Vatis: (b) *Et ecce!* ANGELUS QUI MECUM *loquebatur*, *egrediebatur*, & ANGELUS ALIUS *egrediebatur in occurſum ejus*. Confer reliqua, nec falles. Et ſunt tamen inter Interpretes hujus Libri, qui facilem hanc & planam ſententiam, quæ cuique orationem legenti ultro ſuboritur, deſerunt, & contendunt, eſſe unum idemque *Subjectum*, in quod utrumque hoc epitheton competat. Ratio iis palmaria eſt, quia cum Vates quæſiviſſet ex *Angelo, qui cum ipſo loquebatur*, idem *reſpondiſſet*, ſe ipſi demonſtraturum, *Quænam illa eſſent*, ſc. *Equites* pone primarium Equitem ſtantes, quod exercebat ſanctam & piam curioſitatem Prophetæ: tamen accipiſſe dicitur *reſponſum* ab *Equite qui ſtabat inter myrtos*. videri autem probabile, eundem reſpondiſſe Prophetæ, à quo reſponſum petierat, & qui reſponſum ei condixerat. Sed evaneſcit totum hoc dubium, ſi ſupponatur, factam hic eſſe interlocutionem inter duos hoſce Angelos, quam Propheta in narratione Viſi prætermiſit, cujusmodi ellipſium in Hiſtoricis & Propheticis uſus eſt frequentiſſimus. Poſtquam percontatus eſſet ex *Angelo Comite*, Quid illa ſibi vellent: ſupponendum eſt, Angelum Comitem Vatis hoc Quæſitum, tanquam à Zacharia factum, iisdem verbis retuliſſe ad *Angelum Equitem*: qui itaque ipſe reſponſum *immediate* reddidit,

(a) Cap. I: 19. (b) Cap. II: 3.

didit, non Zachariæ, ſed *Angelo comiti* in gratiam Zachariæ; & ſimul ipſo facto & exemplo demonſtravit Zachariæ, quid *Equites* illi pone ſtantes ſibi vellent? quando ipſi Equiti primo, tanquam Domino, coram Propheta ſolenniter reddiderunt rationem ſtatus præſentis rerum publicarum Orbis, & præſertim Imperii Babylonici. Idem rurſus obſervandum vs. 13. *Et reſpondit Jehova Angelo loquenti mecum verba bona.* Sic interpretare, *Et reſpondit Jehova Angelo-Equiti ſtanti inter myrtos*, qui interceſſione defunctus fuerat, & per illum Angelo *Comiti* ſive Interpreti, qui mecum loquebatur. Eodem plane modo, ut in Viſo dimenſionis Hieroſolymæ Cap. II: 3, 4. *Angelus* aliquis anonymus dicitur occurriſſe *Angelo* Comiti Prophetæ, & ipſi in mandatis dediſſe, ut referret ad Prophetam myſterium illius Viſi. Atqui ille Angelus ille ipſe, qui hoc in Viſo occurrit ſub Emblemate Equitis, ipſe ſc. Michael, Filius Dei, ut in loco videbimus; quod ex ipſo illo Viſo dudum agnitum eſt ab Interpretibus. Sic ſolutus nodus nemini, ut ſpero, amplius negotium faceſſet.

Alterum, quod quæritur, an hic Angelus comes ſit creatorum miniſtrorum *Angelorum* unus, num forte *Spiritus* excellentioris naturæ, & quidem ipſe Dei *Spiritus*, ſic κατ' ἔμφασιν dictus per Scripturas Divinas? Amplexus eſt ſententiam Cl. Coccejus, nullos laudans ὁμοψήφους antiqui vel recentioris temporis; etſi certum ſit, fuiſſe qui hanc profeſſi ſunt hypotheſin Sæculo quarto; ſed erant illi ex Arianis πνευματομάχοις. Didici illud ex Epiſtola Athanaſii (a) ad Serapionem; qua demonſtrat, Spiritum S. non eſſe creaturam, quæ ad Serapionem Epiſtola prima eſt hujus argumenti. Poſſet ſe ſententia hæc ſimpliciter accep-

(b) Tom. I. Ed. Col. p. 173. 185. 186

cepta ſuſtinere, ſalva veritate orthodoxa de Spiritu ſancto. Quod enim aliqui hic objiciunt, Spiritum S. nullibi in Scriptura S. dici *Angelum*; quam eſt leve, & leviſſimum? An non Spiritus S. ſubordinatus eſt Deo Patri in omni Oeconomia Operis Gratiæ æque ac *Filius*? Quid illud, quod Filius Dei apud Jeſaïam: (a) *Et nunc Dominus Jehova* MISIT ME & SPIRITUM SUUM. Quomodo verba vertenda eſſe, in loco demonſtravi. Paulus ad Galatas: (b) *Quoniam autem eſtis filii, Deus* SPIRITUM *Filii ejus* EMISIT *in corda veſtra*. Qui *mittitur*, an non recte dici poteſt *Angelus*? Imo vero ipſæ notiones רוח *Spiritus* & מלאך *Angelus* hic plane συμφωνέσι, ut facile colligas ex Pſ. CIV. 4. *Angeli* ſunt πνέυματα λειτουργικὰ, id ipſum quod Hebræi רוחות vocant. Alibi, (c) *Advocatus autem ille*, SPIRITUS SANCTUS, *quem mittet Pater in nomine meo*. Eſtne itaque, ut Spiritus S. uberiore copia donorum gratiæ mittendus & miſſus ſub Oeconomia gratiæ, operatus fuerit in ſanctis ſub Oeconomia Vetere absque *miſſione*? Quin videri poſſet ipſum ἐπίθετον, à quo Interpres hic Prophetæ appellatur הדבר בי *loquens mecum* vel etiam IN ME, huic favere ſententiæ, quippe non tantum *loquuti* ſunt Prophetæ per *Spiritum*, τὸν ἐν αὐτοῖς (d) IN *ipſis qui erat*, ut Vir Doctus obſervavit; verum etiam in loco 2 Sam. XXIII: 2. Auctor Revelationis Ecſtaticæ, Davidi in extremis factæ inſpiratæque, qui haud dubie fuit ipſe Spiritus S., ipſiſſimo hoc epitheto deſcribitur: רוח יהוה דבר בי SPIRITUS JEHOVÆ LOQUUTUS *eſt in me*, & *verbum ejus ſub Lingua mea*. Grotius, qui ſub *Angelo Equite* Michaelem rectiſſime intelligit, *Angelum* comitem interpretatur de *Gabriele*, quo Deus conſiliorum ſuorum Interprete uſus eſt apud Danie-

 lem

(a) Jeſ. XLVIII: 16. (b) Cap. IV: 6. (c) Joh. XIV: 26. (d) 1 Pet. I: 11.

lem, (a) utramque habet pro *Angelis creatis*. Sed docti Viri noſtri temporis, non alieni ab hypotheſi de hoc Angelo, ut *Gabriele*, ſimul obſervarunt, nullam dari poſſe rationem, quare Gabriel in hiſtoria Danielis, & Evangelica de circumſtantiis τῆς ἐνσαρκώσεως Chriſti Jeſu, (b) dicendus non ſit ipſe eſſe *Spiritus Sanctus*. Quæ cum ita ſe habeant: nihil hic à re alienum ſtatuere cenſeo, qui hic intelligunt Spiritum S., ſi judicio ſuo in id ferantur. Nec auſim tamen in hanc hypotheſin fidenter concedere, primo quidem, quia hic Angelus Interpres tanquam *familiaris* aliquis tam preſſe adhærens lateri Zachariæ, ut ubique eum comitans, *miniſtri* magis quam *Domini*, tanta gloria & excellentia præditi, quantam veneramur in Spiritu S., perſonam ſuſtineat. Secundo, quia hic *Angelus* ſe in Oratione ad Zachariam à *Spiritu S.* diſtinguit. Non mea hæc eſt animadverſio, ſed doctiſſima Athanaſii in Epiſtola ad Serapionem, cujus ſupra mentionem feci. Ipſe adverſus eos diſputans, qui hunc *Angelum* faciunt *Spiritum S.*, reſpondet diſerte: Τοῦτο δὲ οὐκ εἶπον, εἰ τῇ ἀναγνώσει προσέχοντες ἦσαν. *Hoc nunquam dicerent, ſi ad textum attenderent. Ipſe enim Zacharias cum viſionem de candelabro vidiſſet, ita ait: Ecce reſpondit Angelus qui loquebatur in me, & dixit: Non cognoſcis iſta quæ ſint, & dixi, Non, domine mi. Et reſpondit mihi, & dixit: Hic eſt ſermo Domini ad Zerubabelem: Non in magna potentia, neque in robore, ſed in* SPIRITU MEO, *dicet Dominus Exercituum.* Subjungit protinus ad rem. Εὔδηλον ἦν ὡς ὁ λαλῶν Ἄγγελος τῷ προφήτῃ, οὐκ ἦν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀλλ' αὐτὸς μὲν Ἄγγελος· τὸ δὲ πνεῦμα μὲν ἅγιον ἐστι πνεῦμα τοῦ παντοκράτορος, καὶ διακονεῖται μὲν παρ' Ἀγγέ-

(a) Dan. VIII: 16. (b) Luc. I: 19. 26. II: 9.

'Ἀγγέλῳ' *Ex quibus verbis liquet, Angelum illum loquentem Prophetæ non eſſe Spiritum S. ſed ipſum proprie ſic dictum Angelum: Spiritum* vero *S. eſſe Spiritum Jehovæ omnipotentis, cui Angelus ſervit.* Tertio, cum inter διάθεσιν hujus Libri Zachariæ & Apocalypſin Joannis magna intercedat cognatio: utique enim ex Apocalypſi intelligimus, adfuiſſe Joanni Angelum (a) comitem, eundemque quibusdam locis Interpretem, & in hunc ipſum uſum ad ipſum allegatum, quem tamen huic noſtro per omnia ſimilem liquet fuiſſe ex ordine creatorum unum, Apoſtoli σύνδουλον *conſervum.* (b) Hæ rationes faciunt, cur non auſim fidenter huic Angelo Comiti Zachariæ imponere perſonam Spiritus Sancti, etſi ex excellentioris ordinis fuiſſe, nullus dubitem. Fuit enim plenus luce, & intelligentia arcanorum Divinæ Voluntatis, ut ex hiſtoria horum Viſorum liquet. Epitheton ejus הדבר בי verti, *loquens mecum.* quod οἱ ὁ. Ὁ λαλῶν ἐν ἐμοὶ *loquens* IN ME perinde ac Hieronymus. Id ſane rectiſſime, ſi hic ageretur de *inſpiratione interna*: ſed relegenti hiſtoriam horum Viſorum patet, ſchema Revelationis ſic fuiſſe inſtructum, ut Propheta ipſum ore ſuo interrogaverit de *dubiis*, & ipſe reſponſa ipſi pariter dare viſus ſit alloquio externo ad aures, intelligibili quidem, ſed demiſſiore ſono. Quam puto eſſe vim genuinam vocis דבר *loqui* conſtructæ cum litera ב Valet proprie, ut opinor, *ſecreto, clam, & ad aurem cum aliquo loqui*, quæ vis phraſios colligi poteſt ex 1 Sam. XXV: 38. coll. cum 1 Reg. XXII: 28. Deo ubi ſe homini ſeorſim revelat, non adſcribitur vox *alta*; ſed vox דממה *lenis* ac *ſubmiſſa*; (c) veluti qui arcana aliis revelant, aliorum aures tenuiorem & acutiorem vocem ingerunt. Intelliges rem ex phraſi Jeſaïæ: (d) Ad

(a) Apoc. I: 1. (b) XIX: 10. (c) Iob. IV: 16. (d) Cap. V: 9.

Ad aures meas *Jehova Exercituum?* ſcilicet *revelavit.* Chaldæus tamen ſimpliciter, *Qui loquebatur mecum.* In quo nihil vitii. Imo vero *Angelus loquens mecum* hic accipiendum eſt σχετικῶς *habitualiter*, hoc eſt, Angelus ad id à Deo deſtinatus ordinatusque, ut *mecum loqueretur.* Hactenus enim *loquutus* non *erat*, quantum ex hoc viſo liquet. Quod autem Propheta hunc *Angelum* Interpretem compellet nomine *Domini ſui*, quis in eo hæreat, aut ullum quærere velit myſterium, niſi forte ſi quis commentationen præter neceſſitatem productam cupiat. Eſt appellatio honoris, ut inter nos hoc tempore receptiſſimi & antiquiſſimi uſus, ſic olim apud Orientales, cujus exempla ubique occurrunt, & quidem omnium prius in hiſtoria commercii, quod interceſſit Abrahamo cum Hethitis ſuper ſepulchro Saræ (a) Sæpe in vulgatis & tralatitiis appellationibus, ubi honoris aut amicitiæ ratio major habetur, quam dignitatis, receptus fuit tituli uſus. (b) Perinde ac Chaldæis רבוני, רבון, ſed Latinis & Græcis hoc reſpectu inſolentior. Sed cum *Angeli* ſancti ſumma ſit dignatio, & dignationi juncta reverentia: æquiſſime hoc nomine ſalutati honoratique ſunt, cum à Zacharia noſtro, tum à Daniele. Quæſitio ipſa circumſcripta eſt his paucis, מה אלה *Quid iſti?* Gr. τί ἔτοι. Plane ad id propendeo, ut interrogatum hoc referam ad totum Viſi complexum, non tantum ad partem ejus, videlicet ad *Equites*, qui pone primarium Equitem conſpiciebantur; ut alicui videri poſſet. *Angelus* enim de his tantum loqui videtur. *Oſtendam*, ait, Angelus, quinam *illi*, ſc. Equites cæteri, & quis *Ego ſim* ut mox declarabitur. Id vero quis ipſe eſſet, oſtendit Zachariæ non *verbis* ſed *facto*; ſive

(a) Gen. XXIII: 6. ſqq. (b) Gen. XXIV: 18. Act. XVI: 18. Cap. X: 16.

ſive *ſignis*, ex quibus ipſe cognoſci poſſet, mox demonſtrandis. Hæc ſententia omnium eſt ſimpliciſſima. Obtinere autem in recenſione Viſorum ejusmodi *ellipſes*, liquet clariſſime ex Viſo de *Lampade*, (a) in cujus deſcriptione priore partes aliquæ Viſi reticentur, quæ in poſteriore memorantur. (b) ex quibus inter ſe junctis integrum Viſi σχῆμα conficitur.

Vs. X. *Et reſpondit Vir ille conſiſtens in myrteto, & dixit, Hi illi ſunt quos miſit Jehova ad perambulandam terram.*] Jam monui, Reſponſum Divini Equitis conſiſtentis inter *myrtos*, eſſe *verbale* vel *reale*. Verbale pertinebat ad *Equites* Miniſtros, quod hoc verſiculo legitur. *Reale* ex ipſorum erga ſe actionibus & officio colligitur; de quo mox. Ait ex ore Viri conſiſtentis inter myrtos Angelus Interpres, eſſe *hos ipſos*, *ipſos illos*, *quos Jehova miſerit perambulatum per terram.* Hoc eſt, *inſpectum res humanas*, ut frequens Livio, exploratum ſtatum Regnorum & Rerumpublicarum Mundi, videndum, quæ ſit rerum gerendarum occaſio, fere ut Reges & Principes Legatos aliovorſum mittunt, (quod Romanis frequentiſſimum,) ut res Sociorum, vel Vicinorum Populorum, Aſianorum, Græcorum, Macedonum, Ægyptiorum, Carthaginienſium, præſertim dubiæ fidei, hoc illo obtentu inſpicerent, & de ſtatu illorum quid certius referrent: uſurpatur phraſis Cap. VI: 7. de *Equis rubris*, qui quæſiverint *ambulare per terram:* ſed parum differente ſignificatu, ut ibi, ſi Deo placet, viſuri ſumus. Eſt ibi rerum regendarum occaſiones obſervare & tentare; quod circumſtantiæ ibi docent. σχῆμα longe aliud eſt, ac hoc in loco. Noſtri hujus loci idem aſpectus eſt qui Job Cap. I: 7. ubi quæſitus Satanas, quid rerum ageret,

(a) Cap. IV: 1, 2. ſqq. (b) à vs. 10. ſqq.

geret, & unde veniret, reſpondit משוט בארץ ומהתהלך בה *Ab obeunda terra eaque perambulanda.* Hoc eſt, ab inſpicienda terra; & obſervandis, ſi quæ forte occurrerent, rerum gerendarum occaſionibus. Hic loci idem ſenſus, licet nemo inde quicquam certi de qualitate horum Miniſtrorum, (quos mox cognoſcemus *Angelos* eſſe,) *bonine*, an *mali* fuerint, colligat. Attributum enim utrique ſpeciei vel ordini commune eſt. Per *terram* autem quis dubitet, quin intelligenda ſit primo quidem loco terra tota Imperio Medo-Perſico ſubjecta: deinde terræ regionesque omnes, quarum aliquis ad terras illius Imperii erat reſpectus, quæque ſtatum illius videbantur poſſe perturbare; Ægyptios, Aſianos, Græcos, Macedones, Scythas, de quibus mox vs. 11. *Et ecce* TOTA TERRA (כל הארץ) *conſidet & conquieſcit.* Simpliciſſimum pariter videtur, per Dominum *Jehovam*, qui hos *Equites miſiſſe* dicitur ad ſtatum rerum in Orbe explorandum, intelligi *Deum Patrem*, quem Eques princeps in ſua interceſſione protinus appellat *Jehovam Exercituum* Dominum, vs. 12. in analogo Viſo dictum אדון כל־הארץ *Dominum totius terræ* In Patre reſpicimus οἰκονομικῶς Principium & ſedem ſupremi conſilii, ſecundum quod res humanæ volvuntur. Ἡμῖν εἷς Θεὸς ὁ πατὴρ ἐξ οὗ τὰ πάντα. (a) Si quis contendat, idem eſſe nomen & attributum Filii tanquam οἰκονόμου Populi judæi ſub Oeconomia Vetere: nihil refrager. Sed liquet tam ex hoc Viſo quam ex altero de judicio Joſuæ Pontificis, (b) agere Filium, & maxime olim egiſſe omnia, in nomine Patris. Reſpectus cæterorum Equitum ad Equitem primarium, fuit ſecundarius.

Vs. XI. *Et* RESPONDERUNT *Angelo Jehovæ ſtanti inter myrtos.*] En interpretamentum *reale* totius complexi hu-

(a) 1 Cor. VIII: 6. Heb. II: 10. (b) Zach. III: 2. *myr-*

jus Viſi, ſumptum non ex *ore*, ſed ex geſtu & actione Equitum cum reſpectu ad Equitem primarium. Dum enim Propheta præſens ipſe videt & cognoſcit hoſce Equites *reſponſa* ferentes ad Equitem primarium de negotio ipſis mandato: intelligit utique, Angelos hoſce diviſos eſſe in duas claſſes: eſſe *Principem*, & *Miniſtros*, juſſa Principis capeſſentes eaque exequentes: quod fundamentum eſt veræ interpretationis hujus emblematis. Dum autem Vates ipſe *Equitem primarium* hic appellat *Angelum*, quem ante ſimpliciter vocaverat *Virum in Equo conſiſtentem inter myrtos*: intelligimus, Viſum hoc pertinere ad Oeconomiam Divinæ Providentiæ cœleſtem, cui adminiſtrandæ Deus admovet *Angelos*; Principem videlicet & Principi ſubordinatos plures, ut mox viſuri ſumus. *Princeps* autem hujus catervæ Equitum, ſi ſit *Angelus*, ut diſerte hoc loco monemur: idem abſque dubitatione de cæteris affirmandum eſt. Dicuntur autem illi RESPONDISSE *angelo* ſtanti inter myrtos, cum tamen mandati, ab ipſis accepti, nulla facta fuerit mentio. Ita eſt: ſed neque hic niſi imperitior hæret. Sunt itaque qui hic reſolvunt dubium ex obſervato vulgati uſus; Hebræis, eorum ſtylum imitantibus Scriptoribus Hiſtoricis N. T., & magis adhuc Chaldæis, in more eſſe, ut *reſpondendi* notione utantur ſimpliciter pro *dicere*, *referre*; etſi interrogatum nullum in hiſtoria præceſſerit. Nihil eo tritius, & nemo ignorat. Verum animadverti velim, primo tritum hunc uſum vocis *reſpondere* in hunc locum non competere. Vox *reſpondere* hic vero & proprio caſu ſumitur pro *referre* ad Dominum, quid in negotio ſibi mandato geſſerit. Supponitur Angelus Princeps aliquibus horum præſentium vel circumſtantium ſatellitium

ſive nunciorum ſuorum aliqua diſtribuiſſe mandata, veluti de inſpiciendo ſtatu Rerum Mundi, ut viſa cognitaque ad ſe *referrent*, hoc eſt, *reſponderent*. Cujus quidem mandati in ipſa narratione mentio facta non eſt; ſed per ellipſin Hiſtoricam omiſſa; quippe ex hac pericopa colligi poſſet. Vidit itaque Vates Nuncios ſive pediſſequos hoc mandato gravatos hoc ipſo tempore rediſſe, & reſponſum retuliſſe ad Dominum. Dein, ad animum vocari velim, in omni caſu alio, in quo vox ענה vel *ἀποκρίνεσθαι reſpondere* uſurpatur in exordio orationis vel narrationis absque antecedente interrogatione, ſemper *interrogationem tacitam* ſupponi, perinde ac in Libris Sacris ubi incipiunt à copula ET, licet nihil aliud præceſſerit: ſemper ſupponitur aliquid antecedens, cum quo hiſtoria vel oratio tacita cogitatione connectitur. Verbi gratia 1 Sam. XXVI: 6. *Et reſpondit & loquutus eſt David ad Achimelechum Hethitam & Abiſæum, Seruiæ Filium, Uter* &c. Atqui interrogatum nullum præceſſit. Imo vero interrogatio hic eſt tacita cogitatio, Davide ſuborta ex *circumſtantiis*, quibus erat circumſcriptus. Proximus Sauli ſe perſequenti, cum illum haberet in ſua poteſtate, ſubnata illi eſt cogitatio; An occaſio rei alicujus gerendæ prætermittenda eſſet, num aliquid tentandum? Quod cum ſecum ſtatuiſſet, invitantibus circumſtantiis, ab ipſis hiſce circumſtantiis preſſus & veluti interrogatus, An præterire ſines hanc commodam occaſionem convincendi Saulem de tua in ipſum fide; integritateque tua? Cujus tacitæ interrogationis ſive cogitationis reflexæ reſponſio ea ipſa eſt, quæ hic exhibetur. Sume tibi aliud ex Matth. XII: 38. *Tum reſponderunt quidam è Scribis ac Phariſæis, dicentes, Vellemus ex te*

ſignum

ſignum videre. Periocham legens per te obſervaveris; quæſitum hoc natum eſſe ex circumſtantiis. Cum enim Dominus ex operibus paradoxis à ſe omnium ſtupore editis demonſtrare niteretur, ſe verum eſſe Meſſiam: ipſi vero in hac licet clariſſima probatione non acquieſcerent: nata ipſis eſt cogitatio, An non poſſit Dominus, ſi velit, ipſorum incredulitati luculentioribus aliquibus argumentis occurrere; vel an non ſit commoda aliqua ratio, qua plebs defixa in Opera Chriſti, ut vere Divina, poſſit circumduci, & abſtrahi ab Operibus Chriſti miraculoſis, tanquam huic probationi non ſufficientibus? Quibus cogitationibus occupati dicuntur *reſpondiſſe* id quod hic legitur: licet nulla interrogatio præceſſerit. Sed mox occurret in ipſo hujus rationis contextu (vs. 12.) argumentum hujus hypotheſeos unicum clariſſimum.

Et dixerunt, Perambulavimus terram, & ecce! tota terra reſidet, & quieſcit.] Οἱ ὁ. πᾶσα ἡ γῆ κατοικεῖται, καὶ ἡσυχάζει. Hieron. *Omnis terra* HABITATUR, *& quieſcit.* Id malim, quam quod Coccejus: *Tota terra* HABITAT. Chaldæus rectiſſime: *Tota terra ſedet pacifica & quieta.* Nemo hic hæſitat in ſenſu. Id dicunt Angeli, miniſtri: Eſſe pacem per orbem. Ceſſiſſe vel profligata eſſe bella: eſſe, quod raro accidit, malaciam; pacatum æquor, à ventis & tempeſtatibus non agitatum, vel conturbatum; atque adeo terram pacifice & tranquille habitari. Id rectius dicetur quam *habitare*, quod eſt *Populi*, hominum; non *terræ*. Utique vox יֹשֵׁב Hebræis æque ſumitur *paſſive*, quam *neutraliter*. Sic mox Cap. II: 4. 8. פְּרָזוֹת תֵּשֵׁב יְרוּשָׁלַם *Vicatim* HABITABITUR *Hieroſolyma*. Cap. IX: 5. *Et Aſcalon* לֹא תֵשֵׁב *non* HABITABITUR. Vides alludi ad ſtatum terræ pacatum quietumque, contradiſtinctum ſtatui belli, quo diripitur, vaſta-

vaſtatur, deſolatur, & ad habitationem inepta redditur. Quod clarius etiam deſignat notio שקט, ἡσυχάζειν. Valet proprie *quieſcere à bello*. (a) Tranquillitate ſecuritateque frui poſt præcedaneam perturbationem.

Interpretatio ſpiritualis hujus Viſi.

§. I. Ita ſe habet Viſi hujus ratio, ut cum Literalia & Hiſtorica in eo permixta ſint Realibus & ſpiritualibus; ad vitandam confuſionem optimum factu cenſuerim, Hiſtoricam Viſi intelligentiam à ſpirituali ſejungere, eique præmittere, cum ſpiritualis baſin faciat. Pertinet autem huc, ſequentia expendere. Primo, quid hic intelligatur per *myrtetum*, & quidem ſecundo, per myrtetum quod in profundo. Tertio, quis ſit ille primarius Eques, inſidens Equo ruſo. Quarto, quinam Equites pediſſequi diverſicoloribus equis inſidentes; & denique quid ſit, quorſum tendat, quidve doceat totum hujus Viſi ſchema.

§. II. Prima poſitio ſit, per *Myrtetum*, hortum videlicet, myrtis plantatum, *hic omnino figurari Eccleſiam Judæam, qualis ipſo illo tempore ſupererat in Judæa, quo Prophetæ hoc Viſum objectum eſt.* Non eſt nova interpretatio; nec tamen communem dixerim, cum aliqui ſint, qui *myrtos* hic accipiunt non ut figuram *rei*, ab Angelo *Equite* diverſæ; ſed ut figuram *qualitatis* vel *ſtatus* ſive *Angeli ipſius*, aut *Eccleſiæ Judææ* ſive *temporis*, quo hoc Viſum Vati exhibitum eſt; (quod ut per ſe abſurdum non eſt; ſic quatenus admitti queat, mox declarabo:) aliqui etiam, per ipſas *myrtos* hic intelligant *Angelicas Poteſtates*, ſecundum gloſſam Ordinariam, aut Babylonem ipſam: quod plane

(a) Joſ. XI: 23. Jer. XXX: 10.

plane alienum eſt ab hoc loco & totius Viſi ſchemate: certius demonſtrandum eſt. In qua demonſtratione thematum huic Viſo ſubſtratorum mihi ſic ſtatutum eſt procedere, quemadmodum pariter in ſequentium Viſorum interpretatione, ut ſententias à mea diverſas, ſi nihil probabile ferant; relicturus ſim ſuo loco: cæteras tantum, in quibus quid ſolidi ineſt, aut probabile, diſcutiam. Sic mei moris eſt, à Doctis probati. Veteres Commentatores Hebræí apud Kimchium: ואין הדסים אלא צדיקים *Myrti nullæ ſunt niſi juſti.* Sed Kimchius ipſe ex ingenio ſuo hic ad rem ſcripſit prudentius quam plures interpretes noſtræ fidei, quæ non pigebit exſcribere. (A) ET IPSE (Angelus Eques,) *ſtabat inter myrtos quæ* IN PROFUNDO.] *Illi ſint Iſrael. Comparat autem eos myrtis*, h. e. *arboribus myrti, quippe iis ineſt ſingularis odoris fragrantia.* (Sic omnino ſonant Kimchiana: non ut Vir doctiſſimus Thomas Nelus: *loco in quo myrti naſcuntur.* Comparat cœtum Iſraelitarum ipſis myrtis.) *Ita Iſraëlitæ ſe habebant in Babylonia, quia erat iis odor fragrans ex obſervantia præceptorum Dei.* Doctus Kimchi Interpres liberalius: *Nam Legem ſuave quid redolentem, fragrantiamque præceptorum apud ſe habebant.* Nihil hic à re cenſeri poteſt alienum. Jeſaïas de Deſerto Gentium in Paradiſum convertendo vaticinans *myrtum* inter cæteras arbores oleoſas cenſet ut emblemata præſtantium ac virtute efflореſcentium Virorum, in quibus eſt vis vitæ immortalis & æternæ. (a) ad quæ loca neceſſaria

(A) והוא עומד בין ההדסים אשר במצולה׳ הם ישראל׳ המשילם להדסי׳ ר״ל לעצי הדם לפי שיש להם ריח טוב כן ישראל שבבל יש להם ריח מצות

(a) Cap XLI: 19. Cap. LV: 13.

ria in hanc rem obſervanda adſcripſi. Communia attributa myrtorum, in varias ſpecies diviſarum, ex Theophraſto jam recenſuit Coccejus; & ex ipſo deſcripſerunt alii; nihil hoc ipſo meriti, niſi hanc laudem diligentiæ, quod nihil ab aliis ſcriptum, à ſe non deſcriptum, lectori oſtendere voluerint; nihil cætera ex ſuo penu huc transferentes. Nobis hic plane ſufficiunt Pliniana. (a) Sunt autem ſequentia quæ hic obſervari velim. a. In myrto eſſe vim veræ vitæ, quæ facit ut ſemper vireſcat, ut palma, olea, cedrus; nec tantum, verum alia etiam virentia conſervet. Vis illa eſt Spiritus Divini. *Spiritus* eſt, qui *vivificat*. (b) Sive *id quod vivificat*. Imo ſolus Spiritus. (c) Nihil eſt in homine, qui ex ſe eſt *caro*, res corruptibilis, mortalis, beata incorruptibilitate caſſa; niſi periturum. Quod *moraliter* intelligi velim. Omnia ejus tendunt *εἰς φθορὰν in exitium*. Principium vitæ incorruptibilis, quod eſt *noſcendi* & *amandi* Dei: eſt ex *Spiritu*. b. Eſt quid ſingulare in myrto, quod *ſuccum* præſtet omnium plantarum vel arborum hujus generis ſuccis præſtabiliorem: cum enim laudabiliores ſucci non ſint quam *vini* & *olei; in myrto ſingulare eſt quod ex una omnium olei vinique* BINA *genera fiant*, ut Plinius. (d)

Atqui hi ſucci ad naturam operationum *ſpiritualium*, qui proprii fructus ſunt Spiritus S., ut ſunt vivacitas, lætitia, agilitas, alacritas, quæ virtutes omnes, ſi in ſpiritualibus cenſeantur, vim vigoremque vitæ produnt, & ex uno fonte emanant. γ. Succus myrti eſt *amarus*, quippe quod ipſa nomina מר *Mar*, *myr*, unde Latinum *amarus*, ſatis explicant. Cortex enim myrrhæ ſi incidatur, ſuccum

(a) Hiſt. Nat. Lib. XV. Cap. XXIX. (b) Joh. VI: 63. (c) 2 Cor. III: 6. (d) l. c.

cum dat amarulentum, qui oppoſitus eſt corruptioni & putredini, hoc eſt, *morti*. Eſt in homine ſpirituali principium glorioſæ immortalitatis, cum æterna vita conjunctæ, quod mortem omnem deſtruet. Hic eſt character juſtorum qui veram faciunt Eccleſiam. Opera carnis tendunt ad mortem: Spiritus ad vitam. (a) Atque hæc ut facilia ſunt cogitatu; ſic petita ſunt ex interiore natura veræ Eccleſiæ, quæ eſt congregatio juſtorum. Et eſt tamen aliud, quod huc referri poteſt, & omnino oportet, ex ſenſu meo cum reſpectu ad τὰ συμβεβηκότα hujus Viſi. Viſum hoc Eccleſiam proponit ſub emblemate *myrti*, ut ſimul figuret Eccleſiæ *ſtatum* qui *pacis* eſſet; ut mox videbimus. Certe apud Græcos & Romanos myrtus fuit ſymbolum *pacis*; quod quia ad rem pertinet hic monere, exiſtimavi hic non eſſe negligendum. Eſt de eo inſignis locus Plutarchi in Marcello, (b) ubi explicat differentiam quæ intercedit inter *Triumphum* & *ovationem*: in *Triumpho* quidem omnia fuiſſe compoſita ad bellum; ſed in Ovatione ad pacem, veluti, inter alia, *ovans urbem ingreditur*, οὐδὲν δάφνης ἔχων σέφανον *non geſtans coronam lauream*, quæ bellum ſpectat; ſed μυῤῥίνης σέφανον ἐπικείμενος *ſed myrteam impoſitam habens coronam*. Pertinet enim *tibia ad pacem*: καὶ τὸ μυρτὸν Ἀφροδίτης φυτὸν *myrtus planta veneris*, bello maxime adverſa. Sic certe ut liceat pacatum & tranquillum rerum ſtatum pariter ad myrtum retuliſſe.

Alterum eſt, *Quid hic ſit myrti hortus in profundo?* Chaldæus interpretatus *profundum* per *Babylonem* hic facile nactus eſt ſectatores ſuæ Gentis Jarchium & Kimchium. Hieronymi hic dubia eſt oratio, dum per myrtos intelligit *Prophetas* & *ſanctos*, qui in medio captivi Populi verſaban-

R

(a) Rom. VIII: 6. (b) Marcello p. 310.

bantur, licet magis videatur accedere ad ſententiam Judæorum: ſed alienus ſum à ſententia, quæ ſcenam hujus Viſi figit in Babylone. Cum utique jam tot annis ante *ſecundum* Darii ſpectabilis pars Eccleſiæ Babylonicæ, eaque potior, ſe jam tranſtuliſſet in Canaanæam, & apud illam ſtabilitum erat ipſum Miniſterium Prophetarum: ratio ſuadet, ibi figendam eſſe ſedem Eccleſiæ, atque adeo ſcenam prophetiæ. Etiamſi vero negare nolim, poſſe ſano reſpectu Babylonem vocari צלה ſive מצלה etiam cum reſpectu ad moram Iſraëlitarum in ea, atque eo recte revocari Jeſ. XLIV: 27. nego tamen, id hic locum ullum habere poſſe. Myrti enim hic non exhibentur tanquam in *profundo aquæ*; ſed ut in profundo arido, aut *terreo*, quale illud *vallis*. Totum *σχῆμα* Viſi id arguit: etiamſi cætera myrti humiliora loca & viridaria ament. Sed aliud hic ſpectandum ex mea ſententia. Non poſſum abſtrahere animum ab illa ſententia, cujus ſuperſunt indicia apud LXX Intt., reſpici hic myrtetum, quod fuit in profunda *valle*, quæ media erat inter *duos montes*; ut reſpondeat emblema analogo Cap. VI: 1. Duo autem montes æñei mihi hic ſunt ſymbolum æternorum & mutari neſciorum Dei decretorum: à qua ſententia, in loco declaranda, non patior me divelli, ob emblematis elegantiam & partium rei ipſius concinnitatem. Poſſet, fateor, hic *myrtetum in profundo* ſignificare Eccleſiam Dei, qualis illo tempore erat in Judæa, a. Humili conditione & ſtatu quod ad ſtatum ſuum exteriorem, qualis fere ſemper Eccleſia Dei quod ad ſtatum externum, ut Propheta Jeſ. VIII: 6. plane explicat. b. Et fere *latebat*, veluti Regnum Dei in mundo non eſſet. c. Sed latens ſpargebat fragrantiam illorum ſuccorum & fructuum, quas myrtus hominibus inter oleoſas ar-

arbores commendat; & ſane hæc rectiſſime dicuntur: ſed addi poteſt quod ad rem pertinet, repræſentari Eccleſiam, æternis nixam quà decretis quà promiſſis divinis, eorumque *umbra* ſic tectam inumbratamque, ut *latens* ipſa habeat & habitura ſit æterna ſtatus ſui fulcimenta. Confer hic Jeſ. LIV: 9, 10.

Tertium, quod quæritur: *Quis ſit ille primarius* EQUES? quanto quis ſimplicius ex doctrina Spiritus S., tradita in Libris V. T., expoſuerit: tanto hic felicius proceſſeris. Qui ad *Equites* hoſce attenderit, qui in myrteto comparent: deprehendit illos diviſos eſſe in duas claſſes: unum videlicet *primarium*; alteros ſecundarios & pediſſequos. Primarius hic occurrit tanquam Imperator, non tanquam Exercitus præfectus, ſed tanquam *Gubernator* mandata ſatellitibus diſtribuens; hunc huc, alium alio mittens; huic per modum magni Oeconomi hoc committens, alii aliud; hoc vero tempore id agens, ut per hoſce ſuos miniſtros accurate inquireret in præſentem Mundi ſtatum. Hæc cum Verbo Dei comparata non ſunt intellectu difficilia. Simplex doctrina Verbi Veteris Inſtrumenti, ita habet: Eſſe Deo exercitum ingentem *Equitum* ſpiritualium, qui Deo uſui & miniſterio ſunt in exequendis decretis ſuæ providentiæ, quos vulgo *Angelos* vocamus, 2 Reg. VI: 17. Illos ſymbolice appellari *equites* vel *currus Dei*, (Pſ. LXVIII.) reſpectu *celeritatis* in producendis effectis, ad quæ admoventur. Id hic præcipuum eſt. Fervens ſtudium, zelus, intenſiſſimum deſiderium & promptiſſimum obſequium erga Voluntatem Dei exequendam, & quæ attributa affinia (Pſ. CIV: 4.): veruntamen *celeritatis* hic in *Equis* & *curribus* eſt proprius reſpectus. Homero eſt ὠκύποδες verus *equorum* titulus; ſive, ut alibi ποδώκεας ὄρνιθας

ὡς veloces ut ſunt aves, *ſimilis pili*, *coævas*, quas ad Bellum Trojanum duxiſſe fertur Eumelus. Porro docet Verbum Dei, inter hoſce Angelos unum eſſe ἔξοχον longe eximium, cæteris præpoſitum, quem Scriptura S. à cæteris longiſſime diſtinguit, & quem paſſim tanquam ſummum Dei *Legatum*, Deo proximum & Dei ipſius perſonam ſuſtinentem, (χαρακτῆρα τῆς ὑποςάσεως τοῦ Θεοῦ.) nomine excellenti *Jehovam* vocat, & characteriſtice *Michaeli*, Dan. XII: 1. cui Angelo eximio Deus curam & Οἰκονομίαν cum cæterorum Angelorum tum præcipue Oeconomiam & curam Populi Dei commendavit. Loca de eo ſæpius deſcripta, & tamen hic repetenda ſunt vel ſimpliciter recenſenda. Eſt utique hic ipſe ille Angelus Jehova, qui in ſummis gradibus ſcalarum Jacobo per quietem viſarum luculento viſo apparuit, & nomine *Jehova* & Deus *Bethelis* dicitur Gen. XXVIII: 13. XXXI: 13. confer Gen. XLVIII: 16. Moſi item in Rubo apud Sinai, Exod. III: 1 6. &c. & Joſuæ, Cap. V: 15, 16. ſua utrobique præſentia locum *ſanctum* faciens. Tritiſſima jam ſunt de hoc Angelo obſervata, & Judæorum quoque, ad nauſeam usque repetita, de quo neceſſaria obſervavi ad Jeſ. LXIII: 9. Sufficiat nobis Zachariam noſtrum ex ipſo illuſtrare. Proponit illum Vates in emblemate Judicii exhibiti de Joſua Pontifice & Satana illum accuſante, qui dicuntur conſtitiſſe coram facie *Angeli Jehovæ*, vs. 1. ut ſummo illi Judicio præfecti, qui mox ut *Jehova* à *Jehova* diſtinguitur, vs. 2. Magnum eſt myſterium. Finxerunt aliqui quatuor Archangelos, alii ſeptem: ſed hæc doctrina mera eſt corruptio doctrinæ Patriarchalis. Eſt Deus quem Scriptura N. T. vocat Patrem. Eſt proximus Deo, ſub Oeconomia Vetere Deo οἰκονομικῶς minor, ut ex duobus hiſce locis

Zacha-

Zachariæ clariſſime liquet; ſed omni poteſtate alia major; quippe qui ipſe unus Angelos ipſos ſibi ſubjectos habet ut miniſtros, & cui præterea cura & οἰκονομία Populi Judæi commiſſa fuerunt. Ergo ex his nemo non clare intelliget, per Primarium illum Angelum deſignari Angelum Oeconomum & Judicem Populi Dei: per gregarios Angelos diſcolores, ſignari Angelos gregarios, licet ipſos quoque diverſiſſimi generis & notæ.

Quartum, juvat quærere, quid ſignificetur per *colores* horum Equorum. Quorum quidem primarii Equitis eſt *Rufus*: reliqui vero *rufi*, *balii*, & *albi*. Et quidem cum hic multorum Interpretum vaga ſit meditatio, quæ illorum prodit inexercitationem & judicii in ſpiritualibus imprudentiam, (eſt autem id commune vitium eorum, qui nihil agunt niſi ut omnia bona mala, quæ hic illic occurrunt, deſcribant, ac proin omnia inter ſe permiſcent:) neceſſum eſt exegeſin noſtram certis adſtringere legibus. Primo certum eſt, *colores* hoſce referendos eſſe ad ſtatum Eccleſiæ exteriorem; & quidem *colorem rubrum* ad ſanguinolentam Eccleſiæ afflictionem, qualem experta eſt à Babyloniis. Liquet ex Viſo quatuor Imperiorum ſibi ſuccedaneorum Cap. VI: 1. ſqq. quippe quod ipſum ſui interpretationem adfert, *Equi* ſunt *Rufi*, *Nigri*, *Albi*, & duplices, (quartus currus, ſimul prodentium, *grandinatorum* & *acute* rubrorum, ſc. Ægyptiorum & Syrorum: quod ſuo loco clare, ſi deo placet, illuſtrandum:) exhibentes Imperium Babylonicum, Perſicum, Alexandrinum; & *Syro-Macedonum*, ſub duplice quadriga à Propheta viſorum; quod hactenus, ſi non fallor, non animadverſum. Sed liceat illud tantiſper miſſum facere: ea ſumimus quæ liquida ſunt. Currus *ruber* hic ſignificat *Imperium Babyloni-*

cum; quod Imperium quia jam præterierat, illud in expoſitione ipſa plane negligitur. *Quadrigæ* ſecundæ, hoc eſt, Imperii Medo-perſici mentio fit hoc charactere, quod dicatur egredi in Aquilonem, nempe ad occupandum Imperium Babylonicum, deinde *quadriga alborum equorum* manifeſtum characterem habet Imperii Macedonici. Hic vero Imperium Perſicum non proponitur ſub emblemate Equorum *Ruforum*, ſed *Nigrorum;* quod non quidem perſecutum ſit Populum Dei; verum quod aſpectus ejus fuerit *triſtis*, *luridus*, *ſævus*, *multis ſævitiæ & immanis crudelitatis notis inſignis*, licet cum reſpectu ad Populum Dei nullo modo ſanguinarius; veruntamen non lætus quoque nec liberalis. *Angelo* autem huic *Equiti*, qui Populum Dei ſecundum conſilium Dei adminiſtravit ſub Imperio Babylonico, plane putem *rufi* tribui *coloris* equum, quod Oeconomia illa Divinæ Providentiæ Judicialis, qua Deus Populum per Babylonios ſevere ultus erat, nondum uſque ad hoc tempus, vere cenſebatur mutata, (licet per Cyrum jam facta liberatione, licet imperfecta,) ſed demum ab hoc tempore, videlicet, anno ſecundo Darii, immutanda; ut ex toto hoc emblemate liquet. Ergo inſidet adhuc Angelus Præſes Populi Dei *Equo rubro*, quem inſederat per omne hoc tempus ultionis Populi Dei per Babylonios; & qui Angeli illum proxime ſequebantur, ejusdem coloris *equis* inſidebant, quod ad eandem pertinerent Oeconomiam: in quibus utpote claris & liquidis nemo facile hæret. Qui hic in diverſa abeunt, quó ſe facile vertent? Sunt qui *rufum* hunc colorem interpretantur per *igneum*, tanquam repræſentaturum Angelum Jehovæ paratum ad exequendam vindictam in hoſtes Populi Dei, qui cum modum puniendi exceſ-

exceſſiſſent, ſevere à Deo caſtigandi eſſent. (a) Alieniſſima interpretatio. *Color* enim *rufus* in Viſis hujus Generis non poteſt confundi cum *igneo*. Reſpectum habet ad *ſanguinem*, bello effundendum, ut videre licet Cap. VI: 2. & Apoc. VI: 4. Si reſpectum haberet ad tempus fatorum τχίσει ad Imperium Perſicum: ne ſic quidem certa eſſet interpretatio. Calamitas enim, quæ huic Imperio accidit ſub Xerxe, (illuc enim unice reſpici poſſet:) eſt alterius generis. Sed jam diximus, & certo tenemus, ut à vaga interpretandi libidine abſtineamus; *colores* equorum referendos eſſe ad *Status Eccleſiæ*. Cæteroquin enim nihil facilius eſſet quam Imperium Perſicum usque ad id tempus inferre ut cruentum & ſanguineum ob bellum à Cambyſe in Ægypto geſtum magna & immani ſævitia. Sed id ipſum quoque rejicio, quia certum habeo, colores Equorum explicandos eſſe ex ſtatibus exterioribus Eccleſiæ. Quanto, proh ineptias! hic abſurdior memoratur expoſitio *Ariæ*, exhiberi hic tranſlationem Imperii à Perſis ad Græcos; & eſſe illum generoſum Equitem qui hic exhibetur, typum ipſius *Alexandri*, inſidentis Bucephalo, ita dicto quod *capite & colore ſimilis fuerit bovi.* Interpretatio bella cocta eſt in ingenio Abarbanelis; cujus Viri ſibi relicti judicium in Propheticis eſt ἀδόκιμον. Nihil enim fingi poteſt hac interpretatione ſtultius. Id unum hic quæri reſtat, quod dicitur, Equites pediſſequos fuiſſe *rufos*, *balios*, (medii coloris inter *rufos*, & *albos*, de utroque participantes,) & *albos*: idne in genere ἠθικῶς *ethice* interpretandum ſit; num *Prophetice*? Si ethice interpreteris: ſimpliciſſima ſententia dixeris, exhiberi Miniſtros Dei quarumcunque *qualitatum & uſuum*, qui præſto ſint ad manum

(a) Vs. 15.

num Angelo Jehovæ in Oeconomia ejus adminiſtranda; eſſe qui rebus bellicis & judicialibus inſerviant; videlicet, *rufos:* eſſe quorum uſus eſt in pace, ſc. *albos:* eſſe medii generis, quos appellemus *balios;* quæcunque tandem ſit vocis interpretatio. Nihil hic liquidius dictu eſt; nec altera interpretatio, quam Propheticam dixi, multum ab hinc diſtat. Hieronymus *colores* hoſce non tantum generatim exponit de ſtatibus Eccleſiæ, ad quos Angeli illi pertinerent: ſed ſpeciatim quoque, ut *rufi*, *balii*, *albi*, Prophetice, & inſigniter cum reſpectu ad hæc vel illa tempora, veluti, *inverſo ordine*, ut *albi* hic deſignarent *Medos & Perſas:* quia ſub *ipſis dimiſſa eſt captivitas, & Templum inſtauratum eſt:* Varii ſint *Macedones, quorum nonnulli amici, alii perſecutores fuerunt.* Rufi vero *Regnum Romanorum, cruentum & ſanguinarium, quod Populum interfecerit.* Sive, ſi ordinem ſcriptum conſerves; ut intelligas per primos & ſecundos *Aſſyrios & Chaldæos:* per *varios* vero & *albos*, Medos & Perſas, quorum Principum alii crudeles fuerint, humani & benevoli alii: quæ vaga ſunt, & nullo nituntur fundamento. Qui hæc generatim accipit, non peccat. Angeli, pro Oeconomia quisque ſua, variis deſtinati ſunt uſibus, & ad illos pro re nata adhibentur, ſed hi Angeli quo ordine hic occurrunt, ſi Prophetice accipiendi ſint, (quod neceſſe non eſt;) *rufi* omnino referendi ſunt ad Oeconomiam Chaldaicam; quod jam ante monui; *varii* ad media tempora Medorum & Perſarum; & *albi* ad Imperium Alexandri, & præſertim tempora Maccabæorum. Sed præſtat, ut putem, in generalibus hic ſubſiſtere.

Denique quinto expendendum erat; *Quorſum tendat totius Viſi hujus ſcopus?* Id vero ex altera ejus parte, quæ prag-

pragmatia eſt, clariſſime intelliges. Prior enim hæc Viſi pars Theoretica, veluti baſin facit poſterioris; ut proinde quæ in pragmatica parte adjiciuntur, huic velut fundamento ſuperextruantur. Sunt autem theoremata hujusmodi jam non obſcure inculcata, ſed intellectus Divini ac ſublimis. α. Deum habere *Eccleſiam* in terris, videlicet אגדה *faſciculum.* (a) β. Quæ per naturam ſuam ſit *congregatio* juſtorum & piorum hominum, à Deo in Mundo plantata, fragranti odore frugum ſpiritualium, bonorumque operum ac virtutum, ſe commendans. Per naturam, inquam, ſuam: hypocritæ enim ad eam vere non pertinent. γ. Eam non eminère in Mundo; ſed humili conditione abditam eſſe Deo & latere; ſed arcanis Dei decretis circumſcriptam cuſtoditamque eſſe. δ. Huic præeſſe ſummum Oeconomum, Filium Dei, ejusque curam gerere & præſidio eſſe. ε. Subſervire vero omnes poteſtates cœleſtes, Filio Dei ſubditas, ſuo quasque ordine. ζ. Atque adeo ad ipſum *referre* (ſit fas dictu, ſecundum morem humanum:) quo ſtatu hoc tempore ſe habeant res humanæ, rerumque humanarum, & in primis Imperii Perſici, quis ſit ad Eccleſiam reſpectus? Faveatne præſens conditio inſtaurando ſtatui Judæi Populi, quam inſtaurationem pii ardenter expectabant. & η. Illos ad Angelum Jehovæ retuliſſe, *ambulaſſe ſe per terram*; *terram* autem *totam quieſcere & tranquillam eſſe.* Ut nimirum Angelus Jehovæ inde intelligeret; hoc ipſum eſſe verum tempus interceſſionem ſuam cum fructu faciendi apud Deum pro inſtaurando ſtatu Reipublicæ & Eccleſiæ Judææ, ſiquidem jam expiraſſent LXX anni indignationis late ſumpti; & ſimul terra tota poſt turbulentum prioris

S tem-

(a) Amos. IX: 6.

temporis ſtatum *quieſceret*; idque præciſe anno Darii ſecundo.

Id unum nobis reſtat abſolvendum ad implementum partis Theoreticæ hujus Viſi. Eſtne res ita, fuiſſe pacem per Orbem terrarum, & Imperium Babylonicum; & quidem univerſalem, Anno ſecundo Darii Hyſtaspis, ſive primi? Ita ſane eſt, & nulla hiſtoria obloquitur. Cambyſes, deceſſor Hyſtaſpidis, regnavit per annos *ſeptem* & *menſes quinque*, ſecundum Herodotum; cujus hic videtur ſatis confidens eſſe narratio. Certe confirmat eam Canon, tribuens Cambyſi annos octo, dans Magis, qui ſub nomine Smerdis Fratris Cambyſis imperarunt, reliquos Menſes; ut Canoni Chronologico in more eſt. Eſt autem ſeptimus annus Cambyſis certæ notationis, ſi quidem in illum incidit notabile Deliquium Lunæ, Anno ſc. Nabonaſſ. 225. menſis Phamenoth ſecundum Ægyptios; ex Ptolemæo adſcriptus à nemine non Chronologorum celebrium Scaligero, Petavio, Uſſerio, aliisque. Eſt autem Annus hoc charactere inſignitus Period. Jul. 4191. ſequens autem Cambyſis octavus cum ſit ipſius emortualis, & præterea dandus Magis; inde primus Hyſtaſpis incidet in P. J. 4193; eſtque adeo ſecundus Darii hic ipſe notabilis P. J. 4194. Antequam primo anno conſtabilitum fuerit Imperium Darii multa geſta ſunt inter Darium & illuſtres illos Principes, qui cum ipſo conſpirarunt ſeptem ad Imperium Magis extorquendum, & fuiſſe multo hic plura geſta inter ipſos, quibus gravibus conditionibus tanquam Imperii ſociis erat obligatus, facile patet ex Æſchylo; ſed eadem Hiſtoria (b) nos docet, cum hi Imperii Socii ipſi graves fuerunt in Imperii communione; Da-

(a) Lib. III. Hiſt Cap. 66. (b) Lib. IX. Cap. 2.

Darium quam primum licuit ſe ab illis abſolviſſe; & quidem lethi genere illis irrogato ſingulari, & cruento, ſecundum Valerium Maximum: ſed etiamſi hic aliqua dubia & incerta ſint; omnia, quæ initia Regni Darii hujus turbare poterant, plane compoſita ſedataque fuiſſe, ipſa hyſtoria illa & res ipſa, ſatis clamat. Defectio Babyloniorum una hic in conſiderationem mitti poteſt: de Marathonia enim clade & Bello Scythico loqui abſurdum ſit. Sed etiamſi Babylonica rebellio nullo certo tempore notata ſit ab Herodoto: certum tamen poſt intervallum aliquot annorum accidiſſe, ut alii ad ſeptimum vel octavum; nec multum hic differunt Petavius & Uſſerius. Ergo dic, quare hoc *ſecundo* Darii *anno* tota terra non *ſederet* ac *quieſceret*? Imo vero heus tu! qui hic recurris ad annum ſecundum *Darii Nothi*: An ante illud tempus dici non potuit, fuiſſe pacem per Orbem illius temporis; & ſi dici queat, quæ dabitur ratio, quare antea Deus exequutus non fuerit conſilium de inſtaurando ſtatu Eccleſiæ ſui Populi? In Chronologia Diodoro Siculo adjecta ſcribitur ad Olymp. LXXXIV: 3. PAX IN GRÆCIA, ET UBIQUE GENTIUM. Reſpicit Auctor ad ſolennem Pacem inter Artaxerxem & Græcos factam hoc ipſo anno, Perſis ſumme pudendam; etſi hæc pax cum Græcis ad res Judaicas parum attinuerit. At extat hic clariſſimus locus Diodori ad Ol. LXXXIV: 4 hanc univerſalem pacem qua τὰ ἔθνη ἡσύχαζε τὴν ἄλλην σχεδὸν ἅπασαν τὴν οἰκουμένην, graphice deſcribit. Sed ſi hoc anno pax facta ſit per orbem terrarum utique ante ſecundum Annum Darii: quid expectat Angelus *pacem aliam*? Equidem verum eſt, duraſſe adhuc pacem inter Perſas & Græcos: ſed æram nullam pacis hic initium duxiſſe à Dario Notho; minus à

 Darii

Darii Nothi anno ſecundo: ut ſane à Dario Hyſtaſpide, ejusque anno ſecundo: quæ hypotheſi noſtræ favent. Eſt tamen illud nobis moleſtum, etſi hic nobis non obeſt; Petavium & Uſſerium liquidam hiſtoriam hic turbare hypotheſibus illi inſertis, illum quidem de LXX Hebdomadis tanquam cæptis Artaxerxis Longimani a. XX, hunc quidem Darii tanquam Mariti Eſtheræ. Perperam id & vitioſiſſime fit, etiamſi alteram hypotheſin non gravate feram. Cenſeo tamen, *Hiſtoriam liquidam & per ſe relinquendam; hypotheſes vero hiſtoricas extra hiſtoriam tractandas eſſe.* Secus ſi fiat, omnia permiſcentur.

γ *Adjunctum* notabile ſive *interceſſio* ab ANGELO Equite facta pro Populo Dei.

α Interceſſio ipſa, vs. 12.

Vs. 12. *Et reſpondit Angelus Jehovæ, & dixit: Jehova Exercituum! Usque quando Tu non miſereberis Hieroſolymæ, & civitatum Judæ, quibus* GRAVISSIME INDIGNATUS FUISTI *hiſce LXX annis?*] Ita eſt, ut in ſuperioribus dixi; à parte hac extrema Viſi, hoc eſt, à Pragmatica, pendere totius hujus Emblematis ſcopum. Theoretica exhibet baſin Viſi. Practica ipſam actionem baſi ſuperſtructam. Meditabatur jam tum *Angelus Jehovæ* orationem interceſſoriam pro ſtatu Hieroſolymæ & Civitatum Judæ; ſed an commoda ſatis & opportuna eſſet interceſſio, id vero prius volebat explorare. Quod cum exploraſſet: tum demum interceſſionem illam inſtituit in eam formam, quæ hic exhibetur. Interim deprehendimus hic novum attributum hujus *Angeli*, primarii Equitis, idque plane μυστηριῶδες; eſſe videlicet non curatorem tantum & Præſidem Populi Dei; ſed quoque παράκλητον, interceſſorem, advocatum, deprecatorem, qui illius apud Deum cauſſam agit:

agit: quod utrumque involvitur phraſi Dan. XII: 1. ubi Michael dicitur *Princeps ille magnus*, העומד על בני עמך *qui ſtat pro populo Dei.* (pro filiis Populi tui.) Non tantum Præſes, defenſor, Oeconomus, qui cauſſam ejus agit & gerit, ſed & qui cauſſam ejus juvat ſua interceſſione; ut phraſis aliis in locis & apud Jeremiam ſumitur: (a) *recordare*, עמדי לפניך לדבר עליהם טובה *ſtetiſſe me coram te ut pro ipſis loquerer in bonum eorum, ut excandeſcentiam tuam ab iis averterem.* ſc. ut interceſſorem & paracletum agerem. Eſt, quod hic panditur, magnum, ut jam ſignificavi, myſterium. Eſſe, & jam notum fuiſſe ſub Oeconomia Vetere, Perſonam illuſtrem, *Angelum παράκλητον*, qui interceſſorem & deprecatorem egit ſub Oeconomia antiqua? Quis alius גואל GOEL, & מושיע SERVATOR? qui ſic dicitur Jeſaïæ Cap. XLIII: 1. LIV: 5. & quidem קדוש ישראל SANCTUS ISRAELIS, Cap. XLI: 14. Eſt autem is ipſe titulus PONTIFICIS HEBRÆORUM; qui hoc nomine appellabatur. Ubi autem Filius Dei ſe ut *paracletum*, hoc nomine notum, proponit Joh. XIV: 16. quis de *alio* cogitet *paracleto*, quam de quo hic mentio? quemque Zacharias ut מגיד *παράκλητον* a *δευτέρῳ παρακλήτῳ*, *altero paracleto*, hoc eſt *indice*, ſc. Spiritu S. diſtinguit? Sic enim plane accipiendum cenſeo locum cum Coccejo, cujus hic eſt doctiſſima meditatio, Zach. IX: 12. ut proinde vere neſciam, quo jure quis Sacerdotium Chriſti Jeſu typicum, à me adſtructum ex præcellentibus & myſtici aſpectus hiſtoriis, Jud. VI: 18, 19. & Cap. XIII: 20. ex hac ratione negare queat, quod Scriptura S. ad Sacerdotium Chriſti humanam Naturam referre ſoleat? Id quidem, quod nos hic loci agimus, vere diverſum eſt. Pertendimus, Filium Dei vi ſpon-

(a) Cap. XVIII: 20.

ſponſionis ſuæ & conſtitutionis æternæ ſui Patris, à quo Deus Eccleſiam habuit in Mundo, adminiſtraſſe actus Sacerdotii, pro ratione ſtatus illius Eccleſiæ, non *typicos*, ſed *veros*; ad quos actus hunc caſum referimus. Sed eundem Filium Dei non potuiſſe præludere *typico* ſuo *Sacerdotio*, ut illud Sacerdotium integrum & præfectum olim gerendum vere adminiſtraret; quis neget? Typi omnes id adſtruunt. Sed, ais, Chriſtus Jeſus nunquam ut Sacerdos proponitur niſi cum reſpectu ad *humanam naturam*; Reſpondeo primo, id veriſſimum eſſe, integrum Chriſti Jeſu Sacerdotium, quo ſe obtulit Deo Patri, nunquam *typice* exhiberi, niſi utraque natura ſimul exhibeatur: idque luculenter patere ex ipſis illis ſymbolicis Viſis Libri Judicum, quæ ex his locis repræſentavi, quippe quibus utriusque naturæ partes & ἐνέργειαι diſtincte recenſentur; & quæ Divinæ, quænam humanæ Naturæ partes eſſent, declaratur: atqui in hac diſputatione de eo tantum agitur; ut cætera ad rem non faciant. Deinde, affirmo me ut rem certiſſimam tenere in Officio Sacerdotali vel interceſſorio Chriſti Jeſu principalem partem ſuſtinuiſſe *Divinam Naturam* Filii Dei, (πνεῦμα αἰώνιον τοῦ Χριστοῦ, non, τὸ πνεῦμα αἰώνιον,) Heb. IX: 14. coll. cum Cap. V: 6, 7. quippe ad quam omnes referuntur actus tum præſidii Eccleſiæ; tum Sacerdotii ab ipſo pro ſtatu rerum & temporis adminiſtrati, usque ad Oeconomiam ejus terreſtrem; ut proinde nemo hic erret, qui Filium Dei jam illo tempore ut *Sacerdotem & Pontificem* honoret reſpectu potioris & dignioris partis, cujus eſſet, omnia in hoc præclaro officio ſuſtinere. Nolim vero quem his partibus vel defendendis vel negandis miſcere aſſumptam de *Melchiſedeki* Sacerdotio hypotheſin, in vitio fundatam, & non defendendam unquam, niſi error errore cumuletur. Eſt

Eſt autem hæc interceſſio *Angeli Sacerdotis* ſic inſtructa, ut ubique τὸ πάθος prodat, & ἔμφασιν. Eſtque oratio primo conſideranda; deinde quis ſcopus hujus ſchematis; quove tendat?

Appellat *Jehovam* nomine *Jehova Exercituum* ſ. Domine vel Deus *Exercituum*: eſt enim phraſis, ut conſtat, elliptica; & quidem, quod jam ſupra obſervavi, ad vs. 3. noſtro Prophetæ uſu valde familiaris; & tamen, quod commemorandum eſt, hic majorem vim obtinet, idque mox liquebit, quam alibi. Eſt omnino Jehova Exercituum Jehova *Exercituum*, hoc eſt, *Poteſtatum ſpiritualium Rector*. Reſpicitur autem hic primo ad ipſos *Angelos*, Exercitus Jehovæ ſic dictos; ut alibi obſervavi, & ante me obſervarunt alii; neque hæc bene monita repetam. Ecquid vero ipſe *Angelus*, qui ſe appellat ipſe Principem Exercituum Dei, (a) & qui hic proponitur tanquam gubernator & οἰκονόμος totius Familiæ Dei ſuperioris: hic appellat tanquam ſe *ſuperiorem*, & ad eum tanquam talem dirigit precationem? Eſt id vere rurſus magnum myſterium, non niſi ex ipſis illis Libris Sacris ſolvendum, unde hauſtum eſt. Filius Dei, idem verus Deus, ſecundum Oeconomiam perſonarum divinarum *minor* habitus eſt Patre, ut ipſe? (b) *Quia Pater meus* MAJOR *me eſt*. Pertinet tum ad ipſum tempus τῆς ἐπιδημίας Filii Dei in terris; tum ad tempus omne adventum ejus antecedens: ſed ſub Oeconomia Nova demum collocatus eſt ad dextram Dei Patris in cœlis, & Patri, ſit fas dictu, gloria majeſtateque æquatus. Etiamſi vero interceſſio ejus pro Eccleſia ſui Populi nunquam caruerit ſuo effectu, & vero ſemper conjuncta fuerit cum dignitate majeſtateque Perſonæ intercedentis:

(a) Joſ. V: 14. (b) Joh. XIV: 28.

tis: eſt tamen hic magna differentia inter Filium Dei ut magnum Pontificem cum integra majeſtate & ſumma plenitudine Juris, *poſt purificationem peccatorum noſtrorum per ſe ipſum factam*, ingredientem in Sanctuarium cæleſte & ἐμφανιζόμενον τῷ Θεῷ *apparentem Deo*; & inter eundem qua ſummum Patris Legatum ſub Oeconomia vet. Patri ſubſtitutum. Ille ἐμφανισμὸς, ſive ἐντυχία, (a) *apparitio Dei* eſt proprie repræſentatio & exhibitio ejus, quod Filio debetur, ſumma cum majeſtate & juris competentia facta, & ſumma cum auctoritate, ex voluntate Patris, adminiſtrata: quæ cum hic in hoc ſtatu non adfuerint; patet, Perſonam Filii Dei hic inferiore ſpecie apparuiſſe, tam majeſtate quam auctoritate & gloria minore, licet ſemper Divina & Deo digna. Quam differentiam gradus percipere, nedum explicare, eſt infra ingenium creaturæ. Omnia hic ſunt cogitanda Θεοπρεπῆ, auguſta, ſublimia, Deo ejusque ſummæ majeſtati congruentia. Ergo ipſe Poteſtatum cœleſtium Præſes Oeconomice agnoſcit alium ſe ſuperiorem, Patrem ſcilicet, ex quo omnia, *ex quo tota familia in cœlis & terra nominatur*. (b) Ad quem, tanquam ex cujus ſummo conſilio omnia geruntur, res humanæ omnes, earumque eventus, referendæ ſunt.

Quousque, ait, TU *non miſereberis Hieroſolymæ & urbium Judæ, quibus graviſſime indignatus fuiſti hiſce LXX annis?* Orationem, patet, ejus eſſe generis quæ dicitur ἱκετικὴ *ſupplicatoria*, cujus formulæ ſunt אתה TU, (quæ ſane hunc uſum hic obtinet, ut in variis aliis locis, ut Jeſ. LXIII: 16.) נא *quæſo*, אנא *obſecro*. Sed prius ob majeſtatem perſonæ precantis hic ſufficiebat. Supplicationis vero ſuæ objectum facit *Hieroſolymam & Urbes Judæ*, quibus Deus *gra-*

(a) Rom. VIII: 34. (b) Eph. III: 15.

graviſſime indignatus fuerat hos *LXX annos?* Intelleximus, & intelligendos eſſe demonſtravimus, ipſos illos famoſos annos exilii Babylonici, quos Deus Genti per Prophetas interminatus fuerat: Scaligerum & ſequaces, neque etiam Coccejum, ullos alios demonſtrare poſſe. Sed illa jam cenſeri poſſet confecta eſſe ἀπόδειξις. Ita eſt; & tamen validum huc adferri poteſt argumentum pro hypotheſi noſtra ex voce זעם ZAAM, qua *Angelus Sacerdos* genus hoc Divinæ indignationis expreſſit. Eſt autem זעם Hebræis indignari & iraſci graviſſime cum *contemptu* & *deteſtatione*. Græci, ni fallor, eandem vocem transpoſitis literis reddunt νεμεσίζομαι, ut apud Homerum, (a)

Ἥρῃ δ᾽ οὔτι τόσον νεμεσίζομαι, οὐδὲ χολοῦμαι.

Junoni autem nullo modo indignor aut iraſcor.

Vel, ſi id fallat, (etſi ratio non eſt cum litera v. explere poſſit literam ע,) obſervaveris: notionem זעם, quæ graviſſimam *iram* ſignificat cum motu labiorum, ut apud Jeſaïam. (b) שפתיו מלאו זעם *Labia ejus plena ſunt indignatione*, qualis ſc. locum habet in ira graviſſima trementibus labiis: eandem, inquam, notionem valere *deteſtari*, *execrari*, qualem actum *immanis indignatio*, ut Vir Doctus bene monet, producit. Sic eſt Num. XXIII: 7. in verbis Balaki ad Bileamum: *Execrare mihi Jacobum*, ולכה ועמה ישראל *& ito*, DETESTARE *Iſraëlem*. Id ubique videbis obtinere. Sed duo nobis loca imprimis ſervient, ad eandem rem pertinentia, ut Thren. II: 7. וינאץ בזעם אפו מלך וכהן *Et* SPREVIT *præ gravi indignatione iræ ſuæ Regem & Sacerdotem*. Eſt id genus indignationis ſeveræ, in quo ineſt ניאוץ *contemptus*. Quid clarius apud Ezechielem: (c) *Et effudi ſuper eos* זעמי *gravem meam indignationem: igne ſu-*

T per-

(a) Iliad. Lib. VIII ſub finem. (b) Jeſ. XXX: 26. (c) Cap. XXII: 31.

perabundantis mei furoris conſumpſi eos: viam ipſorum in caput ipſorum dedi; ait Dominus Jehova. Agitur itaque hic de ultione à Judæis ſumpta in Exilio Babylonico. Ecquæ jam cogitari poterit periodus LXX annorum, cujus mentio fiat hic loci & Cap. VII: 5. ab annis hiſce famoſis diſtincta? Sunt ne inter Cyrum & Darii Nothi (fac ita eſſe) annum ſecundum alii aliqui LXX anni ſummæ indignationis & graviſſimæ iræ quam hi ipſi anni? Vanum ſit de eo diſputare. Hoc tempore exuſtum fuit Templum; Palatia Hieroſolymæ miſſa in cinerem; Urbs tota deſolata vaſtataque; Populus partim ferro & fame conſumptus; partim abductus in Exilium; & etiamſi magnum levamen huc allatum eſſet & ſpes liberationis per Cyrum; patet tamen ex hiſtoria & ex hac prophetia; pleraque hæc mala (quod ad ſubſtantiam ſuam,) hactenus durare, nec expectari poſſe Eccleſiæ ac Reipublicæ inſtaurationem absque Templi aut Hieroſolymæ reædificatione. In his vero dum eſt Angelus, non tam queritur ille de his malis infelici Genti decretis, quippe non ignorans, eſſe in arcanis decretis Divinæ juſtitiæ hanc ſeveritatem rigidiſſime exercere. Sed ſimul duo ipſi obverſabantur, quæ baſin faciebant hujus ſupplicationis, primo, Deum per omnes Prophetas promiſiſſe *miſerationem* (& quidem hac ipſa voce רחם) malorum gravium Genti inflictorum: deinde, miſerationem illam adſtrinxiſſe certo tempori. Sic Jeſ. XIV: 1. כי ירחם יהוה את יעקב *Quia* MISERABITUR *Jehova Jacobum, & eliget amplius Iſraëlem, & illos ponet in terra ſua*, & ſqq. Inſpice locum, & videbis, agere de reditu ex Captivitate Babylonica. Jer. XII: 15. *Et futurum eſt, ut poſtquam evellerim ipſos, rurſus eorum* MISERTURUS SIM, (ורחמתי) *& reducturus ſim quemque ad hæreditatem*

tem ſuam, & ſqq. Confer Jer. XXXI: 20. & XXXIII: 26. Quæ apud Moſen ipſum, aliosque Prophetas, occurrunt, non recenſeo. Tantum rurſus moneo, reſpici hac quoque notione gravitatem malorum, & *amoris magnitudinem.* Magna mala movent commiſerationem; & quidem quibus laborant amati, Liberi, filii, tenelli, unigeniti, qui emphaticus uſus vocis רחם ubique obtinet. Horum nihil hic opus eſt excludere. *Miſerationem* poſtulat, imo vero expoſtulat, à malis graviſſimis, quæ cum per ſe Deum Patrem miſerationum & ad omnem indulgentiam erga creaturas ſuas propenſum viderentur debere movere: tum præcipue erga *filios*, in quos miſerationes ipſius par erat exardeſcere.. Et hæc tamen pro re præſenti minus urget. Sed cum Deus ſimul conſtituiſſet mali terminum, qui jam adeſſe cenſebatur, id maxime urget. עד מתי *Quousque*, ait, *non miſereberis*, &c. Statuerat Deus ipſe per Prophetam Jeremiam terminum hujus pœnæ judicialis LXX annorum; idque fecerat Propheta, ut per vulgus innoteſceret. (a) Sed, quod caput rei erat, & de quo ſuo loco diſſerui: Periodus illa LXX annorum admittebat variam latitudinem, ut in maxima latitudine vel contractior vel productior fieret per ſpatium octodecim annorum. Si à quarto Jehojakimi ſumas, (ubi primus terminus ἀφ' οὗ figitur à Jeremia, (b)) incidit *terminus ad quem* in primum annum Cyri, (Darii Babylonici ſecundum, ejusque emortualem,) eſtque hoc primum implementum Prophetiæ: ſed ſi terminum à quo petas ab undecimo Tſedekiæ, terminatur in Darii Hyſtaſpis annum ſecundum. Ea itaque hæc Divina eſt viſi hujus interpretatio, hypotheſi noſtræ conſentiens. Cum, ô Deus, juxta veri-

T 2

(a) Dan. IX: 1, 2. (b) Jer. XXV: 1.

veritatem interminationis tuæ videri potuiſſes aliquam laxitatem & indulgentiam exhibere populo tuo, & quidem *Populo tuo*, ut ejus *miſerearis*, non tantum nullam indulgentiam hic exerces; ſed ſententiam fori tui ad ſummum rigorem exequeris? Non ſane id latet in propoſitione hujus ſupplicationis, Deum prætergreſſum eſſe terminum ſuæ ſeveritati ſtatutum: ſed usque ad ipſum terminum extremum ſuam ſeveritatem perſequi: ut autem difficile eſt patientiæ Leges obſervare, & ſi termini, intra quos patientia ſtat, aliquam indulgentiam patiantur, ſpes ſe patientiæ miſcet, ut eam leviorem faciat; id vero ſi non fiat, & patientia malorum ad ultimum terminum protendi videtur: tum vero locum habet in oratione, עד מתו QUOUSQUE? ut in locis ſimilibus, huic analogis? (a) Equidem Deus non differebat tempus miſerationis ultra terminum conſilio fixum, quem juſtitia exigebat; & habebat rationem ſic dirigendi rationes ſuæ providentiæ, ut exequutio intra hoſce terminos præciſe ſtaret: ſed cum terminus ultimus nunc adeſſet; Monet Deum veluti per ſupplicia, ut recordari velit temporis miſerationis. Hæc ſpecies eſt Viſi.

Quorſum vero hoc σχῆμα tendit? Quid ſubeſt huic figuræ? Eſtne, ut Deus tanquam tempora ſua minus curioſe obſervans, ejus moneri debeat? maxime temporis miſerationis & gratiæ, quo ſe Populo ſuo obſtrinxit? Imo vero: nihil horum. Precatio hæc eſt *ſignum* ex quo liquet, Deum hoc ipſo tempore velle id quod Eccleſiæ promiſerat præſtare & effectum dare. Quando Eccleſia electorum Dei ſancto motu corripitur ad intercedendum apud Deum, decente zelo, ſecundum voluntatem Dei, ſive

(a) Pſ. VI: 4. LXXX: 5.

ſive ad hoc vel illud neceſſarium bonum impetrandum; ſive ad malum averruncandum: ſignum eſt, Deum illas preces velle exaudire; & cum ad voluntatem Dei fiant non fruſtrandas eſſe effectu. Eſt enim in Eccleſia Spiritus Dei, qui in nobis pro ea interpellans, novit Dei mentem. Quanto magis ubi ipſe Filius Dei, qua Oeconomus Eccleſiæ Veteris, pro ea intercedit? Signum eſt, ut jam monui, verum tempus miſerationum adveniſſe. Filius enim Dei qua Mediator & Interceſſor Populi Dei, non poteſt fruſtra intercedere; ut nec ignorare Dei voluntatem. Ergo cum ipſe intercedit, certum eſt, id quod precatur, Deum facere velle; quippe quem *per omnia exaudiat.* (a) Summa & perfecta communio, quæ inter Patrem & Filium eſt, nec Filium quicquam conſiliorum Patris ignorare ſinit; nec petenti Filio quicquam negare. Ergo tota hæc figura huc tendit, ut doceat, perfectam eſſe communionem voluntatis & operationum Patris ac Filii; & ipſam hanc Filii precationem eſſe *ſignum*; Deum hoc tempore ipſo id præſtare velle, cum verum & juſtum tempus adeſſet: atqui id ipſum eſt quod ſequitur.

β Reſponſum ad *Interceſſionem.*

Vs. XIII. *Et reſpondit Jehova* ANGELO LOQUENTI MIHI *verba bona, verba conſolatoria.*] Videbatur Angelus interceſſor idem recipere debere *reſponſum.* In enim ad ipſum attinebat. Quid itaque Jehova hic reſpondet *Angelo loquenti Prophetæ?* Certe interpretes hic non pauci, licet videre potuiſſent ex totius orationis contextu, *Angelum Myrteti*, & *Angelum loquentem Prophetæ* ſc. Prophetæ Interpretem, eſſe Perſonas diverſas: paſſi ſe ſunt ex hoc loco maxime in hanc perduci ſententiam; non niſi unicum

(a) Joh. XI: 41, 42.

tum *Angelum loquentem* in hac ſcena comparere; eandemque Perſonam eſſe, *Angelum Myrteti*, quæ fuit *Angelus loquens Prophetæ*. Sed quænam Interpreti exercitato hærere poteſt difficultas in hoc loco? Eſt enim oratio mere elliptica, ut jam ſupra monui. *Reſpondit Jehova Angelo*, qui erat in myrteto, *& ille Angelus reſpondit Angelo loquenti mihi*. Alterum membrum, quod ex re ipſa intelligi poterat, hic negligitur, & id tantum quod ad rem pertinet, recenſetur: cujus generis non una nobis ellipſis occurret in Viſo de *Candelabro*, Cap. IV: 2. ſqq. cujus generis ellipſes, ubi membrum integrum in ſententia deeſt, habentur apud Glaſſium, (a) licet evidentiora exempla alibi occurrant: eſt enim hujus figuræ omnium fœcundiſſimum. Jubet autem Angelum nunciari דברים טובים דברים נחומים *Verba bona, verba conſolatoria*, ſive *conſolantia*. Hoc eſt, in univerſum εὐαγγέλια Hieron. *bona, de futurorum promiſſione: conſolatoria, de præſentium neceſſitate*. Sunt in genere, optata, proſpera, jucunda, præſenti rerum ſtatui ex voto congruentia. Suntque eadem *bona*, ſic abſolute dicta: quæ cum reſpectu ad mala & miſeriam dicuntur *conſolantia*. Alibi appellantur ſimpliciter טוב *bonum*, ישע *ſalus*, שלום *pax*, cum reſpectu ad temporalia aut ſpiritualia Beneficia de quibus agitur: (b) etſi ſub Vetere Oeconomia Bona ſpiritualia ſemper temporalibus involvantur. Quænam autem hic intelligantur beneficia Divinæ Gratiæ, Liberatio nimirum à malis præſentibus, quibus ne ſub ipſo quidem regimine Perſarum erant expediti, (dum Satrapæ minores, occupato primum Cyro, deinde Cambyſe in Ægypto, omnia pro voluntate & gratia adminiſtrabant,) & inſtauratio & refloreſcentia Reipubli-

(a) Lib. IV. Tract. II. Obs. III, IV. (b) Jeſ. LII: 7.

publicæ; & Divini favoris lætior affulgentia; liquet ex ſequentibus, quæ ea abunde declarant diſtinctis articulis. Nempe ipſe Propheta accipit mandatum, duplici inſtantia, ad lætam hanc Prophetiam inſtar præconis publici apud Eccleſiam Populi Dei promulgandam, cujus pars prior, *ultionem hoſtium* & Templi *reædificationem* complectitur vs. 14, 15, 16. Poſterior, *Redintegrationem Reipublicæ* cum bonorum omnium optata affluentia, vs. 17.

Inſtantiæ articulus primus.

α Ultio hoſtium.

Vs. XIV. *Et dixit ad me Angelus qui mihi loquebatur*, CLAMA *in hanc formam, Sic dixit Jehova exercituum Dominus; Magno zelo affectus ſum erga Hieroſolymam & Tſionem. vs.* 15. *Et excandeſcentia magna exarſi in* GENTES *illas* TRANQUILLAS; *quod cum ego efferbuerim paululum, illæ* ADJUVERINT IN MALUM.] In priore parte hujus orationis, nihil eſt quod nos teneat. Cum Prophetæ eſſent Præcones Publici Populi Judæi, ut per ipſos cognoſcerent Dei voluntatem: nihil hic novi eſt, Angelum Prophetæ comitem & interpretem Zachariæ in mandatis dare, ut alta voce in publico promulgaret hunc lætum nuncium. Et quidem Populis omnibus ejusmodi *κήρυκας Præcones* alta voce inſtructos, receptos fuiſſe, alibi late probavi, ad Jeſ. XL: 3. Id hic Hebræum קרא. Græcis *κηρύττειν, κήρυγμα*; unde Chaldæorum, כרוזא כרז. Vis vocis eſt Matth. X: 27. *ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων*. Si omnino ſtatuendum eſſet cum Cl. Coccejo, Angelum hunc Interpretem Prophetæ eſſe ipſum Spiritum S. à qua ſententia una & altera ratio me divertit, (licet ſane eam non ſpernam:) pulcrum hoc loco & rei ipſi valde congruens videretur; Spiritum S. Prophetam inſtruere hoc mandato potius

tius quam Angelum creatum. Sed ipſe Chriſtus Jeſus Joannem Apoſtolum inſtruxit per *Angelum*, & quidem *creatum;* & diſpenſatio Miniſterii Angelici nihil habet huic facto contrarium. Id utique certum; Prophetam hæc ipſa verba tam alte *clamaſſe*, ut ſonus hodie dum in auribus totius Eccleſiæ, & Eccleſiam Gentium perſonet. *Clama*, ait. Vulgetur vox per totum Mundum. Intellexerunt ipſi Prophetæ; Vocem ſuam omnia pervaſuram eſſe ſæcula: plus eſt, quod in materia mandati obſervandum. Videtur enim *Deus ita hic loci inſtituere*, acſi ſe excuſando ac defendendo adverſus ſeveritatem gravitatemque judicii, Judæis inflicti, partem illius transferre cuperet ad Gentes, hoſtes Populi Dei. In hanc formam ſtructa eſt oratio; Verum quidem eſt, me populum graviter caſtigaſſe & longum: ſed illa omnis ſeveritas mihi vertenda non eſt vitio. Hoſtes mei & veſtri Babylonii, peſſime in vos affecti, videntes juſtiſſimam eſſe meam erga vos indignationem, tantum ſuæ dederunt malitiæ, ut pœnam in majus auxerint, & cum ipſos elegiſſem juſtitiæ meæ exequutores, *abuſi* fuerint mea illa in Populum meum ira, & ſuo indulgentes affectui, *iræ meæ* debuiſſent *occurrere*, & exequutionem ejus temperare, cum contra illi *in majus auxerint* & *adjuverint*. Eſt plane metaphora deſumpta à pædagogo, cui cum Pater juſte iratus filium coërcendum commiſerit modica coërcitione, ipſe nullo modo ſuccurrit indignationi Patris, eamque mitigat; ſed contra malo affectui indulgens præter intentionem veramque voluntatem Patris, quæ ſemper miſerationem admittit, punitionem graviorem facit quam deberet. Atque hæc eſt fortiſſima metaphora τῆς ἀνθρωποπαθείας quam extare putem in Scriptura S., nec præter hunc locum reperitur, niſi

Jeſ-

Jeſ. XLVII: 6. Quid? Babylonii an quicquam exequuti ſunt graviſſimorum etiam ſuppliciorum, quæ adminiſtrarunt in Judæam Gentem, citra Dei voluntatem? citra rationem Fori cœleſtis? Nonne ipſa animadverſio & animadverſionis modus, circumſtantiæ, à Deo ſingula circumſcripta, & à Prophetis ipſis definita, ac prædicta ſunt? An Babylonii ſive Chaldæi, qui ut inſtrumenta Deo in hoc Opere Judiciali inſervierunt, hic vel ſpirare potuerunt, Deo non volente? Eſtne præterea ſatis congruens Divinæ gravitati majeſtatique ab hoſtibus petere excuſationem intemperantiæ, cujus moderamen totum fuit in Divina poteſtate? ut adeo videatur magna ineſſe durities in hac figura orationis. Atque hæc ſingulá excuſſi ac diſcuſſi, in explicando loco Jeſaïæ Cap. XLVII: 6. eoque analogo, & explicationis indigo; nec putem quicquam hic neglexiſſe, quod ad rem ipſam pertinebat: quæ otioſum eſſet repetere. Summa eſt, pertinere figuram orationis, primo quidem ad commendandum id, quod nulla noſtra cogitatione exprimibile eſt in Deo χρηστὸν (a) καὶ φιλάνθρωπον *benignum* & *erga homines benevolum*, (dicamus ἀνθρωποπαθὲς.) quod etiamſi homines juſtiſſime puniat, non puniviſſe tamen mavelit, & ipſius punitionis veluti pœniteat. Ita punit Deus, ut ſi rationibus Juſtitiæ ejus conveniret, minus pœnæ exigeret, quam facit. Deinde, Homines, qui judicia aut vindictam Dei exequuntur, paſſim *de ſuo* aliquid addant: non ſane quod aliquid hic adjiciant pœnæ à Deo decretæ ac definitæ; ſed quod id, quod addunt, a. Nec ex eodem principio procedat, ex quo Deus punit; quod proin *ipſorum* eſſe cenſetur. b. Quod ex aliis cauſſis ad pœnam impulſi, contra Leges humani-

(a) Tit. III: 4.

tatis & æquitatis cum proximo agentes, in ſe devolvant graviſſimam noxam; ut propter id, quod non *Dei*, ſed *ſuum* eſt, ipſi ſibi merito contrahant juſtum pœnæ debitum. Et hæc quidem quod ad figuram orationis. Ipſa inſpicienda eſt ſententia; & maxime quorſum prophetia reſpiciat.

Imponitur Prophetæ officium, hæc promulgandi verba, *Ego zelo affectus ſum erga Jeruſalem & Zionem zelo magno.* Hieron. *Zelatus ſum Hieruſalem & Zion zelo magno.* Poterat ſcribere *zelavi.* imitatus enim Jeſ. LXX. Ἐζήλωσα τὴν Ἱερουσαλὴμ καὶ τὴν Σιὼν ζῆλον μέγαν. Sic ſolent οἱ ό. non ubique quidem, ſed paſſim, *quartum caſum* cum Verbo ζηλῶ uſurpare: etiam apud Exoticos; imo ipſos quoque Hebræos; ſumiturque in bonam vel malam partem; tam reſpectu objecti ipſius læſi, quod ulciſcendum erat: quam reſpectu ſubjecti, in quo ultio terminaretur. *Obſervarunt* tamen Docti Viri, ubi vox conſtruitur cum ל, ut hoc in loco *Zelo* לי׳ ושלים paſſim uſurpari in meliorem partem; hoc eſt, Deum vindicias exerciturum eſſe *in gratiam* hujus vel illius rei: non vero, vindicaturum hanc vel illam rem, quam habet objectum ſui amoris; veluti *gloriam*, vel *Eccleſiam.* Confer Num. XI: 29. Ezech. XXXIX: 25. Zach. VIII: 2. Habet Deus rem cariſſimam, quam ulciſci vult, ſi ab alio lædatur; quamque ipſe ulciſci vult & juſtis vindiciis proſequi, ſi ipſa Deum lædat, hoc eſt, amore, communione & conjugio Dei ſe indignam gerat. Prius facit ſenſum hujus loci, quem docte expreſſit Chaldæus: מתּרע אנא פורענות ירושלם ולציון קנאה רבא *Ulciſcar ego ultionem Hieroſolymæ & Tſionis zelo magno.* Quin imperiti ſermonis Hebræi Cyrillus & Theodoretus hic quoque errarunt, quia manifeſta eſt ἀντίθεσις inter hunc verſicu-

ſiculum & *ſequentem*, qui judicium hoc refert ad Gentes, vs. 15. *Quin efferveo fervore magno in Gentes haſce tranquillas*, &c. Significat & declarat Deus, meditari ſe jam hoc ipſo tempore gravia iræ & indignationis ſuæ effecta, (ſunt autem effecta *juſtitiæ* Dei ultricis, ſive *punientis*,) quæ deſtinaverit Gentibus, judiciorum ſuorum in Judæos executricibus, quas vocat *tranquillas illas* השאננים. quæ quidem vox ſecundum Hebræam notionem non recipit incommodam interpretationem, tanquam ſignificaret gentes, veluti Chaldæos, (ſi vis, de quo mox) in externo luxus proſperitatisque ſtatu conſtitutas & nullis gravioribus malis conturbatas, utique in ſolo ſuo & terra deſidentes, & quæ his ſimilia ſunt. Verum quid hic viderint ὁ Ο΄. pauci obſervarunt. Verterunt illi, Ἐπὶ τὰ ἔθνη τὰ συνεπιτιθέμενα. Ut Latinus Int. apud Hieron. *Super gentes quæ ſuperimpoſita ſunt.* Hieronymus ipſe, *Opulentas.* Poſterius, fateor, aliquid commune habet cum voce שאננים *tranquillæ* & in luxu, deſidia, opibus absque perturbatione viventes: ſed quid illud, quod οἱ Ο΄. præferunt, commune habet cum voce συνεπιτίθεσθαι? Certe ſive id intelligamus, ſive id neſciamus: nos non multo faciet doctiores; nec tamen alienum eſt a ſtudiis hominis critici in id inquirere: nobis hic poterit ſufficere, non videri dubitandum eſſe de vera loci lectione, & rem ipſam tenere; quinam ſcilicet qualesque Populi hic dicantur *tranquilli*; & quis genuinus ſenſus notione hic ſubſit. (A)

(A) In disquiſitione critica de his verbis τῶν ὁ. duo occurrunt dubia. Primo quis ſenſus ſubſit Græcis τὰ ἔθνη τὰ συνεπιτιθέμενα proprie *Gentes quæ ſuperimpoſitæ ſunt.* Deinde quid ea vox commune habeat cum voce שאננים *tran-*

Neutrum hic definiri poteſt abſque cognito ſubjecto, de quo hic agitur; ad cujus notitiam duo ſuppono. Primo quidem, Gentes illas *tranquillas*, quæ hic feruntur, eſſe objectum Divinæ excandeſcentiæ, quæque, cum Deus punire vellet Judæos, *adjuverunt in malum*, eſſe non *Perſae tranquillæ*. Prius cenſeo expediri poſſe. Gentes *ſuperimpoſitæ* ſunt *Gentes*, *quæ ſibi mutuo auxilum ferunt ad hoſtes ſuos debellandos.* συνεπιτίθεσθαι eſt *unà agredior*, *adjuvo*, *vires conjungo ad ſuperandos adverſarios*. Heſychius: συνεπιτιθεμένων, συνεδρευόντων. *Una conſilia agitare*, vel *inſidias moliri*, ad alterius perniciem. Eſt deſumptum ex Pſ. III: 6. Eſtque hæc ratio, quare eadem hæc vox in fine hujus verſus a τοῖς Ο'. repetatur, ut reddat vocem עזר *adjuvare*, ſive συμμαχεῖν. Quod in Hebræis, *Quia ego iratus eram parum*, *ipſi vero* עזרו ADJUVERUNT *in malum*, verterunt οἱ Ο'. Αὐτοὶ δὲ συνεπέθεντο εἰς κακά. Latinus: *Ipſi vero ſuperimpoſiti ſunt in mala*. Abſurde! vertendum, *Ipſi vero adjuverunt in malum*. Illi ſimul conſilia ſumpſerunt in malum. Hæc mens Alexandrini. Atque eodem plane modo ſumi voluerunt vocem συνεπιτίθεμαι pro *una agredi*, *inſidiari*, *inſidiando opem ferre* ad themata שית & שלח. in locis Pſ. III: 6. Obadj. vs. 13. Ergo. השאננים ſunt Græcis *Gentes quæ adverſus Populum Dei inſidiatæ ſunt*, ſive *conſpirarunt*. Unde veró illud? Quid inter has notiones commune? Reſpondeo, Interpretem Græcum incertum fuiſſe vel lectionis vel ſignificationis vocis שאנן in cujus interpretatione variant. Hic vero non intellexerunt, quomodo Chaldæi potuerint appellari *tranquilli*. Certe petierunt ſignificationem vocis ex poſtremo membro עזר *adjuvare*, inſidiari ſibi mutuo ad malum, & inde petierunt interpretationem. Id unum probabile habeo. Dixeris, ubi plures ſe mutuo adjuvant, & invicem auxilium ferunt; præſtare eos ſibi invicem *ſecuritatem* tranquillitatemque. Cogitavi, fateor, de eo; ſed id quod dixi, rectius videtur.

ſas & Medos, ſed Chaldæos, & præſertim *Babylonios*: deinde, non eſſe id referendum ad totum Imperium Chaldæorum, ſed ad tempus, quo Judæi fuerunt ſub Chaldæis poſt tempora Tſedekiæ. Utrumque neceſſario probandum, quia à paucis diſtincte animadverſum eſt. Hugo Grotius ad hæc verba adſcripſit venuſtam & ad primam ſpeciem valde probabilem ſententiam. *Per gentes opulentas*, ſive, ut ille vult, *pacatas* intelligit *Gentes illas Imperii Perſici*, quas ſupra dixerat *quiete habitare*. *Quas Gentes jam alta pace indignas judicet Deus*. Quia *cum Deus iratus fuerit* PARUM. h. e. ut ille, *ad tempus aliquod*. IPSI ADJUVERUNT AD MALUM. h. e. *aliquid adjecerunt ad mala priora, dum impediunt id quod Cyrus promiſerat*: Docta ad aſpectum primum interpretatio, in qua *Perſis* imputatur, quod Chaldæis & Babyloniis competit; atque adeo fallunt omnia, quæ hoc interpretamento, licet ſane bello, continentur. Quod ubi dico, nihil hic dixerim ex invidia, tanquam qui ex ipſo hoc ſpecimine elegantiam ingenii Viri Illuſtris pro merito æſtimem. Pertinere id, quod hic dicitur, ad Babylonios, liquet ex loco jam allegato, ſed hic deſcribendo, Jeſ. XLVII: 6. *Efferbui in Populum meum;* *profanavi hæreditatem meam; & dedi in manum tuam*: (O Babylonia,) *Non poſuiſti iis miſerationes: ſuper ſenem gravaſti jugum tuum valde*. Id vero referendum eſſe ad tempora Tſedekiam ſequentia, ibidem loci demonſtravi ex hiſtoria. Prioribus annis, quibus ſuperbus quidem & ſævus, veruntamen generoſus, Princeps Nebucadnezar obnoxios ſibi fecit Judæos (à IV Jehoïakimi) omnia quæ potuit tentavit, ut eos ad amicitiam & ſocietatem ſuam contra Ægyptios pelliceret; eoſque tolerabiliter tractavit; ſed cum Jehoïakimus ipſe, tum Jehoïacimus filius ejus,

tum hujus Patruus Tſedekias, fidem ipſi jurejurando & fœdere firmatam frangeret, & ſumma pertinacia Urbem usque ad extrema defenderet, (ſcilicet, Nebucadnezari diffidens,) ſævo & inclemente uſus eſt hoc Rege ſuperbo, & in ſuperſtitem Populum, magnam partem fame abſumptum, crudeliter ſævitt; ut ibidem demonſtravi. Quid? Dicendum eſt cum Grotio, Chaldæorum hic nullam fieri mentionem, ubi mentio eſt LXX annorum iræ Dei graviſſimæ? Idne referri poteſt ad Perſas? An ad Perſas & Medos pertinet *vindicta hoſtibus Dei hic denunciata*; num potius ad Chaldæos, calamitatis & afflictionis auctores? Num Perſæ & Medi, quod opus inſtaurandi Templi non promoverint, vel retardaverint (etſi vera æſtimatio eſt, ipſorum Judæorum tarditatem & meticuloſum animum huc plurimum contuliſſe:) ob hoc crimen incucurriſſe cenſendi ſunt in pœnam gravem ab hoſtibus Dei Chaldæis meritam. Id plane adverſatur rationi. De Babyloniis hic agitur: ad ipſos hæc interminatio pertinet. Solummodo reſolvenda ſunt dubia, quæ tendentem ad verum hic morari poſſunt. Primum illud eſt, quomodo Gentes illæ, per quas Deus Populum ſuum afflixit, hic dici poſſunt השאננים *tranquillæ*? Idne convenit Chaldæis, executoribus divini judicii in Judæos? Maxime cum illi jam ſupponantur hoc tempore excidiſſe Imperio, &, Babylone à Cyro occupata, paſſi eſſe graviſſima mala, quæ Prophetæ illi interminati erant? Non eſt hoc dubium ex leviſſimis; & tamen quis illi ſolvendo operam dat? Obſervari itaque velim, Quicquid dicitur in hoc loco de malis à Deo inflictis Populo Judæo, accipiendum ea eſſe figura, quam Græci μείωσιν ſive λιτότητα vocant, qua extenuantur nobis adverſa, contra contraria maxime exaggerantur. Atque adeo, primo hic

hic respicitur ſtatus Chaldæorum ſive Babyloniorum, quo tempore ipſorum florebat imperium; dum ipſi ſub Nebucadnezare rerum potiebantur & florebant; & Babylon maxime Urbs populoſiſſima, ſuis opibus & viribus ſuperba, tanto luxu inſoleſcebat, ut, quandiu Imperium ejus ſteterit, usque ad tempora expugnatæ à Cyro Urbis omni luxuria, laſcivia, & inſolentia ſe ſupra omnes alias Urbes hujus Univerſi extulerit; ut Herodotus & Xenophon, & qui de Babylone ſcripſerunt Veteres teſtantur. Atque huc pertinet vox שאנן *tranquillis* ex copia, affluentia, & ſecuritate; ut videris in locis, in quibus uſus eſt, hujus notationis, poteſtque comparari luculentus commentarius Jeſaïæ (a) & Jeremiæ, & inſpici noſtra *Notitia Babylonis & Imperium Babylonici.* (b) Plane autem id conferri non debet cum eo, quod ſupra dictum erat, *tota autem terra ſedet & quieſcit.* Id enim pertinet ad characterem *Anni ſecundi Darii Hyſtaſpis & pacem* ſub *eo politicam.* Kimchius hic multis imprudens præivit. Sed, ais, Cyrus hoc tempore Babylonem occupavit, & eam magna affecit clade. Reſpondeo, Prophetam Babylonios reſpicere, quales erant florente ſtatu ſub Imperio ſuæ Gentis; ſed amplificare vult quicquid ipſis vitio imputari poterat, cætera, quæ ipſis videri poterant contraria eſſe, diſſimulare. Et vere quod ad rem ipſam attinet: Cyrus non perdidit Babylonem; neque eam deſtruxit; ſed tumultuario occupatam, ut fit, clade non temnenda affecit, ut fit in Urbibus magnis repentinis incurſionibus expugnatis; in quibus ſi quid iræ & libidini militum per breve tempus permittatur, omnia ex voluntate Principis, qui Babylonem ſalvam eſſe voluit, & Cyaxaris vel ſui facere Imperii ſedem in tam populoſa Urbe.

(a) Cap. XLVII: 1. ſqq. 7. ſqq. Jer. L, LI. (b) Ad Jeſ. XIII.

Urbe in integrum reſtituta, & veſtigia cladis abolita; perinde ut in Roma occupata à Gothis, Conſtantinopoli, variis cladibus; Pariſiis, in recentiore hiſtoria poſt diverſa graviſſima Dei judicia hoſtilibus incurſibus non minora, aliisque magnarum Urbium exemplis liquet. De quo quæ hiſtoria habet colligi poſſunt ex his, quæ ex hiſtoria Cyri de eo colligi poſſunt. Id certe veriſſime obſervavi, in clade, quam Babylon à Cyro accepit, neutiquam quærendum eſſe præcipuum implementum Prophetiarum de judiciis Dei in Babylonem; ut proinde Spiritus Dei id hic, dum cætera luculenter conſtabant, præterire & diſſimulare potuerit; ea tantum huc adferens, quæ ad invidiam Populo & Urbis huc adferri è re erant. Id certe ita ſe habet, ut adeo nulla hic premamur anguſtia. Sed ſi verum vis &, ut putem, quod intendit Propheta: quod ille ait, Deum *magna excandeſcentia efferbuiſſe in Gentes illas tranquillas* non *excludit*, ſed *includit* judicium in Chaldæos & Babylonios exequutioni datum per Cyrum; quod judicium in Babylonios inde incepit, & ſub Dario Hyſtaſpide maxime in funeſtiſſima clade, qua Babylonios ex ſuperbia, inſolentia & fiducia virium ſuarum adverſus ipſum rebellantes, affecit, & Babylonem perdidit & deſtruxit, omnemque ſuam ſeveritatem in eam effudit; ut ex hiſtoria evici, & demonſtravi in *Implemento Literali* Prophetiæ de *Lapſu Babylonis*, ad Cap. XIII. Jeſaïæ, §. XIII, -- XVI. Id ipſum eſt, quod Propheta noſter: *Effervoſcentia magna efferbui* (vel, *efferveſco*,) *in Gentes illas tranquillas*, &c. Inceperat Judicium à Cyro; ſed continuandum erat à Dario, & per Xerxem aliosque conſummandum luculentis plane exemplis Divinæ juſtitiæ, quæ complectitur Propheta nomine *excandeſcentiæ magnæ*, & vero

ma-

maxima, hoc eſt ultionis graviſſimæ in Babylonios. Hæc certa & liquidiſſima ſit interpretatio. Reſtat quod additur, *Ego efferbueram parum, ſed ipſi adjuverunt in malum.* Kimchius: (A) *Ego efferbueram in Iſraëlem* PARUM, *decernendo illis exilium ex terra ſua; quod autem dicitur* PARUM, *ejus reſpectu dicitur, quod malefecerint Iſraëli poſtquam abducti* ſint. ADJUVERUNT IN MALUM. *Ut ipſis malefecerint, ultra quod fas erat. Simile eſt quod apud Jeſaïam*, Cap. XLVII: 6. Non ſane inepte. Dixerat Vates in initio, vs. 2. *Efferbuit Jehova in Patres veſtros ira*, hoc eſt, juſta, ſevera & gravi ſatis indignatione; etſi non addatur, *Ira magna.* En itaque orationis artificium? *Effervescentiam* ibi dicit, quam totam ſumit in complexu; ſed veluti excuſando illius ſeveritatem per illam dicendi figuram, quam ſupra explicui; partem illius *ſibi* tribuit; partem *hoſtibus*, ut nihil his verbis contineatur, quod in ſe incurrat. *Ego*, ait, *efferbui* PARUM, *α.* Quia *genus pœnæ*, quo Deus Populum ſuum caſtigat, longe diverſum eſt ab eo, quo puniuntur reprobi. *β.* Non tendit ad excidium plenarium. Eadem hic obtinet mitigatio, quæ in tota hac oratione. Vox מעט *parum* hic referri poteſt vel ad *tempus*, ſive durationem, vel ad *modum* pœnæ. Neutrum hic abſurdum, & quidem diſputavi Jeſ. LIV: 7. qui locus hunc noſtrum illuſtrat, in verbis, EXIGUO *momento dereliqui te*, veriſſime reſpici ad Exilium Babylonicum, & ibi quidem primum eſſe reſpectum *temporis*. Sed utrumque intelligi hic poteſt; & nihil obſtat. Equidem dextre & prudenter hæc tractanda

(A) Kimchi. אני קצפתי על ישראל מעט להגלותם מארצם' ומעט הוא. כנגד מה להרעו הם לישראל אשר גלותם : עזרו לרעה' להרע להם יותר מדיי וכו'

ſunt; & quidem χείρω ad Eccleſiam: cujus reſpectu Deus hic aſſumit perſonam Patris, populum ſuum caſtigantis, ut meliorem partem ejus ſervet & ſanctificet. Improbi itaque, hypocritæ, & rebelles, hic in conſiderationem non mittuntur. Perierunt illi judicio Dei juſtiſſimo. Quod vero ad *reſipiſcentes* attinet & bonos ſanctificatosque, primo certum eſt, Deum varia hic adhibuiſſe temperamenta ſui hujus judicii, ut alibi poſt alios demonſtravi: ſecundo, nulla comparatio eſt inter *pœnam* hanc brevis temporis, eamque temperatam, & *inter* eam Chaldæorum, & Babyloniorum, quibus Deus denunciat קצף גדול *excandeſcentiam magnam*, exterminium graviſſimum & finale, licet per temporum articulos infligendum: nulla item comparatio *meriti* Iſraëlitarum, & pœnæ iis irrogatæ. Verbo dicam, Omnis pœna puniens & caſtigans, *qua* Deus populum ſuum affligit & judicat ad παιδείαν, *informationem*, *correctionem*, *ſanctificationem*; ἐπανόρθωσιν, ſtylo Scripturæ, eſt קצף מעט *efferveſcentia parva*, reſpectu Pœnæ perdentis, deſtruentis, ex ira Dei irrogatæ ad exitium abſque temperamento gratiæ, quæ eſt קצף גדול *excandeſcentia magna*. Sic Deus vult judicia ſua à nobis reſpici & æſtimari. Sed addit alterum, quod ſeveritatem Divinam veluti excuſandam facit; Veluti, ſi quid plus fuiſſet in illo judicio, quam videbatur à Deo puniente ſuum Populum expectari poſſe; imputat id hoſtibus: *ipſos adjuviſſe* ait *ad malum*. Hanc figuram ἀνθρωποπαθείας, quæ duritiem aliquam inferre videtur, in initio explicui. Tota eſt parabolica, ficta ad exprimendam affectus Divini teneritudinem erga Eccleſiam; noſtris cogitationibus ſuperiorem; & tamen tota fundata eſt in veris hypotheſibus. Dum enim executores Divinæ vindictæ, licet idem agant, quod

quod Deus vult; aliud tamen intendant, aliud agere videntur, & dum quod ſancte ad optimos fines decrevit Deus, ſuis miſcent vitiis, ſævitiæ videlicet, ſuperbiæ, inſolentiæ, libidini, aliisque, vere κατ' ἄνθρωπον aliud agunt quam Deus; omnis operatio ſancta eſt & ad optimos tendit fines.

Fontem quæris, & principium harum viarum Dei, ſive ultionis erga hoſtes Eccleſiæ! Eſt zelus erga Eccleſiam. Hic canon eſt operationum; hic omnium judiciorum Dei erga Eccleſiam, ut apud Jeſaïam, (a) ZELUS JEHOVÆ EXERCITUUM FACIET HOC. Eſt res in Mundo, quam Deus æternis conſiliis objectum tenerrimi, atque intenſiſſimi ſui amoris fecit, quippe in qua propoſitum habet gloriam virtutesque ſuas omnes illuſtrare; quam lædi non vult, ſed ſi læditur, ad majeſtatis ſuæ jura pertinere cenſet conſervare, defendere, & læſam graviſſime ulciſci; atque ea res dicitur *Eccleſia*, ſive *Tſion* & *Jeruſalem*. (b) de quo ſtatutum nunc non eſt pluribus commentari. Quot fuerunt Eccleſiæ hoſtes implacabiles; quot futuri ſunt ad mundi finem, eadem morte peribunt. Nicetas alibi: (c) *Sed ſi arcana Dei judicia rimari fas eſt, Dominus percusſit nos, quia peccata noſtra norat*, ἀλλ' ἐκεδίκησεν ἤδη ἐπειδή τε καὶ ἀνελεήμονες οἱ Θεόθεν εἰληφότες ἡμᾶς εἰς μαστίγωσιν ... τὸν δίκαιον χόλον οὐκ ἐξέφυγον; *Sed quia ſuperbi & crudeles erant*, QUI NOS CASTIGANDOS AB EO SUSCEPERANT, ... *juſtam ejus indignationem non effugerunt.*

β Reædificatio *Templi*, & *Hieroſolymæ*.

Vs. XVI. *Propterea ſic fatur Jehova: Revertor ad Hieroſolymam cum miſericordia*, DOMUS MEA ÆDIFICABITUR IN EA,

(a) Jeſ. IX: 6. (b) Zach. XII: 2. (c) In *Iſaäc. Angelo*. Lib. I: §. 2.

ſa, *ait Jehova Exercituum* Dominus, & REGULA EXTENDETUR SUPER HIEROSOLYMAM.] Bona lætaque, quæ Deus malis antiqui temporis hic planis verbis promittit, in univerſum ſunt tria, α. Reædificatio Templi. β. Inſtauratio Hieroſolymæ. γ Ejusque & Reipublicae proſper & florens ſtatus: quæ ſane ſi in ſe inſpicias, ſunt mere carnalia, atque adeo piorum veris deſideriis explendis inepta. Ne dicam, tardiora illorum fuiſſe implementa. Ipſa ultio hoſtium, de quo ſuperius, illius fuit generis. *Spirituali oculo inſpecta, eſt verum Eccleſiæ bonum*, dum absque ſtudio *ullo* vindictæ privæ, gloriam, juſtitiam, ſanctitatemque Dei ejusque majeſtatem, videmus illuſtari in punitione improborum: cæteroquin delectatio in miſeria aliorum nobis peccato eſt, & nihilo nos carnalibus hominibus vindicta flagrantibus meliores præſtat. Ajo præterea; cum ipſa hæc Populi Dei, quæ ut magnifica *hic promittuntur*, cum majoribus comparata, vere tenuïa eſſent: reſpicienda illa eſſe oculo ſpirituali, tum reſpectu typico, quod eſſent figuræ, typi, ſacramenta in genere quidem favoris Divini, ſed in ſpecie bonorum, rerumque ſpiritualium, per eadem deformatorum: tum reſpectu *conſequentium* ſuorum, in quibus terminarentur. Oeconomia enim carnalis, externa, inſtituta fuit propter ſpiritualem, internam, ejusque excellentia inde tantum debebat æſtimari. Hoc autem oculo inſpecta, quæ per ſe levia videntur & tenuïa, videbuntur magna, magnifica, excellentia, & temporalibus ac corporalibus, quæ in ſplendidis Religionibus Gentium cernere erat, longe, quin infinitum, præſtantiora. Hæc animadverſu plane ſunt neceſſaria; & ex ipſo Zacharia, nos deinceps ad ſpiritualia contemplanda manuducente, demonſtrantur. In cæteris nulla hic difficultas. *Reverſu-*

rum

rum ſe, ait Dominus, *cum miſerationibus*. Nempe id idem eſt quod dixerat, *revertimini ad me*, per reſipiſcentiam; & *revertar ad vos*, vs. 3. per gratiam. Reliqua, quæ huc pertinent, monui ad vs. 12. Primum exemplum gratiæ erga Hieroſolymam eſſet. *Reædificatio Templi.* ביתי יבנה בה *Dominus mea in ea ædificabitur*, h. e. ædificatio ejus conſummabitur. Cœpta enim ædificari, jactis fundamentis, ob varias cauſſas, (non tantum ob metum adverſariorum,) intermiſſa erat. Religio diſtinguebat Judæos à reliquis Gentibus; *Templum Dei* erat centrum Religionis, cujus Religionis pretium & privilegium quando perceperunt, ut præcipue factum à Populo poſt reditum ex Exilio; prudentius intellexerunt quam ante; *Domum Dei* verum ſuum eſſe ornamentum: quod quidem plebs etiam tum temporis jactavit, (a) quando id maxime polluit. Si rem per ſe inſpicias; nihil concipi poterat glorioſius quam eſſe Populum in Mundo, in quo verus Deus in ſymbolo externo corporali habitabat, eratque omnium promiſſorum maximum apud Moſen: (b) *Et* HABITABO *in medio filiorum Iſraël, & ero iis in Deum.* Alibi. (c) והתהלכתי בתוכם *Frequens verſabor.* Gentes omnes hoc bonum ut maximum æſtimarunt & affectarunt; nec unius ſed plurium Deorum Templa ſibi vindicarunt; ſed veri & veriſſimi Dei unum erat, quo ſupra omnes gloriabatur; per Chaldæos deſtructum, hoc tempore reædificandum. Alterum promiſſum de Hieroſolyma: וקו ינטה על ירושלם *Et linea extendetur ſuper Hieroſolymam.* Patet ex hiſtoria & vel ex ipſo hoc loco; Hieroſolymam, huc usque incultam, non habitatam, deſertam jacuiſſe jam per plures annos, ut prædixerat Jeſaïas, Cap. XXXII: 12, 13. ita ut quis ſtupeat,

 jam

(a) Jer VII: 4. (b) Exod. XXIX: 46. (c) Lev. XXVI: 12.

jam exſtructo Templo; rudera tam conſpectæ Urbis tantum ſuperfuiſſe; ut ex Nehemia notum. Docet autem Zacharias, *Regulam ſuper hanc Urbem extentum iri*; hoc eſt, non tantum habitatum iri, ſed ordine & regulariter habitatum iri, qualis olim fuerat. Ut Pſ. XLVIII: 3, 4. &c. utique videtur Pſalmus compoſitus eſſe ante Exilium, licet Davidis temporibus ſit poſterior. Vox Hebræa קו proprie, LINEA, hic eſt certæ ſignificationis; notat *lineam*, (ſic Latinis quoque dictam,) canonem, normam, cujus uſus eſt in dimenſionibus, ſive *ædium*, ut menſuræ earum tum per libellam & perpendiculum recta in altum educantur; tum per calamum menſuræ in latum proportiones & συμμετρία partium accurate menſurentur; tum per *amuſſim* (Græci στάθμην vocant,) *rubro* aut quo alio colore tinctam *lineam*, quæ *fabris* eundem uſum præſtat: ſive *Agrorum*, aut majorum Urbis partium in deformanda Urbis amplitudine, aut diſpoſitione, ſcilicet muris, turribus; foris, vicis, Templi aut Palatiorum ſitu, portis &, quæ ad ſingularum partium uſus commoditatemque attinebant, deformandis ac definiendis. Ezechieli, formam Templi, Civitatis, & diſtributionis terræ Canaanææ, à Divino menſore recepturo, exhibetur Angelus menſor, (a) in cujus manu erat *funiculus lineus & calamus menſuræ*, Nempe *funiculus lineus* in majoribus areis, utique agro dimetiendo, & *calamus menſuræ* in dimetiendo Templo ejusque ædificiis. Utrumque dicitur קו *linea*, norma, κανών. Et quidem quod hic dicitur קו κανών, mox in Viſo de metienda Hieroſolyma vocatur חבל מדה *funis menſuræ*, (b) ut *perpendiculum ſtanneum*, אבן הבדיל, reſpectu ædificii Templi. (c) Eadem vocis uſurpatio eſt Job. XXXVIII: 5. Con-

(a) Ezech. XL: 3. (b) Zach. II: 1. (c) Cap. IV: 10.

5. Contra ubi vox uſurpatur de deſtructione, ſignificatu contrario, ut apud Jeſaïam, ſignificat deſtructionem plenariam, παμμελῆ, in qua deſtructionis regulæ perfecte obſervantur. (a) Eſſet itaque Hieroſolyma hæc, ſuper quam extenderetur *linea*, diſſimilis, verbi gratia, Urbi Romæ, quæ poſt irruptionem Gallorum, aut caſus incendiorum, confuſe & inordinate extructa *ob arta itinera, huc illuc* flexa, & *vicos enormes*, magnitudini Nominis ſui non reſpondebat, & hoc ipſo Gentibus aliis contemptibilis, ut ex Livio, Tacito, Juvenali, aliis, liquet. De implemento mox.

Articulus inſtantiæ alter. *Refloreſcentia* Reipublicæ cum *exuberantia omnis Benedictionis.*

Vs. XVII. *Amplius clama, in hanc formam: Sic fatur Jehova Exercituum; Adhuc* DIFFUNDENTUR *Urbes meæ* PRÆ BONO; *& pœnitebit amplius Jehovam Tſionis, & eliget amplius Hieroſolymam.*] Fruſtra ſane reædificaretur Templum: inſtauraretur Urbs dilecta: niſi refloreſceret Reſpublica, & collapſa in integrum reſtitueretur, & in priſtinam formam redintegraretur. Id itaque hic boni per alteram inſtantiam prænunciat Propheta Præco; eumque articulum à ſuperioribus ſeparat ex mandato Angeli. Quid enim? ſi Judæi in terra ſua ſtatu paupertino & humili vitam inopes traherent, benedictione patria, certo ſigno Divinæ gratiæ privati? Conſtat ſententia tribus partibus; ſed quæ ſic ſunt accipiendæ; ut prima, quæ hic principalis eſt, per duas ſubſequentes explicetur, in hunc modum: *Urbes meæ adhuc diſpergentur præ bono*; & ex eo patefiet, Dominum *amplius miſereri Tſionis*, nempe reſpectu malo-

(a) Jeſ. XXXIV: 11.

malorum antiqui temporis; & *eligere amplius Hieroſolymam*, ſcilicet favoris electionisque ſuæ præſtare argumenta. Primam ſententiam omnes, ut opinor, Interpretes, licet metaphoricam loquutionem non recte interpretentur, accipiunt, de Benedictione cum florente Reipublicæ ſtatu per terram totam ubertim diffundenda, ſive quod ad incolarum copiam, ſive quod ad bonorum affluentiam, quippe quod & phraſis & contextus poſtulant: ſed Abarbanel, ſuo ſi ſtet talo & à cæteris diſcedat, ſemper fere proclivis ad errorem, phraſin privative accipit, ut *diſperſio Urbium* Dei *præ bonis* hic notet *privationem* omnium *bonorum*, quibus Judæi gaviſuri eſſent, novam, quam ſubituri erant per novos hoſtes Romanos, qui terram totam vaſtaturi eſſent, & à quibus malis Deus Judæos in fine temporum rurſus conſolaturus eſſet ipſis reſtituendo *Templum* & eligendo *Hieroſolymam*. Itane verò *conſolatoria* verba, quæ Deus reſpondit ad interceſſionem Angeli, perverti ſinemus in denunciatoria graviſſimi tot ſæculorum judicii, quo Gens fœdifraga hodienum premitur? An non ſola vocula עוד *amplius* potuiſſet Interpretem ab hac paradoxa ſententia abſtinere; quippè clariſſime deſignans continuationem argumenti conſolatorii cum illius *amplificatione*? Sed hic mos eſt Abarbenelis, omnia beneficia in Gentem Judæam collata poſt Reditum ex Exilio extenuare & nulla facere, ut hypotheſin noſtram de Meſſia & per eum præſtitis beneficiis, ſecundum ſigna temporum, tanto facilius videatur repudiare. Et tamen dubium non eſt, quin imperitia hiſtoriæ huc multam conferat. Sic agam, docebo vim phraſios, eamque illuſtrabo.

Etiamſi vocis פוץ *diſpergere* non ſit rarus uſus in Verbo Dei, eſt tamen is ſingularis, qui hic occurrit cum *præfixa*

κα ב. nec putem hoc ſignificatu alibi extare. Valet hic ad verbum, *Civitates meæ diſpergentur præ bono;* ubi cum *bonum* ſumi nequeat *privative*, quid enim eſt *diſpergi ut ne quid ſit bonum*, ſive ut *nullo bono gaudeas?* ſed *materialiter*, hoc ſenſu, *Civitates meæ omni bono redundabunt*. Non eſt phraſis deſumpta à Diviſione *Populi* aut *familiæ* in plures, ut ipſe Cl. Coccejus Gen. X; 18. ſed à *vaſe*, in quod aqua aut qualiscunque liquor infunditur illa copia & exuberantia, ut vas ejus capax non ſit, atque inde ſupra margines ſe ubertim diffundat; ſive, quæ hic propriiſſima notio eſt, *diſpergat*. Videmus enim & experimur, aquam pluvialem ſpiſſam è tectis in majora ejusmodi vaſa per rivulos prolapſam, non diffundi æqualiter, ſed *diſpergi*, ut non tantum exuberans vas redundet, ſed *aqua* exuberans vi dimiſſa ſe longius diſpergat. Latini id propriiſſime vocant *redundare*, voce ab *undo* derivata, interpoſita litera d. Eſt autem *redundare* idem fere, quod Græcis, ἐκχύω, *effundere*, *diffundere*, vera & propria ſignificatione. Sic Cicero pro *Milone*, ſub finem: *Omnes in me meosque* REDUNDANT EX ILLO FONTE (ſc. Clodio,) *dolores*. Sic Interpretes Veteres absque errore. οἱ Ο΄. Ἔτι διαχυθήσονται πόλεις (debebat eſſe, πόλεις μου) ἐν ἀγαθοῖς· *Adhuc diffundentur civitates in bonis*. Nihil vitii. Ipſa quoque illa eſt vera ſignificatio vocis διαχύω, διαχύομαι, perinde ac διαχέω, διαχεῖσθαι. Heſychius: Διάχυσις, ἔκστασις ὕδατος, χαρασύγχυσις. Legendum, ſi non fallor, χαρά, σύγχυσις. *Eſt* διάχυσις *commotio exuberans aquæ, gaudium, confuſio*. Chaldæus docte: עוד יתמלין קרוי עמי טובא וכו׳ *Adhuc implebuntur civitates populi mei bonis*. Nec ſpernendum illud Hieronymi: *Adhuc affluent civitates meæ bonis*. Illam vero *redundantiam* omnis *boni* licet referas ad omne genus benedictionis, quo

Deus Populum bearet, ſed præſertim duo involvit, *multitudinem incolarum*, *& copiam bonorum*, veluti *libertatis*, proſperitatis, pacis, ſecuritatis, opum, honorum, abundantiæ, immunitatemque malorum, ſecundum illud Moſis: (a) *Et* BENEFACIET TIBI *&* MULTIPLICABIT *te ſupra Patres tuos*. Sic ipſe Zacharias ſe interpretatur, Cap. II: 4. & Cap. VIII: 1, 2. ſqq. Ad noſtrum tamen hunc locum quod attinet; non agitur diſerte de copia hominum, qui extra limites Urbium diſpergerentur, ſive proſeminarent & proſerperent; ſed de *exuberantia bonorum*, quibus Civitates Dei replerentur; Huc enim tendit phraſis, ut jam dixi. Multiplicatio hominum hujus Benedictionis partem faceret; ut facit in omni florente Republica. Eſt præterea aliud in hiſce verbis affectus Divini erga Populum Judæum indicium, quod non ſpernas: *Diffundentur*, ait Deus, עָרַי *civitates* MEÆ *præ bono*. Non putem, alibi occurrere, etſi nihil inſolens ſit in locutione. *Civitates Dei* dicuntur utique, quod partem facerent illius *terræ*, quæ Abrahamo & ſemini ejus data erat in hæreditatem, & in pignus Divini favoris, eamque ob rationem *terra Jehovæ* (b) dicebatur. Sed cum præter Hieroſolymam nulla Urbs à Deo delecta eſſet ut ſedes Religionis: cæteræ Urbes hoc privilegio deſtitutæ minore jure cenſebantur *civitates Dei* quam Hieroſolyma. Et tamen ex tenerrimo affectu hoc honoris dat Civitatibus cæteris, acſi eas adſciſceret in communionem privilegii Hieroſolymæ, dum eas quoque *Civitates ſuas* vocat. Contrarium ejus eſt apud Jeſaïam, (c) *Terra veſtra eſt deſolata*: עָרֵיכֶם CIVITATES VESTRÆ *ſunt exuſtæ igne*. Indignationis eſt, ubi oratio à Deo avertitur, ut Exod. XXXII: 7-9. Dan. IX: 24. Matth. XXIII:

(a) Deut. XXX: 6. (b) Hoſ. IX: 3. Joël. III: 7. (c) Jeſ. I: 7.

XXIII: 38. vel *humilitatis*, in confeſſione, ut Dan. IX: 20. *Confiteor peccatum meum, & peccatum* POPULI MEI *Iſraëlis.*

Atque ex hiſce beneficiis extructi Templi, & inſtauratæ Hieroſolymæ, tum vero hac exuberante benedictione certis colligerent argumentis; eſſe Deo propoſitum ipſos *conſolari*, ſive *pœnitudine affici* reſpectu malorum quæ ſuſtinuerant: quæ bona malis oppoſita verum & reale præſtarent ſolatium: utrumque enim latet in voce נחם: & ſimul ſe *Hieroſolymam elegiſſe*, hoc eſt, ex propoſito gratiæ ei deſtinaſſe effecta ſui in eam affectus eaque ἀμεταμέλητα. Sæpius occurrit apud Jeſaïam; (a) & ut epitheton Dei antiphraſticum, apud Vatem noſtrum, (b) *Increpet te Dominus* הבוחר ירושלם QUI ELIGIT HIEROSOLYMAM. Quod ita accipiendum eſt de Beneficiis temporalibus, ut ſpiritualia, reſpectu piorum & vere electorum, iis involvantur. Deus eligit Hieroſolymam, quatenus eſt typus ejus rei ſpiritualis, hoc eſt, Eccleſiæ ſanctorum & electorum: quam verum & antitypicum objectum fecit ſuæ gratiæ æternæ in Jeſu Chriſto. Hic ſimplex mihi videtur verborum ſenſus. An præterea amplius quid propheticum in his verbis lateat: mox videbimus.

IMPLEMENTUM Prophetiæ.

§. I. Cum Prophetia hæc tribus conſtet articulis. α. *Reædificatione Templi.* β. Inſtauratione Hieroſolymæ. γ. Proſperitate Reipublicæ: duo priores articuli nullam hic dubitationem reliquam faciunt. Sunt enim in ipſa hiſtoria accurate conſignati. Ædificatio Templi, ad Propheticas exhortationes & denunciationes Haggaei & Zachariae cœp-

(a) Jeſ. XLI: 9. &c. (b) Cap. III: 2.

cœpta anno ſecundo Darii, (a) vigeſimo quarto Menſis ſexti, (hoc eſt, menſis ſacri Judaeorum,) eſtque abſoluta anno ſexto Darii Hyſtaſpis, ex hypotheſi noſtra, Adaris menſis die tertio. (b) Si terminum à quo in latitudine aliqua acceperis, conſtitit opus quatuor annis & quinque menſibus. Nehemias reparandae Urbi, quae adhuc ruderibus ſuis obruta & deformata jacebat, operam dare cœpit Anno Artaxerxis Longimani, ante Æram vulgatam N. Ch. 455. cui in Chronologia Annorum Artaxerxis *conſentimus*; & per duodecim annos in ſatrapia Judææ verſatus; atque inde digreſſus in Perſiam, novam accepit veniam à Rege in Provinciam redeundi. Illi itaque Urbs Hieroſolyma novam ſuam formam, ad veterem adaequatam; & cultum quoque debet: cum enim *Urbs ampla eſſet & magna*, *Populus* autem *in ea exiguus* (c) ipſe ſortitione facta ex Judaeis per familias Reducum, tam *Hieroſolymis*, quam *cæteris civitatibus* de incolis proſpexit, novamque civitatem ſolenni proceſſione initiavit. Quanta autem novella civitas ab eo tempore jam fecerit incrementa, ex hiſtoria confluxus mercatorum ad Urbem & mercium expoſitarum jam aetate Nehemiae, (d) liquet.

§. II. Etiamſi vero præſumendum ſit, utrumque opus multis partibus fuiſſe rude & imperfectum, & ſplendorem ac magnificentiam ejus neutiquam antiquo Templo comparandam, ut non obſcure Haggæus (e) prodit: ſi enim magnitudo operis non obſtitiſſet; operariorum infrequentia, artificum inopia, & apparatus ad tantum opus neceſſarii penuria, & quæ alia de Populo magnam partem

(a) Hagg. II: 1. (b) Ezr. VI: 15. (c) Neh. VII: 4 XI: 1. (d) Cap. XIII: 16. (e) Cap. II: 4, 5.

tem tenui, & res ſtatumque ſuum cæteroquin etiam ægre ſuſtinente, cogitari poterunt: vel ſic tamen utrumque opus cenſeo eſſe maximum, quod quo modo effectui datum ſit, difficile eſt exputare, & omnino videtur eſſe longe infra expectationem ſtatus reducum. Sed quod ad Templum attinet: præter donationes liberalitateſque Cyri & Principum Aulæ, (quæ ut theſauri ſacri repoſiti, diligenter aſſervatæ ſunt,) & præter ſubſidia munificentiæ Darii, aequum eſt exiſtimare, Judaeos ex Babylonia plures, cum opus ſerio urgeri promoverique intellexiſſent, zelo Religionis incenſos plures confluxiſſe, vel ſumptibus in Opus factis illud juviſſe, & donariis, ut exemplum eſt Cap. VI: 9, 10. &c. cum autem ſemel ad qualemcunque formam extructum eſſet, Pontifices quicquid vel ipſi conferre poterant, vel ex liberalitate aliorum, (Principum quoque exterorum,) elicere ad ſplendorem Templo conciliandum, id diligenter & magno ſtudio curarint. Specimen ejus ſit in Antiocho Magno, in Judæos liberali Principe, qui cum impenſas in Sacra ad magnam ſummam pecuniæ iis decreviſſet, ſubjicit: καὶ περὶ τὸ ἱερὸν ἀπαρτισθῆναι ἔργον, τάς τε στοὰς, καὶ εἴτι ἕτερον οἰκοδομῆσαι δέοι. *Et quod deeſt Templo abſolvatur, ſive Porticus ſive quid aliud ædificare opus fuerit. Lignorum autem materia comportetur tam ex ipſa Juda quam ex aliis Gentibus & ex Libano immunis à vectigalibus: quæ immunitas & aliis rebus conceditur ad apparatum atque ornatum Templi pertinentibus.* Sic Joſephus. (a) Ulterius hoc tempore non excurro; & etiamſi putem, quæ de Templo magnifice inſtaurato ab Herode Rege vere à Joſepho ſcripta ſunt, ad hoc ipſum Templum quoque pertinere, nec plane excludi conſideratione prophetiæ Hag-

 gæi,

(a) Joſeph. *Ant.* Lib. XII. Cap. III.

gæi, Cap. II: 10. ſufficiunt tamen ad implementum Prophetiæ noſtræ quæ attigi.

§. III. Idem reſpectus ſit *Urbis*, quæ propter Templum colebatur; ut frequentia ei reſtitutæ non poſſet deeſſe. Angelus apud Danielem intervallum prius circumſcribit annis XLIX, putandis à XX Artaxerxis; (a) & quidem in *anguſtia temporum*, dum vicinæ & æmulæ Gentes ſe omni modo huic conſilio opponerent. Sed ut res Religionis cum turba Miniſtrorum, tum quoque ἡ γερουσία *Senatus*, Collegia Juridica minora, Gymnaſia, neceſſariam Urbi conciliare debebant civium omnis generis frequentiam & cultum: ſic pauca monumenta hiſtoriæ hujus temporis meminerunt, Hieroſolymam jam circa tempora Alexandri Urbem fuiſſe celebratam frequentatamque, quam Agatharcides Cnidius, qui res geſtas ſucceſſorum Alexandri ſcripſit, vocat πόλιν ὀχυρὰν καὶ μεγάλην *munitam magnamque Urbem*, à Judæis inhabitatam, (b) & Hecatæus Abderites, (c) illo antiquior, ipſi Alexandro σύγχρονος, Hieroſolymam appellat καλλίστην τε καὶ μεγίστην *pulcherrimam & ampliſſimam*, circiter L complexam *ſtadia* & CL *hominum millia*. Idque circa ipſius Alexandri tempora: ad quæ nihil nunc obſervabo: poteſt enim de amplitudine Urbis quid accuratius diſputari, quam hactenus factum. Polybius quoque ejus mentionem facit, (d) ſed qui ita de *Urbe* loquitur tanquam quod nomen traheret à *Templo*; quod Græcis multis perſuaſum, qui quod ἱερὸς ad *ſanctitatem loci* referrent, ingredi putarunt compoſitionem nominis: καὶ τῶν Ἰουδαίων, οἵπερ τὸ ἱερὸν προσαγορευόμενον Ἱεροσόλυμα κατοικοῦντες. *Et Judæi qui Templum quod Hieroſolyma dicitur, incolunt.* (e) Interpres. *Mox Judæi*,

(a) Dan. IX: 26. (b) Joſ. *Antiq.* Lib. XII. Cap. I. (c) Ad. *Apionem*, Lib. I. p. 1048. (d) Hiſt. Lib. XVI. (e) Joſ. *Ant.* Lib. XII. Cap. III.

dai; qui Hieroſolymo & celebre illius loci Templum, incolunt. Sed ex Maccabaicis, & Hiſtoria Antiochi in Gentem immaniter ſævientis, ſi quis cladem liberorum & ſervorum qui in illis cædibus & direptionibus interierint, ſecum reputet; incolarum numerum jam multum ante Epiphanem creviſſe, facile colliget. Ulterius non procedo, nec neceſſe eſt.

§. IV. Ad tertium venio articulum, *Exuberantiam bonorum in Republica refloreſcente*: de quo antequam ad rem ipſam accedam, pauca præmonenda ſunt. Plerique Interpretes ſententiam complexe ſumunt pro uno Beneficio refloreſcentis Reipublicæ: ſed Cl. Coccejus ſingulis membris hujus articuli ſuum aſſignat peculiare implementum. *Urbes meæ diſpergentur præ bono*, in univerſum referri vult ad temporalem benedictionem poſt reditum ex Exilio ſecundum ipſius Moſis Vaticinium Deut. XXX: 5. Alterum, quo Deus dicitur *conſolaturus Tſionem*, explicat de conſolatione à noxiis malis & afflictionibus, quas Syriæ Reges, & quidem Antiochus Epiphanes Populo cauſarent. Denique quod ſequitur, *Eliget adhuc Hieroſolymam*, accipi vult de *Electione Hieroſolymæ ad habitandum*, nimirum ut *viſitet eam in Chriſto; jugum ſervitutis à Populo depellat; & Regnum erigat in Gentibus.* Sed, ut verum fatear, hæc longius quæſita ſunt. *Exuberantia Benedictionis temporalis* ſecundum ipſum Cl. Virum quæri non debet niſi poſt afflictiones Maccabaicas, ut mox monebo: quo modo itaque *conſolatio*, quæ hoc promiſſum involvit, præpoſtere novum exhibet beneficium, ordine temporis poſterius. Ipſe enim Vir Cl. in *beneficio Exuberantiæ Benedictionis* non excludit tempora, afflictionibus Syrorum poſteriora. *Electio* autem *Hieroſo-*

lymæ

lymæ Bonum eſt aſpectus Generalis, & in univerſum involvit tam electionem ad *inhabitationem typicam*, quam *antitypicam*; & quidem, ſecundum hunc locum, habitationis typicæ prior eſt reſpectus. Præſtat autem ita accipere ut feci. Bonum præcipuum, quod hic memoratur, per ſequentia duo, ut per antecedentia & cauſſalia, declaratur. Hoc ipſo Deus teſtatum faceret, ſe *conſolari Tſionem* & *eligere Hieroſolymam*, quod illi ædificatæ & inſtauratæ procuraret *exuberantiam* omnium bonorum.

§. V. Ecquando vero his Prophetiis datum eſt implementum; Reſpondeo fidenter, factum id eſſe aliquatenus per gradus lætis temporibus ante Maccabaicos eventus: ſed verum implementum omnium harum Prophetiarum de benedictione exuberante cadere in ſtatum Reipublicæ Judææ reſtitutæ in Libertatem ſub Simone Ethnarcha, Fratre Judæ Maccabæi, Patre Joannis Hyrcani, & ſequentium ſive Regum ſive Ducum, in quorum Epocham florentior ille ſtatus Reipublicæ incidit. Scire autem licet, eſtque obſervatu plane neceſſarium, extare in Codice V. T. Prophetias plures excellentes de Statu Reducum ex Exilio, quas Prophetias Cl. Coccejus multas, (non omnes,) recenſuit, & ea opera plurimum illuſtravit Verbum Propheticum, ad *Ultima Moſis*, (a) ubi ipſe magnus Propheta vaticinatur, Deum poſt Exodum ex Exilio populo *benedicturum* & *multiplicaturum* ſupra *Patres*; deinde præſtiturum Eccleſiæ ſub Oeconomia Nova & ſpirituali cum adventu Meſſiæ *circumciſionem cordis*. Sunt in his prophetiis, ex noſtro cenſu, Jeſ. XXX: 19. ſqq. XXXII: 14, 15. ſqq. LII: 1. Jer. III: 14, 15. XXX: 18. XXXI. ſqq. Ezech. XI: 15, 16. Hoſ. II: 1. Obad. vs. 17, 18. & Zacha-

(a) Ad Deut. XXX. *Obſerv.* VIII. §. 262. ſqq. Obſerv. IX. 267. ſqq.

chariæ noſtri Cap. II, VIII, IX. &c., in quibus duo animadvertenda: primo quidem de Statu Reducum & benedictione, qua Deus illos proſequuturus ſit, illo rerum ſtatu uberrime Prophetas illos omnes ample & magnifice vaticinari. Secundo illos in illis vaticinationibus bona ſpiritualia miſcere temporalibus: quod præviderent, ſpiritualem Oeconomiam hoc ipſo tempore abſorpturam eſſe externam ac literalem, ut carnalia & externa bona dehinc amplificationem ſuam acciperent à bonis ſpiritualibus. Verbi gratia, dimenſio Urbis Hieroſolymæ auguſtiore aſpectu ſe contemplandam exhiberet poſt acceſſum Gentium: in Victoriis Maccabaeorum de hoſtibus ſpectarentur ſpirituales Victoriæ primorum Chriſtianiſmi Doctorum de hoſtibus Regni Chriſti; ut ex ſpiritualibus rebus, quarum typi fuerunt, earum contemplatio amplificaretur. Et quidem poſterioris hujus animadverſionis exempla plura nobis occurrent in ſequentibus, eſt enim clavis vera interpretandæ hujus Prophetiæ. Sed quod animadverſum prius nobis plane hoc tempore ſufficit.

§. VI. Eſt itaque, ut dixi, Prophetias, quæ læta, proſpera, & magnifica promittunt Reducibus ex Exilio, paſſim referendas eſſe ad Maccabaica, eorumque conſequentia, ut ſæpe monui in Commentatione Jeſaïana; cum ille Propheta in Maccabaicis plurimum hæſerit. Vere non eſt nobis hiſtoria temporum, quæ Artaxerxis Regnum conſequuntur, ampla & accurata usque ad ipſa Maccabaica, quæ ex Libris hujus argumenti petitur; ut adeo illa ipſa notitia, quam ex Joſepho haurimus, nobis ſumme ſit neceſſaria. Ex eo autem liquet, ſtatum Reipublicæ illius temporis fuiſſe tenuem & modicum, ſub Perſis; &

quod Ezras exerte profitetur, fuiſſe *ſervilem*; (a) ut ſatis patet ex ipſis gratificationibus Alexandri; poſt cujus tempora cum inciderint in poteſtatem Lagidarum usque ad Antiochum Magnum; inde in Seleucidarum, uſque ad vindicatam libertatem; conſtat ſatis ex tota hiſtoria, res illorum in Patria fuiſſe tenues & anguſtas; ob varias cauſſas, quas hæc ipſa Prophetia nos docebit; ita ut ſubinde ad impenſas Sacrorum ferendas non ſuffecerint, & à Pontificibus recti, ſi forte illos malos nacti eſſent & avaros, tanto illorum conditio redderetur deterior; ut quod Romanus Hiſtoricus tradit, fuerint *ſervientium pars deſpectiſſima*: licet in Syria, Babylonia, & ipſa quoque *Ægypto*, plures fuerint divitiis & opibus florentes; inter pauperes plures à Ptolemæo Lagi vi abductos, ut Alexandriam & vicinas regiones *hiſce colonis vel ſervis* repleret. Ergo ante Maccabaica non ſunt conſequuti *implementum* hujus promiſſi; ſed per Maccabæos, poſtquam ab iis heroibus vindicati ſunt in libertatem, ſupra ſpem potiti ſunt hiſce beneficiis temporalibus ad luxuriam usque. De quo Propheta in ſequentibus nobis præbebit variam explicandi materiam. Nunc in materia tritæ notitiæ non lubet eſſe prolixiori.

(a) Ezræ, IX: 9.

RE

REVELATIO SECUNDA,
Viſum alterum

Quo Prophetæ ſub emblemate QUATUOR CORNUUM, ſe efferentium ad feriendum Populum Dei, & totidem iis oppoſitorum FABRORUM ea inhibentium & infringentium, proponitur deſtructio conatuum adverſariorum præcipuorum Eccleſiæ, qui eam impugnarent.

Verſ. 18. *Et ſuſtuli oculos meos, & vidi, &* ECCE QUATUOR CORNUA.

Verſ. 19. *Et dixi ad angelum mecum loquentem.* QUID ILLA? *& dixit mihi: illa ſunt cornua, quæ* VENTILARUNT *Judam, Iſraëlem, & Hieroſolymam.*

Verſ. 20. *Et fecit me videre Deus &* ECCE QUATUOR FABROS.

Verſ. 21. *Et dixi, quid illi veniunt facere? & dixit: illa ſunt cornua quæ diſperſerunt Judam: ſed venerunt hi, ad* TERRENDUM *iſta, ut dejicerent cornua gentium quæ attollunt cornu ad terram Judæ ad illam diſſipandam.*

Argumentum, Scopus, & Analyſis hujus *Viſi.*

§. I. CUm materia hujus Viſi conſtet emblemate, & interpretatio tota inde pendeat; id præcipue opera danda eſt, ut emblema ipſum recte conſtituatur antequam quicquam hic proficiamus. Et emble-

ma quidem ipſum in genere ſpectatum nihil videtur habere difficile. Objecta ſunt Prophetæ in Viſo quatuor cornua, in acutum deſinentia; totidemque Fabri ad eorum acumen infringendum retundendumque parati; qui ipſi quoque illud ſtrenue ſunt executi. Inde quæſitus à Propheta Angelus Interpres de Viſi interpretatione, plane docet, per *Cornua* hæc intelligi Hoſtes Populi Dei, qui Eccleſiæ & Reipublicæ graves omni conamine, molimine, opere, adverſati ſunt vel adverſarentur Judæis in rebus ſuis promovendis, ac diſjiciendis: per Fabros vero Inſtrumenta à Deo excitanda ad molimina illorum cohibenda, reprimenda ac diſturbanda; ſed qui tamen Angelus quæſitioni ſtudioſi lectoris vel ſpectatoris hujus Emblematis reliquum facit inveſtigare, qui qualesque ex tot Principibus Mundi, qui Eccleſiæ ſunt adverſati, hic excipiendi intelligendique ſint.

§. II. Eſſe Viſum argumenti *conſolatorii*, & quidem ſuperiori ſubordinatum, & ei egregie cohærens; quisque per ſe perſpicit. Generale thema, Viſo ſubſtratum, eſt, hoſtes omnes, qui ſe Eccleſiæ obſtinate opponunt, eam oppugnant, eſſe perituros. Canon eſt generalis, ſcriptus in Libro Fori cœleſtis: (a) *Ecce hoſtes tui, Jehova, ecce hoſtes tui peribunt: diſperdentur omnes operantes iniquitatem.* Docet id Propheta ſcito emblemate. (b) Hiſtoria hic atteſtatur Providentiæ Divinæ tot exemplis, quos hoſtes Eccleſiæ exhibet, modo prudenti oculo legatur, & lector Deo ſpatium concedat judiciorum ſuorum ordine exequendorum; id cogitans, quod non ſemper ſed ſæpe obtinet, Ὀψὲ Θεῦ ἀλῦσι μύλοι, ἀλῦσι δὲ λεπτά. Cum autem hoſtes potentiſſimi, adverſarii formidabiles, Eccleſiæ ob-

(a) Pſ. XCII: 10. (b) Zach. XII: 2.

objiciantur, & hoc ipſo in caſu Imperium Perſicum, quà poteſtati Satanæ ſuberat, non videbatur fauturum ſpei Eccleſiæ: oſtendit Dominus Prophetæ, ſe ex magno hoc *monte* æquam facturum eſſe *planitiem*. (a) Remoturum eſſe hanc molem ſua potentia, ſuoque Spiritu Deum, ne moretur conſiliorum divinorum ſucceſſum & Eccleſiæ expectationem. Sic cohæret hoc Viſum ſuperiori. Hoſtes Eccleſiæ cohibendi retundendique erant, ut ſtaret Eccleſiæ ſpes, nunquam vacillatura.

§. III. Suadet ratio ſic inſtituere partitionem. Ut *Viſum ipſum* prius conſideretur: deinde illius *interpretatio* ſeorſim ab *Angelo* data. Tertio denique loco ἡ ἐπεξήγησις, *Expoſitio*, ipſius interpretationis diligentior inveſtigatio, cum implemento Prophetiæ.

Pars Prior, *a Viſum ipſum*, ſive ſpecies imaginationi Prophetæ objecta, Cap. I: 18, 19. Deſtinct. Belg. Cap. II: 1. Diſt. *Heb.* vs. 20. Diſt. *Belg.* vs. 3. Diſtinct. Heb,

Pars Altera, *Interpretatio* Viſi ab Angelo data, *Cornuum* vs. 19. & *Fabrorum*, vs. 21. Diſtinct. Heb. vs. 2. & 4.

Tertia, Ἐπεξήγησις *Expoſitio*, ſive deligentior inveſtigatio ſenſus ab Angelo intenti, cum Prophetiæ

Implemento.

§. IV. Ἀνακρίσιος hic nullus eſt locus, cum ipſa interpretatio tota ἀνακρίσει abſolvatur.

 PARS

(a) Zach. IV: 7.

Pars prior, *Viſum ipſum* ſive ſpecies, imaginationi Prophetæ objecta, à *quatuor cornua*, vs. 18. & totidem *fabri*, vs. 20.

Emblematis pars prima.

Vs. XVIII. *Et ſuſtuli oculos meos*, & *vidi*, & ECCE QUATUOR CORNUA. Vs. 20. *Et fecit me videre Deus*, & *ecce* QUATUOR FABROS.] Attentus Propheta ad emblema Angeli in myrteto, monitus eſt ab Angelo Interprete, quod vitii non fuerit hic ſubintelligere, oculos alio vertere, ad objectum aliud, quod ipſi contemplandum ſiſtebatur. *Tollere* enim *oculos* eſt eos ad novum objectum vertere; (a) ſive forte nulli rei contemplandæ occupatos habeas; ſive ab uno ad aliud convertas; eſtque Phraſis in Verbo Dei uſu recepta; præcipue in Prophetis (b); quorum animus vivida imaginatione percuſſus; tum hujus ipſius cauſſa, tum propter novitatem ac mirabilitatem, vigilantiam & attentionem præſtabat majorem. *Novum* vero & dignum animadverſione, quod Vates quà tale innuit vocula ECCE; ſunt *quatuor cornua*. Ita eſt, imagines Propheticæ omnes, fictæ ab ipſo Spiritus S. ingenio, habent quid ſpirituale, divinum, atque adeo omni dignum animadverſione, attentione, nec viſione tantum corporali ſed & ſpirituali, eſtque ad eas contemplandas adferenda major puritas & perſpicacia præſtantiſſimæ partis noſtræ mentis, & in iis perſpiciendis acumen, quam in corporalibus & vulgatis, quorum ſenſus & occaſio meditationi noſtræ objiciunt, habentque id inprimis Zachariana, nos, Deo volente, exercitura.

Et quidem præſens emblema videtur eſſe, & eſt, ſimplex.

(a) Gen. XXXIII; 1. Joh. IV: 35. (b) Dan. VIII: 3.

plex; ſed purum, ſpirituale, ad rem de qua agitur, ſpi-
ritualem maxime accommodatum; ut nihil in eo adulte-
rinum ſit aut quaeſitum, conditque ſub velo ſenſum am-
pliſſimum. *Vidiſſe* ſe, ait Zacharias, *quatuor cornua*. Id nar-
ratu erat ſimpliciſſimum; & tamen curioſitati noſtræ mul-
ta relinquebat quaerenda. Veluti, Cujus materiæ fuerint
hæc Cornua? cujus figuræ? quo ſitu & poſitu obverſata
fuerint Prophetæ? Num mera viſa ſint cornua, an cornuta
animantia ſimul cum iis exhibita? & quæ plura. Sed re-
ſpondemus, a. Si Vates exiſtimaſſet, quicquam horum
pertinuiſſe ad ipſam Viſi perfectam intelligentiam: eadem
adſcripturum fuiſſe. Nunc ex ipſo ejus ſilentio, certos
nos eſſe poſſe, non pertinere haec ad ipſam Viſi eſſen-
tiam, ſed ad accidentalia, quæ Spiritus, cum ad rem
non facerent, reſpici noluit. b. Poſſe nos ex ſimplici nar-
ratione Viſi totius cum illius interpretatione quædam il-
lorum cognoſcere, quæ ad illius intelligentiam ſcire cu-
peremus. Verbi gratia, Quæris, ex qua materia con-
fecta hæc cornua Prophetæ viſa ſint? reſpondemus, Cor-
nua hæc viſa fuiſſe Vati *ferrea*, eaque acuminata, cujus
ſunt rationes duæ. Prima, eaque certiſſima, quod oppo-
ſiti ipſis fuerint *fabri*, abſque dubitatione *ferrarii*, ad illa
retundenda, quod in cornibus alterius generis locum non
potuit habere. Altera, παραλληλία, quæ inter hoc Viſum inter-
cedit, & illud, ubi omnino narratur, Achabo deliberante
cum Joſaphato de bello inferendo Syris, cum pro more
quoque illius temporis Religio eſſet cœptum tanti momenti
ingredi ante exploratam voluntatem Dei per revelationem
Propheticam; fuiſſe inter Pſeudoprophetas Achabi teme-
rarium aliquem *Tſedekiam*, *filium Cananæ*, a Satana, Deo
permittente, deluſum, quin, ut videtur, vere etiam perſua-
ſum,

ſum, qui, ut fiduciam & certitudinem ſuae vaticinationis aliis quoque inſpiraret, ſibi *ferrea* dicitur parari feciſſe *cornua; Regibus* hoc ſymbolo Dictum hoc quaſi divinum fidenter imputans. *Ita ferietis hoſtes, donec plane confuſi pereant.* (a) Idem genus emblematis; hoc ipſo nulla parte inferius, quod à malo Spiritu fictum ſit. Simplicitati enim & proprietati fictionis, quæ cujusque ingenii eſſe poteſt, ut in parabolicis aliis, hoc ipſo nihil decedit. Quæris porro, quo *ſitu & poſitu* hæc cornua viderit Propheta? Reſpondeo, *vidiſſe ea in manu totidem poteſtatum* inviſibilium, ſive Angelorum, ſub qualicunque ſpecie, ea vi impellentium & protrudentium in hoc vel illud latus: fere ſimili motu vel geſtu, ut ſua cornua movit vel impulit in ſimili actu ſymbolico Pſeudopropheta Tſedekias, *Filius* Cananæ. Res enim hic plane eadem eſt; niſi quod imaginarius actus falſi Prophetæ adumbraverit verum. Hæc quod ad emblema ſecundum partem ejus priorem.

Altera, æque pura & ſimplex, his ſe commendat verbis, vs. 20. *Et fecit me videre Jehova quatuor fabros.* Phraſis Prophetica, nos propius monens non tantum de Divina revelationis auctoritate, ſed & de exſtatica operatione Spiritus S. cui hoc tempore ſubjectus erat Propheta, quippe qui totus hoc tempore erat in manu Dei, cujusque ſenſa & imaginationes à Spiritu Dei adminiſtrabantur & dirigebantur. Id emphatice, *Jehova me fecit videre.* Sic lubentius hic verto, quam *Et oſtendit mihi*: etſi res eadem eſt. Cap. III: 1. *Et* FECIT ME VIDERE *Pontificem maximum*, & ſqq. Amos. VIII: 1. *Sic* FECIT ME VIDERE; *Dominus Jehova.*

Spe-

(a) 1 Reg. XXII: 11.

Species Viſi ſive Objectum, *Quatuor* FABROS, intellige, quod res ipſa poſtulat, *Fabros ferrarios.* De quorum habitu vel geſtu cum nihil hic dicatur, ex ſequenti interpretatione quod dici debebat, facile colligitur; fuiſſe illos inſtructos *malleo* vel *dolabra*; & ex eorum cinctu, geſtu, motuque colligi potuiſſe, veniſſe ad aliquid agendum illorum cinctu & inſtrumentis, quæ ſecum ferebant, conveniens: quod ipſum occaſionem dedit Prophetæ, illos obſervanti, ex Angelo Interprete percontandi, *Quid illi veniunt agere?* Eſt Hebraiſmus, & tamen idem quoque Belgicismus: wat komen die maecken: ne dicam, Græcis, Latinisque pariter eſſe locutiones uſu receptas. Non eſt neceſſe, ut opinor, Angelos, qui hic ſuſtinuerunt perſonam fabrorum, hic comparuiſſe *fabrili* habitu. Sufficit, illis adſcribi malleos, aut dolabras; cum nihil amplius, ad perſonam quam gererent, pertineret: certe ex Viſo colligi nequeat. Monuiſſet de cæteris Propheta, ſi ad ſcenam inſtruendam fuiſſent neceſſaria. Inſpicienda itaque eſt interpretatio, quæ ut ſimplex & paucorum verborum: ſic altioris tamen indaginis eſt, & habet, quod nos exerceat.

PARS ALTERA Viſi: interpretatio ejus ab Angelo data, ſecundum Utramque partem.

Membrum prius, de CORNIBUS.

Vs. XIX. *Et dixi ad Angelum, mecum loquentem,* QUID ILLA? *Et dixit mihi, Illa ſunt cornua, quæ* VENTILARUNT *Judam, Iſraëlem, & Hieroſolymam.*] Etiamſi emblema per ſe non valde eſſet remotum ab intelligentia humana, ut ὁ ἔχων νοῦν ſenſu ſpirituali præditus absque interpretatione penetrare nequeat in ſubſtantiam & ſummam ejus, quod pauciſſimis Verbis in hoc Viſo proponitur: cum ta-

men omnibus adſit ſtupor ſpiritualis, & Propheta hoc ſingulari gauderet privilegio, ut comitem ſibi adjunctum haberet Angelum Interpretem, certum veri Doctorem; eadem curioſitas ſive cupiditas cognoſcendi veri, qua utinam affecti eſſent omnes! illum movet, *Quid ſibi illa velint?* Angelus autem in hoc aliisque interpretamentis ita ſe gerit; ut nihil eorum, quæ ad rem pertinent, diſcipulum hunc ſuum, & in ipſo nos quoque, celet; attamen aliqua illius & noſtræ relinquat inveſtigationi & meditationi. Nos enim ipſi quoque ſumus, qui hic in & cum Propheta docemur; docendi cum tempore majora. O Divinum Volumen, quod Gentes tanta bees gratia!

Illa ſunt cornua, (hoc refert reſponſum Vates,) *quæ ventilarunt Judam, Iſraëlem, & Hieroſolymam.* Hoc eſt, illa cornua referunt *res illas* ſpirituali ſenſu ſic dictas, quæ *ventilarunt* Populum Dei, hoc eſt, Cornua illa ſignificant illas Res, quibus tribui poteſt *attributum, diſſipandi Judam, & Iſraëlem.* In quibus verbis una vox זרו, *diſperſerunt*, *ventilarunt*, recte intellecta nos ducit ad totius ſcenæ genuinum aſpectum. Notat illa proprie idem quod Græcis *διασκορπίζειν diſpergere, diſſipare, ventilare, ſurſum deorſum jactare*, eſtque emblema deſumptum à *Tauris* ſive *cornupetis beſtiis*, petulcis, iratis, laſcivis, qui *aream* frugum cornibus ſuis disjiciunt & diſſipant; vel qui in pecudum genus imbecillius præ laſcivia invadunt, idque impetunt, impetendo diſſipant, diſpergunt, & plane disjiciunt. Sic omnino ſumitur apud Ezech. XXXIV: 21.

Sumitur notio Pſ. XLIV: 12. *Poſuiſti nos ut oves mactandas*: ובגוים זריתנו *& inter Gentes diſperſiſti nos.* ſc: ut Doctus Hebræus; pars jugulati, pars in Exilio diſſipati & diſperſi. Sed plurimum pertinet uſum vocis ex parallelis locis

ejus-

ejusdem ſignificationis illuſtrare. Eſt autem notio נגח. *Taurorum* maxime & *cornupetarum* beſtiarum more feriendo diſſipare. Sic apud Ezechielem, (a) de Proceribus Gentis Judæ ſub emblemate cornutarum animantium probe ſaginatarum, inferiores & infirmos opprimentium: *Propterea quia latere & humero truditis*, בקרניכם תנגחו CORNIBUS VESTRIS FERITIS *omnes infirmatas*, *usque eo* אשר הפיצותם אותנה אל החוצה UT DISSIPAVERITS (diſperſeritis,) EAS FORAS. Alio ſenſu, ſed eadem metaphora: (b) *Quia ecce hoſtes tui, quia ecce hoſtes tui peribunt*; יתפרדו DISPERDENTUR *omnes operantes iniquitatem.* De Joſepho Moſes: (c) *Decus illi ut primigeniti bovis, ſuntque cornua ejus ut monocerotis*: ינגח POPULOS *illis* FERIET, *ſimul fines terræ.* Vides ex his locis, *cornua*, quæ hic memorantur, eſſe res myſtice ſic dictas quibus competunt fortes & validæ actiones disjiciendi, diſturbandi, diſpergendi, quales ſunt Taurorum aliarumque petulcarum beſtiarum, ut proinde ferri nequeat, Grotium, ut extenuet res ſub hac metaphora intellectas, ſimul extenuare poteſtatem verbi זרה, quæ rem illuſtrat eique momentum addit. Ait Vir illuſtris, זרה, *quod hic ventilare vertitur, quocunque modo incommodare ſignificat, vertiturque per* ἐναντιοῦσθαι *adverſari*, Prov. XX: 8. & καθυβρίζειν *contumeliis afficere* Jer. LI: 2. Sed ſunt illa pauca, in quibus generaliorem interpretationem vocis noſtra leviorem, ſed ei non contrariam, οἱ ό. ex ſuo Judicio non ubique accurato admiſerunt, quæ ſane non præjudicant aut prævertunt communem vocis ſignificationem διασκορπίζειν, λικμᾶν, ab ipſis quoque hoc loco agnitam. Ergo per *cornua* hic intelliguntur Poteſtates Eccleſiæ, magna potentia in alios ſæviendi inſtructæ, fero-

(a) Ezech. XXXIV: 21. (b) Pſ. XCII: 10. (c) Deut. XXXIII: 17.

ces, ſuperbæ, petulantes, terribiles, Principes, Reges, Imperatores, Tauri myſtici; eſtque emblema hoc ſenſu per Scripturas S. receptiſſimum in Parabolis Propheticis, & locutionibus illius generis. Paraphraſtes: ארבע מלכון *Quatuor Regna.* Id recte in interpretamento, vs. 19. ſed minus commode vs. 18. Ibi vertendum erat, vidiſſe Prophetam *quatuor cornua*; non *quatuor regna.* Sed rectiſſime deinceps, *quatuor cornua* eſſe *quatuor Regna.* Si apud Veteres extiterint *animantia unicornia*, ſive *monocerotes*, dicta ſtylo Scripturæ S. (Deut. XXXIII: 17. Jeſ. XXXIV: 7.) ראמים, à *magno & elato cornu*, ut multis fuit perſuaſum: poſſet in hoc loco ad illa alludi. Sed Cl. Bochartus hypotheſin convellit, & poſt longam diſputationem hac de re intellexit *Orycem*, capreæ genus; (a) etſi videantur ſuadere loca Scripturæ, in quibus uſus eſt vocis, non quidem *monocerotem*, ſic Veteribus dictum, ſed Tauri ferocis ac feri & alte cornuti genus deſignari: (b) at cum vox ראם hic non extet, nulla hic occaſio nobis datur in id latius inquirendi. Photius in recenſione Philoſtrati de Apollonio Tyaneo: (c) *Aſinos præterea ſylveſtres (in Judæa) paluſtribus locis capi dicunt:* εἶναι δὲ τοῖς θηρίοις τούτοις ἐπὶ μετώπου κέρας, ᾧ ταυρηδόν τε καὶ οὐκ ἀγεννῶς μάχονται· *Eſſe autem hujus modi feris in fronte cornu quo taurorum more generoſe pugnent.*

Clarius cognoſcentur ex ſuo attributo, *Hæc*, ait, Angelus, ſunt *cornua quæ diſperſerunt Judam, & Iſraëlem, & Hieroſolymam.* Jam vidimus de vi & poteſtate vocis זרו *ventilarunt*, *disjecerunt*, *diſturbarunt.* Licet itaque hoc in loco intelligas gravia omnia & mala qualiacunque, quibus

(a) *Hieroz.* Part. 1. Lib. III. c. XXXI. (b) Pſ. XXII: 22, LXXV: 5, 6. Dan. VII: 7, 8. Apoc. XVII: 12. (c) p 999.

bus Populi aut Populorum Principes, Eccleſiæ adverſarii, furore & potentia ſuperiores, mali, ſuperbi, Populum Dei imbecilliorem, infeſtare, opprimere, & quali modo affligere ſolent, ut res illius imminuant, diſturbent, ſtatumque illius deſtruant atque ſubvertant; ut ſit vaſtationibus terræ, direptione bonorum, imperioſis edictis, morte, & Exilio, quæ omnia tendunt ad Status politici aut Eccleſiaſtici turbationem vel everſionem, perinde ut ſit, ſi Tauri ferocientes aut Cornupeta animalia petulantia in Gregem, aut homines quoque, ſæviant ſive læſionem aut noxam iis inferendo, ſive disjiciendo & diſſipando, ut quilibet ſibi præ metu imminentis mali caveat. Quod ipſum in propiore interpretamento ipſius emblematis ſubjicitur, vs. 21. *Hæc ſunt cornua, quæ diſperſerunt Judam, ita ut nemo attolleret caput ſuum.* Hoc eſt, ut nemo intrepide & cum fiducia res ſuas agere, atque in negotiis publicis aut privatis, verſari poſſet vel auderet: ſed poteſtati ſuperiori imperioſæ, non pro arbitrio tantum, ſed ex vitae petulantia dominanti, ſe demiſſe atque humiliter & ſerviliter quoque, ſubjiceret. Status eſt calamitoſus; ſtatui libero oppoſitus, quo quis imperioſo dominio obnoxius ad alterius præceptum vitam ſuam abſque fiducia componit, & non niſi timide reſpectu poteſtatis ſuperioris animo ſervili verberibus intento in omni negotio procedit. Et quidem phraſis *attollere*, vel *non*, *caput* hoc ſenſu frequens uſu venit. In Libro Judicum de Midianitis: (a) *Et humiliabantur Midianitæ coram Iſraëlitis, nec perrexerunt* לשאת ראשם TOLLERE CAPUT SUUM. Cum *fiducia* & *ſpe* agere, & in ſtatu *glorioſo* & *libero* verſari, ut erecto Capite incedas & nihil metuas, eſt attollere Caput. Confer

(a) Jud VIII: 28.

Job. X: 15. Pſ. III: 4, XXVII: 6. Luc. XXI: 28. Hic ubi alluditur ad tauros ferocientes: docet experientia, quemque, ſi forte caſui tali obvius eſt, ubi hanc beſtiam ſævire videt; ſe quantum pote occultare, & demittendo caput tegere, ut ſibi à noxiis inſultibus caveat, ſeque diſcrimini imminenti eximat. Pertinet autem vel maxime ad intelligentiam totius Viſi cognoſcere objectum, circa quod hæc *cornua* verſarentur; nempe ſunt *Juda*, *Iſraël*, & *Hieroſolyma*. Ex inſpecto orationis contextu non ſatis liquido definiri poteſt, an eventus jam præterierit; nam in futurum expectandus. Si vox זרו, *diſperſerunt*, quæ eſt formæ *præteriti*, de hoc tempore accipiatur, deberent hæc *cornua* jam *apparuiſſe*; vel jam *apparere*, & *extare* in rerum natura; atque adeo *Juda*, *Iſraël*, & *Hieroſolyma* late ſumi poſſet de *Juda* ab *Iſraële* diſtincto, ut paſſim in Hiſtoria & ſcriptis Prophetarum; ut per *cornua* quæ *Judam* & *Iſraelem*, atque *Hieroſolymam* ferierint, atque afflixerint in univerſum intelligantur hoſtes, qui utrique Populo graves fuerint, quique adhuc dum graves illis incumbant: per *cornua* autem, ſubjecta ſive inſtrumenta, per quæ Deus hoſtes Eccleſiæ jam repreſſerat & deinceps repreſſurus erat. Certe vox זרו *diſperſerunt* admittit generalem ſignificationem, non excludit *præſens* & *futurum*; ſed æquum eſt, *præterito* & *præſenti* hic dare primam ſignificationis poteſtatem: quando ſimul *Juda*, & *Iſraël* non reſpuent vulgatam ſignificationem diſtinctorum Populorum, in quos noti utriusque Populi hoſtes ſævierunt. Utique ſi quis id mecum amplectatur, ſimul dederit rationem, quare *Juda* & *Iſraël* hic diſtincte appellentur; (ſi enim ad *præſentem ſtatum* totum hoc Viſum referetur, alterutrum *Juda* vel *Iſraël* poterat abeſſe; ſecundum ſtylum

ſum Prophetæ noſtri:) & habebit illud magnum uſum in hoc Viſo integre interpretando, ut poſſimus *quatuor cornua* commode recenſere & cum totidem *fabris* comparare, qua in re plures Interpretes laborant. Sed hæc deinceps nos exercebunt. Idem obſervandum, de *quatuor Fabris*, ut res ipſa nos docebat.

Membrum interpretamenti alterum, de FABRIS.

Vs. XX. *Et dixi, quid illi* (Fabri) *veniunt facere? Et dixit: Illa ſunt cornua, quæ diſperſerunt Judam: ita ut nemo attulerit caput; ſed venerunt* hi (Fabri) *ad* TERRENDUM *iſta, ut dejicerent cornua Gentium qui attollunt cornu ad terram Judæ ad illam diſſipandum.*] Pleraque, quæ huc pertinent, jam monita ſunt, nec ſecundum literam difficilia ſunt expoſitu: tantum, quia Veteres Int. hic diſſentiunt, ipſorum verſiones hic negligendæ non ſunt. *Et dixi, Quid illi veniunt facere.* Sic recte Hieronymus; perinde ac οἱ ό. & Chaldæus. Jam monui hos Fabros ferrarios ita in Viſo oblatos fuiſſe Zachariæ, ut ex habitu geſtuque illorum, quippe malleis & dolabris inſtructos, ut facile appareret, eos ad negotium aliquod fabrile, arti conveniens, ex mandato Dei adeſſe. *Et dixit, Hæc ſunt cornua quæ ventilaverunt Judam per ſingulos viros, & nemo eorum levavit caput ſuum.* Sic Hieronymus. Illud, כפי איש *per ſingulos viros*, quæſitum eſt. Rectius, ut opinor, *ita ut*, *eum in modum ut*, *juxta ut*, videlicet ut deſcribatur *modus* oppreſſionis & afflictionis, ejusque *gravitas*. Quod ex emblemate referendum ad *fiduciam*. Hæc vulgata notio eſt vocularum לפי, על פי, כפי Chaldæus nihil à ſcopo divertit. Οἱ ό. Ταῦτα τὰ κέρατα τὰ διασκορπίζοντα τὸν Ἰούδα καὶ τὸν Ἰσραὴλ κατέαξαν καὶ οὐδεὶς αὐτῶν ἦρε κεφαλήν. *Hæc ſunt cornua quæ diſperſerunt Judam & Iſraëlem confregerunt, & nul-*

nullus eorum levavit caput. In Hebræo textu non apparet vox *Iſraël*, nec verbum reſpondens voci κατάγω hic ſumendum ſenſu *frangendi*, *enervandi*. Ut adeo ſuſpicer, illa, τὸν Ἰσραὴλ κατέαξαν, adſcripta fuiſſe à Librario margini. Poterat adeſſe *Iſraël* ex ſuperioribus; ſed in Hebræis non comparet, & facile ſub *Juda* intelligitur, & non erat ex ſuperioribus repetitio neceſſaria, ut nec in ſequentibus, *quæ levaverunt cornu contra terram Judæ* ſc. ſubintelligitur, *& Iſraël.* Non eſt enim probabile, Vatem diverſa attributa hic referre voluiſſe ad *Judam* & *Iſraëlem.* Ut *Judam* dicat *diſperſum*, & *Iſraëlem confractum eſſe*. Sequitur. Et *venerunt illi deterrere ea, ut dejiciant cornua Gentium quæ levaverunt cornu ſuper terram Juda, ut diſpergerent eam.* Optime quidem ſecundum veritatem Hebraicam. Longius aliquanto receſſerunt οἱ ό. qui ita exhibent, καὶ ἐξήλθοσαν (Alex. Εἰσῆλθον) οὗτοι τοῦ ὀξῦναι αὐτὰ εἰς χεῖρας αὐτῶν τὰ τέσσαρα κέρατα τὰ ἔθνη τὰ ἐπαιρόμενα κέρας ἐπὶ τὴν γῆν κυρίου, τοῦ διασκορπίζειν αὐτήν. *Et egreſſi ſunt illi, ut exacuant ea in manibus ſuis, quatuor cornua*, Gentes *quæ levaverunt cornua ſuper terram Domini, ut diſpergerent eam.* Verſio eſt affecta, ſive ex ignorantia & corruptæ lectionis ſive ex incuria; ſuntque horum aliqua jam à Doctis Viris obſervata, Primo certum ſit, illos voces להחריד legiſſe, vel ſic tranſtuliſſe acſi legiſſent לחחדיר, ubi eam verterunt τοῦ ὀξῦναι αὐτά. Haud dubie vitioſe, quippe ſi *cornua acuerentur* hoc ipſo ad feriendum redderentur aptiora. Atqui debebant contundi & dejici: præterquam quod vox חדר forma *hiphil* non occurrat. Dicam tamen, quid moverit Interpretem. Nova ipſi phraſis viſa eſt *perterrefacere cornua*, nec quadrare ſubjecto: deinde, aliter haud dubie accepit τὸ *acuere*. Utique *acuere* ipſi hic eſt dolan-

dolando imminuere & attenuare, usque quo *attrita* dejicerentur. Sic putem; quando tanta non erit differentia. Sed quod additur, לירות craſſe illi & ruditer, *εἰς τὰς χεῖρας αὐτῶν in manus ſuas* ſc. *fabri* ſumpſerunt illa *cornua*. Utique Maſorethica lectio habet, ידות *dejicere* longe certiore & convenientiore ſenſu, & ידות *latera*, *anſæ* multum ſignificatione differunt à יָדַיִם *manus*; quæ Interpres inter ſe confudit, addens de ſuo *relativum αὐτῶν*. Quod additur, *τὰ τέσσαρα κέρατα*, *ἔθνη τὰ ἐπαιρόμενα*; ſupereſt vox *τέσσαρα*; & inconſequens ſequens textus, *τὰ ἔθνη*: cum Hebræa poſtulent orationem conſtructam; *cornua Gentium*. Inde, quæ *extollunt cornu in terram* JUDÆ, Int. pro יהודה legit יהוה vertens, *κυρίου. Domini*. Sed hæc vitia ipſi condonemus. In Hebræo textu, ut recte ab Hieronymo acceptus eſt, nullum hæret dubium, niſi in voce החריד *terrere*, *deterrere*, (ſic legendum ſecundum Hieronymum, non vero, *deterere*,) *perterrefacere*, quod hic tribuitur *fabris*, *cornua* dejecturis. Videtur potuiſſe vox adhiberi aptior & metaphoræ congruentior. Sic videatur ad primam ſpeciem: interum notio eſt in hanc rem ex ſcopo Prophetæ utiliſſima; & uſurpatur hoc loco quà proprie quà figurate. Quod ad propriam ſignificationem attinet: *fabri ferrarii* cornua valida, firma, robuſta, ſive capiti animalis, ſive rei alii infixa & alte in eo hærentia; qualia ſunt Tauri, ut ſtabili & immoto loco ſita, dicuntur *perterrefacere*, *deterrere*, dum ea luxant, convellunt; locô & ſitu ſuo movent, faciuntque, ut convulſa, tremebunda, luxata, facile dejiciantur, quod mox ſubſequitur. Chaldæus docte, לאזעא יתהון *ad commovenda ea*. Scilicet, זוע eſt commoveri ex metu, trepidatione, terrore. Eſtque metaphora ſumpta à tremebundis, trepidantibus, &

valido terrore percuſſis; qui ſtabilem locum tenere nequeunt. Ceterum cum hic vere de hominibus agatur ſub notione *cornuum*: Deus Regna, Populos, exercitus, dicitur *perterrefacere*, quando in eos conjicit trepidationem metuſque impotentiam, & perturbationem animi, quæ ut eſt ſignum iræ Dei, ſic non poteſt non tendere ad ipſorum exitium. Frequens hic uſus eſt vocis; oppoſitæ *ſecuritati*, qua quis degit abſque metu & formidine. (a) Deus itaque, tranſlata ſignificatione à figura ad rem ipſam, quod ſæpiſſime fit, *cornua adverſaria* dicitur *perterrefacere*, quando Regna & Populos, de quibus hic agitur, ſuis judiciis gravius commovet, & deterret, & iram ſuam certis ſignis imminentis judicii declarat, ut apud Habakukum. (b) שד בהמות יחיתן *Vaſtatio beſtiarum eas perterrefaciet*: h. e. Judicia Dei ipſis (Chaldæis) infligenda ob vaſtationem illatam in Judæam, iis incutiens terrorem. Libanus hic eſt Judæa: beſtiæ Libani ſunt Judæi. Eſt alius ſenſus, ſed tamen recepta eſt metaphora. Pariter tempore Judicii, de quo loquitur Jeſaias, Deus venturus eſſe dicitur לערץ הארץ *ad horrore percutiendam terram*. (c) Intelliguntur, ut quisque ſentit, graviſſima Dei judicia, ejusque ſeveritatis demonſtratio, improbis incuſſura horrorem. Hic vero utcunque vocem ceperis; res fere eodem recidit. Si priore modo; ſignificat primum Judicii gradum, quo *fabri* cornua luxant & loco movent; qui tendit ad alterum, qui eſt ידות *dejicere cornua Gentium*. Proſternere & penitus infringere, comminuere, profligare, ut vi & robore caſſa ad uſum omnem feriendi inepta ſint. Si poſteriore, cum reſpectu ad *ſubjectum* comparata *cornibus*, h. e.

(a) Jud. VIII: 12. 2 Sam. XVII: 2. Exod. XVI: 6. Jer. XXX: 5.
(b) Cap. II: 17. (c) Jeſ II: 19.

h. e. regna & Populos adverſarios, de quibus hic agitur; nihil diverſum ſignificabit; ſed intelligentur per *Fabros* ſubjecta incuſſura hoſtibus terrorem, per quæ vis & robur illorum infringatur & metus gravior Divini judicii iis incutiatur. Sed prius ſimpliciſſimum fuerit & figuræ uti exacte reſpondet: dicuntur *fabri* veniſſe ad *convellenda cornua* quo ea *dejicerent*, corrumperent, & ad uſum feriendi inepta facerent.

Quid hæres? Intelliguntur utique Reges & Principes terræ à Deo ſuſcitandi, qui adverſarios Eccleſiæ, eorumque Regna & Imperia, reprimant, coërceant, dejiciant, diſturbent; & ab afflictionibus, oppreſſionibus, & perſecutionibus eam liberent, & adverſarios Populi Dei privent armis atque inſtrumentis, quibus ad illos opprimendos, disjiciendos, & ſtatu ſervitutis & metus detinendos, abuſi fuerant. Res ipſa id flagitat. An Angeli illi ſint, qui hæc effecta præſtant; num homines: hactenus perinde nobis ſit. Fabri hi cognoſcendi ſunt ab effectis. Effecta autem ea eſſe quæ dixi; & re ipſa & ex interpretatione Angeli intelleximus. Tantum quærendum; quæ & quales illæ ſint *perſonæ*, ſive *ſubjecta* de quibus hic agitur; quæque ex generalibus attributis jam cognovimus: quod Angelus reliquit noſtræ inveſtigationi ad ingenii noſtri exercitationem. Suppoſuit enim id eſſe ingenii noſtri, nec eſſe ſupra facultatem mentis neceſſariis principiis inſtructæ, atque illuminatæ. Si ipſa omnia explicaſſet: Prophetia deſineret eſſe quod eſt.

Ἐπεξήγησις interpretamenti Angeli, & totius emblematis Prophetici inveſtigatio penitior.

§. I. In elaborando emblemate Prophetico maxime Judicia Interpretum exercere par eſt bonitatem & acumen

ſuum; eſtque vere multum, hic non deflectere à ſcopo. Cum enim attributa quæ in Subjectis Propheticis exhibentur, ſæpe communia ſint pluribus: finitu videtur difficile, quænam illa potiſſimum ſint, ex pluribus *ὁμοιοπαθέσι*, in quæ intenderit Spiritus S. eſtque hic vere negotii non exigui aſſequi ejus mentem. Quid? ut non diſcedam à materia ſubjecta. Exhibentur hic *quatuor cornua*, ferientia Eccleſiam eamque diſpergentia; & totidem *fabri* illa repreſſuri *malleis*: quid ſi rem per ſe ſpectes, ea videatur facilius? Omnes enim vident hic deſignari adverſarios *Eccleſiæ*, eosque celebres & *φερωνύμους*; totidemque Executores Divinæ Vindictæ conſilio Dei diſpectos ad eorum inſolentiam compeſcendam, & Eccleſiam ulciſcendam ac liberandam. Quales illi *quatuor* in his inſignes? Conqueritur Eccleſia, *hoſtes à Juventute tergum ſuum araſſe, ſulcos in eo latos feciſſe:* (a) idque verum eſſe, docet hiſtoria: Ecqui vero illi *quatuor* in cæteris eximiis, qui hic memorantur? Inſtituenda hic eſt inveſtigatio, quantum & quatenus licet: in qua hæc aſſumemus principia, nemini jure controverſa. *α*. Eſſe hoſtes præcipuos, Eccleſiæ graves. *β*. Qui afflixerint qua Iſraëlem qua Judam. *γ*. Et quidem graviſſime tum *oppreſſerint* tum *diſperſerint*. Ut nemo auſus fuerit *attollere caput*, *δ*. Qui proxime ante vel circa hæc tempora extiterint. *ε*. A validis adverſariis Dei providentia excitandis repreſſos punitosque? Probabile eſſe, intelligi hic *quatuor*; & eſſe numerum quaternarium hic numerum non *vagum*, ſed certum *definitumque*.

§. II. A poſtrema hypotheſi ordiar. Sunt Interpretes, qui per *quaternarium* numerum hic intelligi volunt *indefinite* hoſtes qua Judæorum qua Iſraëlitarum excitandos ex qua-

(a) Pſ. LXXIX: 1. ſqq.

quatuor cardinibus cæli, ut ſane nulla cæli plaga fuerit, quæ non dederit hoſtes & adverſarios Eccleſiæ, ut negari nequit, ab Oriente *Moabitas* atque *Ammonitas*; à ſeptentrione *Aſſyrios* ac *Chaldæos*; à Meridie *Idumæos* & *Ægyptios*: ab Occidente *Philiſthinos* in hunc ſenſum venire potuiſſe. Eſt Theodoreti ſententia, qui ſuos nactus eſt ſectatores. Sed quæ ſe mihi probare non potuit. Jarchius quoque non dubie ſic accepit. (a) Agnoſco lubens Aſſyrios ac Chaldæos, à ſeptentrione: ſed Ægyptios hic recenſeri non patior, cum Ægyptii recentiores ſe pro amicis & fœderatis Judæorum adverſus Aſſyrios & Chaldæos geſſerint; neutiquam vero eos oppreſſerint, & ita depreſſerint, ut non auſi fuerint attollere caput. Nec Idumæis, Moabitis, Ammonitis, aut Philiſtinis, aut Syris quoque, hoc attributum vindicaverim. Potentia illi & armis habiti, florentibus utriusque Reipublicæ viribus, non tantum pares, verum etiam inferiores, ut proinde cornibus ipſorum impetiti Ephraimitæ ac Judæi illos retundere, & paria paribus reddere parati fuerint: quem aſpectum nobis exhibet hiſtoria.

§. III. Eſt vetus & pervulgata ſententia Judæorum, quam Hieronymus jam didicerat ex Magiſtro ſuo; ut opinor, ſub emblemate *quatuor Cornuum* exhiberi hic *quatuor Gentes*; *Babylonios*, *Medos atque Perſas*, & *Macedonas*, *ac Romanos*. collatis hic Viſis Danielis, & Hiſtoria. Sic pariter Kimchius, & Abarbenel. Eſt ſpecioſa interpretatio, ſi ſupponas, Judæos extrema deſolatione per Romanos adhuc reſpici, non ut adverſarios, ſed ut Populum

 Dei:

(a) Verba ejus אלה הקרנות HÆC SUNT CORNUA] *Hæ ſunt Gentes quæ in quatuor cælorum plagis, quæ impetierunt cornibus ſuis adusque eos diſſiparunt.*

Dei: quod ſecus ſe habere videtur. Vere quidem Romani, illos ut *cornua* ferientes, exequuti ſunt ſevera Dei Judicia in ipſos ut contumaces & rebelles hoſtes Filii Dei; idque non egerunt impune. Quin exiſtimo, quod illi ſuperbe, inſolenter & injuſte perpetrarunt adverſus Judæos, à Fabris ad ipſorum inſolentiam compeſcendam excitatis, Gothis, Parthis, Perſis, aliisque Populis barbaris, punitum eſſe: ſed non ſane cum ipſorum liberatione & reſtitutione in Libertatem, quam adhuc expectant cum vindiciis Romani Imperii; ſed neutiquam ex mente hujus Viſi. *Cornua* hæc pertinent ad Statum Populi Judæi, ab ipſis *Fabris*, ſub eadem Oeconomia, retundenda. Romanorum hic nullus reſpectus.

§. IV. Grotii *Cornua*, quæ ille nobis demonſtrat *Cuthæos*, *Ammonitas Arabes* & *Philiſthinos*, (Neh. IV: 7.) quanti fuerunt heroes, reprimendi ſcilicet à totidem *Fabris*, illis oppoſitis, videlicet *Imperatoribus Perſarum*, *Alexandro*, *Regibus Syriæ*, & *Ægypti*: quam bellam inter ſe faciunt comparationem? Ligtfoot; (a) *Cornua*, *Rehum*, *Simſas*, *Thatbnas*, & *Schetar Boſnai*, oppoſiti fabris, *Zerubabeli*, *Joſuæ*, *Esræ* & *Nehemiæ*, rectius ſervant *genus* comparationis: eſt enim comparatio inter pares: ſed id cum Grotiana interpretatione commune habet, quod majeſtati Prophetiæ non ſatisfaciat. Prophetiæ ampliora & majora ſubjecta requirunt.

§. V. Cl. Cocceijus, Scaligeri & Calviſii adoptata hypotheſi, Darium in hac Prophetia eſſe Darium Nothum, & Artaxerxen illum, qui Mnemon cognominatur, neceſſe habuit, cogitata ſua aliter digerere. *Cornua* hic demonſtrat *Salmanaſſarem*, *Nebucadnezarem*, *Xerxem*, (du-

pli-

(a) *Chron. Temp.* & *Ord.* &c. p. 140.

plici nomine *tum quod obſtiterit ædificationi Templi; tum quod Gentem juſſerit extingui Hamanis inſtinctu;*) *Artaxerxem primum, qui eſt Longimanus. Fabros* vero iis oppoſitos, *α. Nebucadnezarem, β. Cyrum qui Babylonios contudit. γ. Græcos ſub Themiſtocle qui Xerxem expavefecerunt.* (*Eſther*, addit, *Hamane præparata* fuit! *δ. Græcos ſub Cimone. Sed illi per Macedonem erant Perſicam potentiam deſtructuri.* Sed ſunt in his quoque, in quibus quis merito aliquid deſideret. Et primo quidem, ſi vera ſint, quæ ſupra diſputavimus de Dario, eſſe videlicet illum Hyſtaſpidam: quæ adverſæ hypotheſi ſuperſtruuntur, fallunt. Quin autem certiſſima ſint, nulli dubitamus. Secundo, etiamſi concedam, hic rationem haberi poſſe Perſarum, ſufficeret utique, illos ſub emblemate unius cornu adverſarii hic oſtentari: nempe ut Græci, quibus Deus uſus eſt in Perſis retundendis eorumque faſtu refutando, locum ſuum ſeorſim obtinerent? ut ſane fieri oportet ſecundum fidem hiſtoriæ. Quare tertio, non intelligo; utique ſenſum commodum non dat, quod Vir doctus addit: Sed illi (Græci) *per Macedonem erant Perſicam potentiam deſtructuri?* Quid itaque? An Alexander tam inſignis in hiſtoria & Prophetia hic ne quidem appellari meretur? Exiſtimem præterea, Perſecutionem Gentis Judææ intentatam ab Hamane, & haud dubie ſecretius adminiſtratam, hic rectius præteriri, etiamſi illius Ahaſveri cujus mentio occurrit in Libro Eſtheræ aliam perſonam non imputem quam Xerxi. Sed nulla occaſio datur in hac Prophetia de ea cogitandi, & hiſtoria aliqua habet impedita, quæ majorem requirunt lucem. Poſſet præterea alicui videri, res Græciæ ſub Themiſtocle, & Cimone, licet memorabiles & in hiſtoria profana digniſſimum locum meritas, ad hoc Viſum explicandum trahi. Græci

enim,

enim, etiamſi res contra Perſas feliciter geſſerint, & Perſicam potentiam luculenter refutarint, nullum plane ad res Judæas habuerunt reſpectum; & ex labefactata aut fracta potentia Perſica nullam illi utilitatem, nullum fructum perceperunt: contra onera Imperii ab ipſis cæterisque ſubditis ferri debuerunt graviora. Tenuit me hæc ratio, ſed eam plane ſuperavi. Omnia hic ſalva ſunt modo hanc Prophetiam dextre tractemus.

§. VI. Quid itaque? Non inficior, Viſum hoc, quanto intellectu ad *primam ſpeciem* videtur facilius ob claram intelligentiam attributorum, *quæ illius ingrediuntur* compoſitionem; hoc ipſo tamen difficilius videri, quod ſpecies ſubjectorum, quibus attributa applicari poſſunt cum variæ ſint, judicium diſtrahant. Non potui à me impetrare, ut Viſo huic interpretationem dem, nihil continentem gravius, *quæ circa res aut perſonas levioris momenti tantum* verſaretur. Arbitror quoque interpretationem ſic eſſe inſtituendam, ut pro more Prophetiarum ad præſens aut futurum maxime reſpiciatur; & inter *cornua* ac *Fabros* juſta intercedat proportio. Quare cum ad id propenderem, ut primum *cornu* demonſtrarem *Aſſyrios*, &*Fabrum* ei oppoſitum Chaldæos: rejeci hanc cogitationem, quia, quo tempore hæc edita eſt Prophetia, Aſſyrii jam diſparuerant, eorumque Imperium inter Medos & Chaldæos diviſum erat. Cæteroquin, ſi illorum hic habenda eſſet ratio, (quod, fateor, aliquo modo probabile videri poſſe, quia Propheta loquitur de *cornibus*, quæ non Judam tantum ſed & *Iſraëlem* impetierunt & *diſperſerunt*:) per *Fabrum* huic *cornu* oppoſitum ex Vetere Hiſtoria, apud Herodotum, non intelligendi eſſent *Chaldæi*; ſed *Medi*, præcipui potentiæ illorum infractores, quorum vere in ipſorum Impe-

Imperio ſubvertendo primæ fuerunt partes. Verum, ut dixi, non diſcedo à ſententia. Eventus oppreſſorum à Salmanaſſare Ephraimitarum jam ſupra duo Sæcula & amplius extiterat; & deſtructi Imperii Aſſyriaci per gradus & articulos ſeptuaginta præter propter ante annis, ut proinde non ſatis congruum videretur illius hic meminiſſe. Verum eſt, poſt deportationem *decem tribuum*, quum plures ex Ephraimitis in Canaanæa ſupereſſent, illos cum *Judæis* fuiſſe conjunctos, ſive iis accenſitos, ac vel ſimul veniſſe nomine *Iſraëlis*, (a) vel diviſe *Judæ* & *Iſraelis*, (b) ſecundum præſentem ſuum ſtatum, quo licet eſſent conjuncti, manebant tamen ſecundum natales diviſi: ut proin nullum hic dubium ſuperſit.

§. VII. Ergo primum *Cornu* hic pono *Babylonios* ſive CHALDÆOS: *Fabrum* primum, CYRUM. Quæ nihil dubii inferunt. Attributa utrinque ſunt liquida, & undique confirmata. Alterum *Cornu* demonſtro PERSAS & MEDOS, *eorum* inter eos *Subjectorum* reſpectu, *quæ Judæos oppreſſerunt*. FABRUM iis oppoſitum Græcos ſub THEMISTOCLE & CIMONE. In univerſum conſtat, Perſarum Medorumque Principes Judæis neutiquam indulſiſſe expectatam ab iis libertatem atque indulgentiam; ſed contra, eos tenuiſſe in ſtatu ſervitutis; non quidem duræ & imperioſæ, attamen Populis liberis, & ſui juris, ſatis gravis: de qua Ezras exerte queritur in ſolennibus ad Deum precibus: (c) *Nunc ergo Deus noſter* ... *ne exigua tibi videatur omnis hæc moleſtia, in quam incidimus; Reges, Principes, Sacerdotes, Prophetæ, Majoreſque noſtri, totuſque Populus tuus, diebus Regum Aſſyriorum*, AD HUNC USQUE DIEM. ... VS. 36. *En nos hodie* SERVOS, *& quidem in terra quam dederas majoribus noſtris*,

(a) Zach. XII: 1. Mal I: 1. (b) Zach. VIII: 13. (c) Neh. IX: 32.

noſtris, ut fructu ejus & bonis fruerentur. ECCE NOS IN EA SERVOS. *Copioſus ejus proventus eſt Regum, quos nobis propter peccata noſtra impoſuiſti, quique corporibus & pecudibus noſtris pro lubitu ſuo dominantur; ut adeo in* MAGNIS VERSEMUR ANGUSTIIS, Hæc Ezræ ſunt apud Nehemiam: ſed ipſe adhuc preſſius in Libro ejus nomine inſcripto: (a) *A diebus Patrum noſtrorum ſumus in magno reatu usque ad hunc diem; & propter iniquitates noſtras traditi ſumus Nos, Reges noſtri, Sacerdotes noſtri in manum Regum terrarum, in gladium, in exilium, & in contemptum, & in pudorem faciei, ut eſt hoc die. Et nunc,* QUASI EXIGUO MOMENTO *facta eſt gratia à Jehova Deo noſtro ut reliquas nobis faceret reliquias, & ut det nobis clavum in loco ſuo ſancto ad illuſtrandos oculos noſtros, ô Deus noſter! & ut nobis det* ALIQUANTUM VITÆ IN SERVITUTE NOSTRA. *Quia vere ſervi ſumus, & in ſervitute noſtra non dereliquit nos Deus noſter, & inclinavit adverſus nos* GRATIAM REGUM PERSARUM, &c. En Judæorum conditionem ſub Perſis, qualem Ezras eos depingit; & ſunt hic præterea aliqua neceſſario obſervanda. α Etiamſi non idem omnium Perſarum fuerit ingenium, nec affectus erga Judæos & benevolentia eadem: fuiſſe tamen Perſas eorumque Imperatores in univerſum ſuperbos & crudeles Dominos, ut Hiſtoria teſtatur, & alibi (b) adſcripſi. Quare cum Judæorum non alia ſors fuerit ac aliarum Gentium, ipſis ſubjectarum: imo quanto deſpectiores tanto magis expoſiti ſervituti & oppreſſioni: non eſt dubium, jugum ipſis impoſitum paſſim fuiſſe ſatis grave: iis exceptis Imperatoribus, quorum benevolentiam & favorem erga eos hiſtoria laudat. β. Sed ego hic maxime ſpectari velim hoſce Imperatores in *Satrapis* ipſorum *Trans-Euphratenſibus*, quorum Impe-

(a) Ezræ Cap. IX: 8. (b) In *Jeſ.* Part. I. p. 610. b. 707. b.

Imperiis & poteſtati proxime ſuberant Judæi, quorumque mentio eſt diſerta in Hiſtoria Nehemiæ. (a) Hos neceſſe habebant maxime reſpicere Judæi. Horum venerari imperia & mandata. Quos erga eos paſſim male affectos fuiſſe, per artes & conatus adverſariorum, Cuthæorum & iis fœderatarum Gentium, Hiſtoria plane docet. Ipſi vero illi pariter ſuperbe & inſolenter tractabant Populos, quibus præerant; & præter voluntatem Dominorum ſuorum, ut fit, pro auctoritate ſua juſſa ipſorum exequebantur: nec eſt dubium, quin impedimenta prima rerum Judæorum ſub Cyro & Cambyſe iis imputari debeant. Ergo ipſi hi Imperatores Perſæ, ſive aliqui per ſe minus æqui ſive in hiſce ſuis Satrapis conſpecti, efficiunt *cornu ſecundum*. Nec videntur Perſæ hic poſſe excludi. Cum enim hæc Viſio obtigerit Prophetæ ſtante Imperio Perſico: Perſarum reſpectus hic ſeponi non poterat. Atque adeo attributa, quæ *cornibus* hiſce vindicantur, veluti quod *diſperſerint Judam*, *Iſraëlem* & *Hieroſolymam*, ita ut *nemo* auſus fuerit *attollere caput*, cum conveniant toti *corpori* oppreſſorum Eccleſiæ *quadripartito*, ſumenda ſunt pro *qualitate* cujusque *Subjecti*, non eodem gradu & emphaſi, ſed cum aliquo moderamine, ut huic majore emphaſi quam illi conveniant; & tamen omnibus aptari queant. Equidem paradoxum quid dixero; & nihilominus vere: Imperia omnia Mundi ſecundum Dei providentiam ſic fuiſſe ordinata, ut ſubſervirent conſilio Dei erga Eccleſiam; nec eorum diſſolutionem aut deſtructionem alio referendam; ut proinde eorum deſtructio, qualis fuit Perſarum, certo fuerit argumentum, illud non ſatisfeciſſe *conſilio Dei erga Eccleſiam*; nec Populum ſuum ea æquita-

Cc 2 te,

(a) Neh. II: 7. 9. III: 7.

te, Juſtitia, & indulgentia tractaſſe, qua par erat. Faber; itaque, huic Cornu oppoſitum, ſunt Græci, qui illos retuderunt, eorum ferociam, faſtum, inſolentiam depreſſerunt, vere fregerunt ſub THEMISTOCLE & CIMONE, Miltiadis Filio, in omni hiſtoria illuſtribus & famoſis, de quorum geſtis, & ipſius hujus temporis hiſtoria, inſpici poteſt Diodorus Siculus, ſub Xerxe & Artaxerxe Longimano. Una vox Hiſtoriarum: *Cimonem adegiſſe Perſas ad pacem faciendum, qua nulla Græcis ad hanc diem gloriæ, Perſis plus ignominiæ attulerit.* Retuſum eſt *Cornu ſecundum.* Id hic ſolum ſpectatur. *Tertium Cornu* eſt DARIUS CODOMANNUS, in quo potentia Perſica, Populis gravis, ut manifeſta evaſit in Artaxerxe Ocho, deſtruenda erat ab *Alexandro Macedone*, tam ſuo quam Græcorum nomine exercitum ducente, qui *tertius faber* hic in medium prodit. Voluit Deus ob illam ipſam inſolentiam, quam ſupra deſcripſi, Perſarum Imperium & verius dixero *dominatum*, non deprimi tantum, ſed deprimi & exſcindi. Fuit autem hic Faber ALEXANDER. *Faber* ille fuit à Deo fictus & productus ad hoc *Cornu* contundendum, & ſuperbiam atque inſolentiam Perſicam valide refutandam. Quotquot enim mortales Alexandri geſta conſiderarunt: obſervarunt, curſum vitæ ac victoriarum ejus pependiſſe à deſtinatione potentioris alicujus cauſſæ, (δαίμονος alicujus, cui res ei curæ fuerunt, ut in Literis ad Alexandrum ipſe Darius:) hoc eſt, ſummi Dei exercituum, qui illum ſub hoc emblemate *Hirci caprarum*, inſigni aliquo *cornu* inſtructi, quo Perſam Arietem bicornem ſibi oppoſitum feriret & proſterneret, Daniel (a) in Viſo exhibuerat. Id utique animadverſu dignum, licet ſatis vulgatum;

(a) Dan. VIII: 5, 6.

gatum; Darium Codomannum eodem anno ad Imperium perveniſſe, quo Regnum iniit Alexander: (a) inde ut pateret, Divinæ opus fuiſſe providentiæ, Principes maxime ſibi oppoſitos & æmulos adverſus ſe invicem armare atque inſtruere. Recentior hiſtoria eandem exhibet ſcenam in CAROLO quinto & Solimanno, ut videbis, ſi tanti fuerit, apud Jovium. (b)

§. X. Quartum *Cornu* ſunt mihi Syro-Macedonici Reges, Antiochus Epiphanes maxime, ejusque proximi ſucceſſores: *Fabrum* iis oppoſitum appello Duces *Aſſamonæos*. Hic nihil hæſito. Quin utrisque conveniant attributa, iis in Prophetia adſcripta, nemo hiſtoriæ non plane imperitus neget; nec adeo hic indiget ulla luce. Inter omnes hoſtes Populi Dei nemo illis gravior fuit, infeſtior, malevolentior, & in Gentem & Religionem pejore & iniquiore affectu quam Antiochus, qui Judæos *diſperſit* & *disjecit*, ut nemo eorum auſit *erigere caput*: nemo *malleum*, à Divino actum potentia, ſive *Fabrum* expertus eſt duriorem, quam fuerunt Maccabæi Fratres, Heröes, quos vere appellem Divinos: ubi ſub Antiocho proximos ejus ſucceſſores comprehendo. Hi invicem recta fuerunt oppoſiti, in mutuam intenti perniciem: Syri per Maccabæos fracti & retuſi ſunt. In ſequentibus, ſi Deus volet, Maccabæi uberem nobis præbebunt dicendi copiam.

(a) Uſſerii Annal. ad A. P. J. 4378. (b). In Solyman.

REVELATIO SECUNDA,

Viſum tertium.

Videt Propheta ex Cœleſti aula prodeuntem Angelum cum mandato metiendi Hieroſolymam; ad quam menſurationem inſpiciendam cum Angelus tanquam teſtis adeſſet, & ipſe quoque Angelus Interpres adeſſe cuperet, & ea de cauſſa à Propheta ſe ſeparaſſet: obvium habuit hunc Angelum *comitem Angeli menſurantis, eique in mandatis dat*, ut quam feſtinatiſſime redeat ad Prophetam, & ad ipſum deferat nuncium de conſilio Dei ædificandæ Hieroſolymæ, idque amplificet ſolabili oratione de Beneficiis divinæ Providentiæ, *& gratiæ huic ſtatui jungendis*, videlicet de Ampliatione & copia *Civitatis* extructæ, defenſione ejus, & Dei circa eam cura ac dilectione ſingulari, hoſtium Urbis Veterum punitione & interitu, Dei apud eam inhabitatione; adjunctione Gentium ad ejus communionem, aliisque hæc contingentibus. Inde vertitur ſermo tum ad Judæos Babylone reſides ſedibus ſuis excitandos, & Hieroſolymam invitandos: tum ad Tſionitas inde capturos argumentum lætitiæ, cum ſignaculo Reverentiæ ſummæ hoc nomine Deo debitæ.

CAPUT. II.

Verſ. 1. *Et ſuſtuli oculos meos, & vidi: & ecce vir, in cujus manu erat funis menſorius.*

Verſ.

Verſ. 2. *Et dixi quorſum tu vadis? & reſponſum tuli: ad metiendum Hieroſolymam; ut videam, quanta ejus ſit latitudo, & quanta ejus ſit longitudo?*

Verſ. 3. *Et ecce Angelus, qui mecum loquebatur, exibat, & Angelus alius ibat in occurſum ejus.*

Verſ 4. *Et dixit ipſi: curre, loquere ad Juvenem hunc, in hanc formam: vicatim habitabitur Hieroſolyma, præ multitudine hominum, & beſtiarum in medio ejus.*

Verſ. 5. *Et ego ero illi, ait Jehova, murus igneus circumquaque, & in gloriam ero in medio ejus.*

Verſ. 6. *Eja, Eja. fugite quæſo ex terra Aquilonis inquit Jehova, quia ſecundum quatuor climata coelorum vos diſperſi, ait Jehova.*

Verſ. 7. *Heus Tſion, eripe te, quæ habitas apud Babylonios.*

Argumentum, Scopus, & Analyſis hujus Prophetiæ.

§. I. QUod in prima Revelatione Deus promiſerat, ſe certo teſtimonio comprobaturum, *elegiſſe* ſe *Hieroſolymam*: ipſum illud hac Viſione declaratur. Angelus aliquis illuſtris comparet in medio inſtructus *fune menſorio*, & rogatus à Propheta, quorſum tenderet: ſive per ſe ipſum ſive per Angelum Interpretem, ei reſpondet; abire ſe, menſum Hieroſolymam ſecundum *longitudinem* & *latitudinem* ſuam; hoc tempore adhuc deſolatam, & in ruderibus ſuis deformem. Ex quo argumento cum inſtauratio ejus Urbis certo colligenda eſſet: Angelus Inter-

terpres Prophetæ, ab ipſo ſecedens, ad ipſum opus hujus dimenſionis inſpiciendum, obvium ſibi habuit Angelum alium, qui poſt inſpectum opus dimenſionis Angelo Interpreti occurrit, & in mandatis dat, ut propere Zachariam de eo, quod agebatur, informet, cum adjunctione luculentorum promiſſorum Divinæ Gratiæ, quæ Urbis inſtaurationem comitarentur. Futurum videlicet, ut Urbe in priſtinam formam reſtituta confertim habitetur; omni rerum copia & exuberantia gaudeat floreatque; quin extra mœnia ſua *proſerpat: Deo* utatur *protectore*, *hoſtes* ejus conſumpturo. Quare per interjectam apoſtrophen, qui Judæi hactenus Babylone moram trahebant, & ſedes ſuas fixerant, blande invitantur ad illam Urbem, cui judicium Dei imminebat, deſerendam, & cum Patria Urbe commutandam. Deum enim Populos illos, qui illos, diripuerant & oppreſſerant, ulturum, *gloriamque* hanc *daturum* eſſe Populo ſuo, ut paria antiquis hoſtibus reddat, & exemplum vindictæ in ipſis ſtatuat. Idem bonus Angelus veros Tſionitas excitat ad gaudium & jubila ob mutationem rerum in melius, & ipſa hæc beneficia ample expoſita. Quin quod inter omnia promiſſa Divina ſummum & excellentiſſimum erat; *Deum* videlicet *inter eos habitaturum eſſe*; & omnium terrarum Populos partem habituros in Dei communione; Deumque ratam facturum eſſe *electionem*, qua illos judæos ut ſortem à ſe poſſidendam deſtinaverat: id ipſum tanquam cumulum cæteris adjicit. Claudit excellentem Prophetiam Apoſtrophe, ad omne genus mortalium verſa, ut majeſtatem divinam hac ipſa de cauſſa ſilenter ac venerabunde adoret.

§. II. Eſt utique hæc Viſio tota *παραινετικὴ*, ſive, ut rectius loquar, *παραμυθικὴ*, tota quanta blanda argumenti

menti *conſolatorii.* Nihil hic lugubre, triſte, ominoſum. Nullæ nebulæ: lux mera, læta omnia & jucunda. Deus, in ſuos bonus, & bona voluntate, ut averteret Populum Judæum à conſpectu triſtium, quibus huc usque afflictus gravatusque erat, cum Templi ædificationem ſupponat; ſimul illis condicit inſtaurationem Hieroſolymæ, quæ piis valde cordi erat; & tanto plus ab iis deſiderabatur, quanto minor erat illius expectatio. Erant autem, quo tempore hoc Vaticinium edebatur, res Judæorum adhuc peſſimo ſtatu. Sed Deus hac fide ipſis data, non hoc tantum illis pollicetur bonum; ſed ſimul cumulum omnium beneficiorum Gratiæ, inſtauratæ Hieroſolymæ & Reipublicæ ſtatu, in Gentem juxta promiſſa conferendorum, adjicit, ea largitate & indulgentia, ut nihil hic deſideres. Ne quidem exhortationes, quæ aliis locis promiſſis mixtæ inſertæque ſunt, hic adſunt. Intelligis, Scopum Viſi & prædictionis huc tendere, ut Deus Populum ſuum (& in his pios & afflictos,) non tantum *conſolaretur*, ad quod inſtitutum eſt Verbum Propheticum: ſed conſolaretur *perfecte*, reſpectu malorum, quæ per tot annos perpeſſi fuerant.

§. III. Prophetia eſt bimembris. Eſt *Viſio nova*, & illius *Declaratio*.

Visio *Angeli* menſuraturi Hieroſolymam, vs. 1, 2.

Viſionis declaratio, ubi

α *Antecedens* colloquium, quo Angelus Interpres ab alio aliquo Angelo, quem ſibi obviam habuit, inſtruitur mandato de dicendis Prophetæ, ad Viſi interpretationem & ipſius ſolatium. vs. 3, 4.

β Promiſſa, per *Angelum* Interpretem Zachariæ & per ipſum Eccleſiæ data.

α Et quidem Beneficium principale, de *Extruenda* Hieroſolyma, vs. 4.
Ejusque Copia, defenſione & gloria, vs. 5.

β Interjecta *Apoſtrophe* ad Exules Babylonios, ut his argumentis moti ſe Hieroſolymam Babylone conferant, vs. 6, 7.

γ Beneficia *annexa*, principali adjuncta. Ut ſunt.

α Pœna in conſequens de Gentibus adverſariis ſumenda, earumque *deprædatio*, vs. 8, 9.

β Habitatio Dei glorioſa in Hieroſolymis, vs. 10.

γ Adjunctio Gentium ad Eccleſiæ communionem, vs. 11.

δ Poſſeſſio Judæorum à Deo ut ſortis quam Deus ſibi caram habebat, vs. 12.

ε Claudit Prophetiam Apoſtrophe directa ad omnem carnem, ut ex hoc opere Dei diſcant Divinam gloriam reverenter adorare, vs. 13.

Admonitio de *Anacriſi* hujus Prophetiæ.

Vs. I. Ἀνακρίσεως hic materia nulla eſt, niſi cum iis diſputare lubeat, qui, quæ hic de *Hieroſolyma* dicuntur, allegorice de Eccleſia dicta accipiunt: quorum ſententiam

tiam probabilem non habeo; ut proinde Hieronymum, Liranum, pluresque ſequaces hic ſuo loco relinquam. Nec explicat hic mentem ſuam diſerte ipſe Coccejus, ut merito videatur ad haſce partes inclinare. Certe cum clare conſtet, Hieroſolymam illo tempore adhuc fuiſſe deſolatam; & qua talem magnum fuiſſe objectum curæ Populi Judæi; contra vero, eam ſingulari Dei providentia fuiſſe reædificatam & inſtauratam cum rerum Judæorum incremento, ad communem Gentis lætitiam: mirum videatur, eſſe, qui oculos ab eo avertant, quod in propatulo eſt; & quod remotius eſt, ſectentur.

Vs. II. Nec tamen exputatu difficile eſt, quid potiſſimum in hanc mentem induxerit Interpretes. Magnifica & auguſta beneficia, quæ tam ample prædicantur de hac Hieroſolyma, ut nullatenus videantur ſecundum fidem hiſtoriæ ei convenire & ſuperiora eſſe qualicunque conditione Hieroſolymæ terreſtris, ſuſpenſos habuerunt Expoſitores hujus Vaticinii, ut contra id, quod manifeſta ratio ſuadebat, omnem Hieroſolymæ literalis reſpectum amiſerint. Judæi Interpretes jam Hieronymi tempore de ſtatu Urbis ſub Meſſia hæc intellexerunt; & Kimchius atque Abarbenel (& hic ubique faſtidiens ſtatum Reipublicæ reſtitutæ poſt Exilium & de ea exiliter ac contemptim ſentiens,) in hanc ſententiam aperte tranſierunt, comparantque hanc Urbis dimenſionem cum ea, cujus mentionem facit Ezechiel in poſtrema ſua Viſione, (a) & omnino eam referunt ad tempora Meſſiæ, qualia ipſi ſibi præformant. Et tamen hic habent, quod reponant ad Revelationem ſimilis argumenti de florentiſſimo ſtatu Hieroſolymæ terreſtris inſtauratæ, qualis deinceps, iiſdem

 fere

(a) Ezech. XLVIII: 30 ſqq.

fere lineis, pingitur. (a) Sed Kimchii ibidem eſt præjudicium idem; quem refellit Propheta, *dies præſentes* opponens proxime præteritis. (b)

§. III. Una tantum clavis eſt ad hanc prophetiam, pluresque argumenti ejusdem, adhibenda ſæpius à me inculcata, expoſita, & ex exemplis illuſtrata jam ante tot annos, quando ad *Templum Ezechielis* commentatus ſum: temporalia promiſſa hic in majus augentur reſpectu *ſpiritualium*, iis analogorum; ex quibus ſupplendum eſt quicquid in *temporalibus* deſideratur. Imagines rerum hic pinguntur ut *umbræ* in Poëticis, vivis corporibus majores; & duas res nobis repræſentandas exhibent *corporalem* & *ſpiritualem*: ſed *ſpiritualem*, ut *umbram*, *corporali* longe majorem; ſic tamen ut *corpus* ſive *res corporalis* prius contemplanda ſit; dein ſpiritualis ex umbra ſua vaſtiore ſupplenda. Experientia autem ſemper nos docebit, de *re* πνευματικῶς accepta nihil prædicari, cujus lineæ & colores in corporali ſymbolo plane deſint. Ignorantia hiſtoriæ facit, ut hujus generis multa prætereantur, & tractentur ab Interpretibus, acſi nullum haberent analogum.

Pars prima: VISIO IPSA, de *Metienda Hieroſolyma* Zachariæ præmonſtrata.

Cap. II: I. *Et ſuſtuli oculos meos, & vidi, & Ecce Vir, in Cujus manu erat* FUNIS MENSORIUS. II. *Et dixi, Quorſum tu vadis? Et reſponſum tuli; Ad* METIENDUM HIEROSOLYMAM; *ut videam. Quanta ejus ſit latitudo, & quanta ejus ſit longitudo.*] Scena exhibetur nova, novo apparatu, aliisque perſonis inſtructa. Eſt ea ſimplicis aſpectus; ſed ampliſſimi ſenſus. Emblema enim ipſum, quod videri poſſet tantum

nos

(a) Zach. VIII: 1, 2. ſqq. (b) vs 15.

nos ducere ad cogitandum de inſtauratione Hieroſolymæ, vel habitatorum ejus multitudine: tot amplificatur ornaturque promiſſis Bonorum Gratiæ, huic beneficio adjunctis, ut hoc Bonum longe ſe expandat latius quam in initio videbatur. Sed eſt nobis ordine procedendum. Hac pericopa Viſum ipſum complector, totius Prophetiæ hujus baſin, & fundamentum. Huic intelligendæ primo danda eſt opera: dein ad Concionem, ad Viſum explanandum ab Angelo additam, veniendum.

In Viſione ipſa ſymbolica nemo eſt qui hæreat, niſi ſibi ſponte difficultates nectat; & ſunt tamen quæ non cogitatæ ab aliis prætereuntur. Videt Propheta *Virum*, in cujus manu erat *funiculus menſorius*. Hieronymus per Virum hunc intelligit Filium Dei. Quod alii multi ſequuntur. Qui deinde, cur Filius Dei *Vir* dicatur, inquirentes, aſſurgunt ad myſterium ἐνσαρκώσεως, & quæ alia. Nos illa ſuis linquimus Auctoribus. *Vir* hic loci eſt quod vulgo dicitur, ſive latine bene vel male, *perſona*, qui hic *vir* dicitur, quia ut & cæteri *Angeli*, virili ſpecie viſitur & comparet: qui cum utique non præfigurarent τὴν ἐπιδημίαν Filii Dei; non putem, ejus rei in ſymbolicis apparitionibus Filii Dei haberi rationem. Nec eſt hic attributum characteriſticum ipſius Filii Dei. Etiamſi enim, ſi hoc negotium Filio Dei commiſſum eſſet in hoc Viſo; nihil abſurdi & à perſona ejus alieni commiſſum dixeris: nihil tamen auguſti involvit, quod ad perſonam ejus neceſſario referas, ut neque Viſum analogum de Templo & Urbe menſuratis. Imo idem actus metiendi Templi in *Apocalypſi* adſcribitur *Joanni*, qui mandatum ea de re accepit ab Angelo. (a) quare nihil hic temere definio. Tantum monendum, quod ſuo

 loco

(a) Apoc. XI. 1.

loco jam monitum; Joannem illo in caſu ſuſtinuiſſe perſonam fidelium Chriſti Jeſu miniſtrorum, qui Eccleſiam pollutam & ſcandalis obrutam emendare, ſive, quod dicitur, *reformare*, inſtituerent.

2. Per *funiculum menſuræ* cave hic intelligas inſtrumentum Architectorum fabrilium, *libellam* vel *perpendiculum*, ubi fabri ſecundum normam funis à plumbo penduli rectitudines ſuas metiuntur. *Funis* qui hic occurrit eſt *geometricus*, longior in partes ſingulas ſecundum menſuras cubitorum aut orgiarum aut plethrorum diviſus, qualem οἱ Ο΄. docte in hoc loco verterunt σχοινίον γεωμετρικὸν; Alexandrinis eo tempore, ut videtur, adhuc in uſu, quippe antiquis Ægyptiis receptus, quippe quibus maximæ menſuræ σχοῖνοι *ſchœni* dicuntur, ut eſt apud Herodotum, Ægypti terram ſecundum longitudinem & latitudinem deſcribentem. (a) Nec aliud apud Ezechielem (b) *calamus* & *funis* in manu Angeli, menſuri *Templum*, *Urbem*, & *terram ipſam*. Huic inſerviit *funiculus lineus*; cæteris *calamus*. Sed eſt vulgo notum, apud Hebræos *ſortes* hæreditatum agrariarum funibus menſoriis diviſas eſſe; unde illud Vatis Sacri: (c) *Funes ceciderunt mihi in amœnis; pulchra hæreditas obtigit mihi.*

Sed quid illud, quod Angelus interrogatus, *Quorſum iret*, ait, ſe *dimenſurum eſſe* Urbem Hieroſolymam, *ut videat, quæ* ſive *quanta ejus latitudo, & quanta longitudo?* Vereor, ut hæc verba paſſim recte accipiantur. Sic vulgo hæc accipiuntur, ut dicere velit Angelus, ſe metiendo Urbem ſecundum *longitudinem* & *latitudinem* hoc ſymbolo docere velle, Urbem ſecundum hanc menſuram reædificatum iri; ſed forte verius eſt, viſurum ſe, an *amplitudo* illa

(a) Herod. II. Cap. 6, 7. (b) Ezech. XL: 3. (c) Pſ. XVI: 6.

illa Urbis ſecundum priſtinum ſitum; ſive ſecundum *longitudinem & latitudinem priſtinam*, (ejus enim menſuræ ex ruderibus ſatis erant cognoſcibiles,) ſatis conveniens eſſet illi *capacitati*, quam Deus illi hoc tempore deſtinarat: Deum enim velle Hieroſolymam ampliſſime & populoſiſſime incoli. Veniſſe itaque ſe ſpectatum, an Urbs ſatis capax tantæ copiæ hominum ac animantium, quantam Deus illi conſilio ſuo deſtinarat. Hic ſenſus eſt auguſtior, & ſublimior. Utique cum inter ſe non pugnent: uterque admitti poteſt.

Pars altera, *Viſionis* DECLARATIO.

α. *Antecedens congreſſus* Angeli Interpretis cum *Angelo* alio, qui Angelum Interpretem inſtruit de dicendis Prophetæ ad interpretationem Viſi, & ſolatium Eccleſiæ.

Vs. III. *Et ecce*, ANGELUS, QUI MECUM LOQUEBATUR, EXIBAT; & ANGELUS IBAT IN OCCURSUM EJUS. Vs. IV. *Et dixit ipſi, Curre, loquere ad juvenem hunc, in hanc formam.*] De Viſi ſenſu & interpretamento nihil ad ſuperiora anticipare valui, cum Vates ipſe, ab Angelo Interprete edoctus, nos protinus in viam ducturus ſit: Tantum præmittit Propheta circumſtantiam ſive occaſionem, qua hæc revelatio ad ſe delata ſit. Eſt autem narratio ipſius vere intellectu facilis; ubique tamen Interpretes limpida etiam turbant, ſæpe ut præjudicium aliquod vel erroneam hypotheſin tueantur, quam licet ſe ſentiant ipſi luci obſtrepare, mordicus defendunt: Eſt verbi gratia, qui *Angelum Equitem* in myrteto, confundit cum *Angelo* Interprete Prophetæ; qui cum eundem Angelum videat hic repræſentare,

tare, ut menſorem & ad metiendum procedere, hic denuo cum eodem *Angelo* Interprete commiſcet, dum Propheta eos clare diſtinguit, & eos commiſceri non patitur. Eſtne præterea alicujus Judicii, videre, ſcenas *has* eſſe *diverſas*; & nihil inter ſe commune habere? ut Angelus Eques ex prima ſcena hic evocandus ſit in tertiam? Equidem fieri poteſt, ut in diverſis ſcenis eædem Perſonæ ſub aliis formis agant; atque adeo nihil abſurdi feceris, ſi *Angelum Menſorem* eandem perſonam eſſe dixeris, quam *Equitem* in ſcena prima: ſed ita ut ſimul *ſupponas*, ſcenas haſce diverſas *eſſe*, & diverſe *inſtructas*. Ergo ſic habebis: *Virum* ſive *Angelum*, qui *egrediebatur ad menſurandam Hieroſolymam*, (ſive ſit ipſe Filius Dei, ſive alius,) eſſe *primam perſonam*, quæ in hac ſcena comparet; de quo Vs. 1, .2 Alter eſt Interpres Prophetæ, de quo, *Et ecce! Angelus, qui mecum loquebatur, exibat.* Quorſum vero? Cenſeo, ſe ſeparaſſe à Propheta, ut inſpector eſſet hujus operis. Οἱ ό. Εἱστήκει *Angelus loquens mecum* STABAT. Error forte eſt voluntarius, (de Hebraicæ enim lectionis veritate nullus dubito,) quod Interpres Græcus *non* perceperit rationem, quomodo *Angelus collocutor*, & quam ob rem, Prophetam deſeruerit. Sed noſtra ignorantia non eſt idonea ratio mutandæ lectionis textus. יצא enim nihil commune habet cum עמד. Verbum יצא *exire* rectius hic vertitur per προέρχεσθαι quam per ἐξέρχεσθαι, ut יצא hic idem ſit quod προῆλθε, ut in Eccleſiaſticis, Οἱ κατηχούμενοι προέλθετε; modeſtius & honeſtius dicitur quam ἐξέλθετε. Id mihi probabile ſit: non ſeparaſſe enim ſe à Propheta ex mandato divino, quippe mox juſſum ad illum redire, fatis liquet. Sed dum in eo eſt, obviam habuit *Angelum* alium, (hæc *tertia* perſona eſt) qui illum jubet propere

ad

ad Zachariam redire, & ipſum de iis, quæ agebantur, edocere. Scena ſic fuit inſtituta, ut Hieroſolyma aliquanto longius à Propheta abſuerit; atque adeo Angelus Interpres, cum ipſe ad Urbem ſe conferret, ſibi in occurſu obvium habuerit hunc *Angelum alium*, qui illum juſſit ad Prophetam redire, & ſolabilem illum nuncium ei adferre, quem Propheta oratione ſua complectitur. Id hic pro certo habendum, Angelum hunc, qui occurrit Angelo Interpreti, non ipſum per ſe hæc retuliſſe ad Prophetam, ſed Angelum Interpretem inſtruxiſſe *mandato* hæc referendi ad Prophetam & cum ipſo *loquendi*, ut hactenus fecerat. Quæ enim cauſſa ſubeſſet, cur cum Deus opera hujus Angeli hactenus uſus fuiſſet in informando Propheta, & cum ipſe ab hoc munere ſibi mandato appelletur *Angelus locutor*; non ipſe potius ſed alius aliquis Angelus ei ſubſtitueretur, ut arcanum hujus Viſi Zachariæ revelaret. Quin in textu orationis id diſerte eſt quod dixi. Cum enim Angelus Interpres ſe à Propheta ſeparaſſet ob eam, quam conjeci, rationem: hic Angelus ei protinus occurrit, eique in mandatis, dat, ut ſe quam citiſſime rurſus Prophetæ adjungat, & ipſi explicet arcanum hujus ſymbolicæ parabolæ. Tantum quæri poteſt, quænam Perſona fuerit hic Angelus, ſive quam perſonam ſuſtinuerit: cujusque negotii cauſſa hic adfuerit; quidve ſibi hoc totum σχῆμα velit. Patet utique fuiſſe perſonam illuſtrem, qui ipſi Angelo Interpreti veluti mandata dedit, & præſcripſit normam dicendorum ad Prophetam; quemque Angelo Menſori adfuiſſe cenſeam, ut teſtem & inſpectorem proximum eorum quæ agebantur, & hoc quidem ſcopo, ut præveniendo Angelum Interpretem ipſi mandatum Aulæ cæleſtis exponeret; ut ſi Angelus menſor ſit

ipſi Filius Dei, ut plures exiſtimant: hic potius Angelus, qui ipſum Angelum Interpretem inſtruxit docuitque, ſuſtineat perſonam Spiritus S., Filio Dei proximi, cui ædificatio Hieroſolymæ ſummæ curæ fuit; cujusque imperio & inſtitutioni cæteri Angeli, & ipſe quoque Interpres Prophetæ, ſuberat. Cl. Cocceji non ſpernenda meditatio ex hoc ipſo Angelo Interprete fecit Spiritum S. ſed hæc ipſa ratio eam refellit. Eſt hic Angelus Angelo Interprete auctoritate ſuperior, & illuminatior, eumque ſua auctoritate regit; &, quod plus eſt, *loquitur* hac pericopa *in nomine Dei.* Quare qui Angelum Menſorem faciunt ipſum Filium Dei, graviſſimam hic haberent rationem cogitandi de Spiritu S. & fateor, me in hanc ſententiam promum eſſe. Nec tamen in tanta incertitudine id fidenter definire auſim. Σχῆμα autem totum concinnatum eſt, ad rei ſive promiſſi magnitudinem, & ad momentum ſolatii, quod ex Emblemate hoc percipi poſſet, declarandum. Dixerat Deus in primo Viſo *Capitis primi* inter promiſſa Gratiæ, ſe magno affectum eſſe zelo erga Hieroſolymam vs. 14. & *libellam* ſuper eam extendendam eſſe, vs. 16. atque *Hieroſolymam* adhuc *electurum*, vs. 17. Id vero, quo ſtatu tum res erant, videbatur magnum quid, paradoxum, & ſupra expectationem. Patet enim ex Libro Nehemiæ, illo tempore Urbem olim à Deo electam dilectamque totam vaſtam adhuc fuiſſe & ruderibus deformem; & ſi ædificium Templi hoc tempore inſtaurandum videri poſſet pro ſumma Dei bonitate & providentia; longe abeſſe ut ſperari poſſet inſtauratio & frequens inhabitatio Hieroſolymæ, tum quod tota inſtar ruderati agri, disjectis deſtructisque Palatiis, & deſerti ſentibus & vepribus vaſtitiem præferentis, absque forma & cultu eſſet; quomodo

à

à Jeſaïa pingitur hic Urbis deſolatæ ſtatus; (a) tum quod incolis paſſim per agros diſperſis vacua & deſtituta; tum quod Populo reducum ad tantum opus deeſſet alacritas, & hoſtes Urbi inſidiantes deſidiam Populi meticuloſi foverent; ut ſi zelo inflammatus Dux Nehemias non fuiſſet à Deo excitatus ad hoc negotium conficiendum, & ad id gratia, qua valebat apud Regem Perſam, & auctoritate in ejus aula adjutus, aliis auctor & incentor extitiſſet in tanto opere incipiendo & conſummando: ſic comparata viderentur omnia, ut nihil ejus expectandum eſſet. Ut proinde tam ex Nehemiæ hiſtoria, quam ex hac ipſa Prophetia, collata cum Cap. VIII. ſqq. certo colligamus, inſtaurationem Urbis Hieroſolymæ pro ſtatu rerum illius temporis fuiſſe opus magnum, & beneficium inſigne, quo Deus Populum bearet; quippe à quo totius Reipublicæ decus, ſplendor, & ſecuritas quoque dependeret. Ergo huc nos ducit figura. Cum Angelus à Propheta diſcederet, obviam ipſi celere gradu procedit hic Angelus, eumque jubet quanto ocius ad Prophetam redire, & tanti boni copiam ipſi impertiri: eſſe enim bonum, & ſolatium inde redundans, magnum, unde ingens apud turbam piorum ſuſcitaretur gaudium.

Mandatum ita expreſſum eſt, *Curre, loquere* רץ דבר אל הנער הלז *ad* PUERUM HUNC. Quid id ſit, non intellexerunt, qui hic *ætatem Zachariæ* putarunt; vel ſibi perſuaſerunt, fuiſſe illum alterius Prophetæ Miniſtrum, & quæ alia. Ubi ſæpe miror, homines tam parum capaces eſſe ſanæ rationis, ut poſtquam ab aliis jam patefactum eſt, quid verius ſit, non diſcernant. Hieronymus ſane & vere ſcripſit, *ad com-*

(a) Jeſ. XXXII: 13, 14.

comparationem dignitatis Angelicæ omnem humanam naturam pueritiam vocari, quia non Angeli in nos, ſed nos in Angelos proficimus. Angelus ſic appellat Zachariam reſpectu majoris *excellentiæ*, ſive ſtatum lucis & gloriæ, ſive ſapientiæ, cognitionis, peritiæ, & perfectionis, reſpicias: cujus dignitatis & excellentiæ reſpectu ipſe hominem brevis ævi, multarum rerum imperitum, cœleſtium maxime ignarum, non tam contemptus quam differentiæ cauſſa, appellat נער *puerum, juvenem*, (νεανίσκον). & liceat dicere, *rudem*, multa docendum; quo eodem ſenſu Ezechiel paſſim בן אדם *filius hominis* appellatur. In homine eſt quid *vile*, & ab excellentia & gloria Angelica diſtinctum; ob quam rationem ipſe Apoſtolus Joannem Angelum Doctorem, qui ſibi aderat, voluit *adorare*. (a) Negavit Angelus officium, ſed neutiquam differitatem conditionis; & eſt hic etiam Apoſtolorum & Martyrum ut συνδούλων Ἰησοῦ Χριστοῦ reſpectus peculiaris.

β PROMISSA GRATIÆ, Zachariæ per Angelum Interpretem Eccleſiæ data; & quidem.

α Beneficium Principale, de Extruenda & amplificanda Hieroſolyma:

Vs. 4. VICATIM *habitabitur Hieroſolyma præ multitudine hominum & beſtiarum in medio ejus.*] Interpretes non ſupponunt omne, quod in textu eſt, Angelum Funiculo menſorio inſtructum Hieroſolymam vere dimenſum eſſe: etiamſi enim id ipſi propoſitum fuiſſe videatur: id tamen vere factum non fuiſſe, quia *ambitus ejus futurus erat interminatus*. Sic Ligtfootus. Sed abſque ratione. Docet tantum Prophetia, futurum eſſe, ut extra menſuras veteres excur-

(a) Apoc. XIX: 10.

curreret. Abarbenel, hic ſupponens, hic neutiquam agi de Hieroſolyma Templi Secundi, ſed tertii, quam opinantur ſub Meſſia reædificandam & populoſiſſime inhabitandam eſſe: id hoc ſymbolo innui vult; doceri Zachariam ab Angelo, Hieroſolymam illam longe frequentius cultum iri quam ſecundam, & ſecunda illa multo fere majorem, quod ambitus primorum murorum incolas amplius non caperent. Id verum eſt, menſuras Hieroſolymæ hujus non definiri; attamen ſupponi, veterem ambitum menſuratum eſſe ab Angelo; verum ſimul docere voluiſſe Angelum, Hieroſolymam tam populoſe habitandam eſſe, ut veteris Muri ambitus incolas ejus complecti nequeat, atque adeo neceſſe habituri eſſent incolæ extra mœnia excurrere ſuis cauſis aut domiciliis, ut mœnia vix poſſint inter eos qui intus & qui foris habitant diſcernere: quali forma Romam Veterem florentem usque ad Tempora Gothica nobis proponunt Scriptores; & hujus temporis populoſam Urbem Cairum, de cujus mœnibus, licet iis neutiquam careat, imperitiores dubitant, Lacedæmon, olim absque muris habitata, poterit eſſe exemplo; quam Thucydides (a) exerte ait οἰκισθεῖσαν κατὰ κώμας, τῷ παλαιῷ τῆς Ἑλλάδος τρόπῳ. VICATIM *habitatam, Vetere Græciæ more.* Livius: (b) *Samnites ea tempeſtate in montibus* VICATIM *habitantes.* Rurſus de Nola: (c) *Omnia ædificia circumjecta muris incendit.* Nicetas Choniates in Hiſtoria Manuelis; (d) Sultanum quidem *vaſtaſſe* ait *Laodiceam Phrygiæ*, οὐκέτι οὖσαν συνοικουμένην, ὡς νῦν ἑώραται, οὐδ' ἐνερκέσι φραγνυμένην τείχει, κατὰ δὲ κώμας ἐκκεχυμένην περὶ τὰς ὑπωρείας τῶν ἐκεῖσε βουνῶν. *quæ tum quidem non ita ut nunc cernitur habitabatur, & nunc cer-*

(a) *Hiſt.* Lib. I. p. 4. (b) *Hiſt.* Lib. IX. Cap. XIII. (c) Cap. XXVIII. (d) Lib. III p. 136.

cernitur muris bene ſepta munitaque erat, ſed INSTAR PAGORUM (*vicatim*) *ad radices collium ſparſim extructa erat.* Sed nihil huic loco congruentius, quam quod de ſpecie Romæ Veteris habet Dionyſius Halicarnaſſenſis, de ſuburbiis Romæ poſt Tullii Regis tempora differens: (a) *Quod ſi vero ad hæc quis reſpiciens, Romæ exquirere magnitudinem velit: longe fallatur neceſſe eſt, nec certo dignoſcere queat, quousque ſe Urbs extendat, & ubi Urbs eſſe deſinat.* οὕτω συνύφανται τῷ ἄστει ἡ χώρα καὶ εἰς ἄπειρον ἐκμηκυνομένης πόλεως ὑπόληψιν τοῖς θεωμένοις παρέχεται· *ita* URBANIS ÆDIFICIIS SUBURBANA PERPETUO NEXU COHÆRENT, *in infinitam longitudinem porrectæ urbis exiſtimationem ſpectantibus præbentia.* κ. τ. λ. (b) Photius in Cononis & Apollodori excerptis de Caribus antiquis Mileti incolis Ἔθνος μέγα κωμηδὸν οἰκοῦντες. *magnus Populus*, VICATIM *habitans.* Mox: Λαὸς σποράδην οἰκῶν. Quod verò hæc copia non tantum reſtringatur ad *homines*, ſed quoque ad בהמות *beſtias*; vel ad *jumenta* referri poteſt, quæ hominibus in majoribus urbibus neceſſario uſui ſunt, magnatibus præſertim quique in dignitate ſunt; veluti equorum, mulorum, aſinorum, quorum frequens fuit mercatus & paratus: vel ipſarum quoque animantium paſcuarum, quarum in magnis Urbibus, commoditatis ſecuritatisque cauſſâ, ne tempore obſidionis improviſæ, neceſſaria annona plebi deeſſet, alendarum relictum erat agri paſcui, vel etiam ſativi, ſpatium. Sic certe capio quod de Ninive dicitur; (c) non tantum eſſe in ea *plus quam duodecim millia infantium verum etiam* בהמה רבה *multum admodum* PECUDIS. Quæris, cujus generis intelligatur *pecus*, ſive *beſtiæ.* Intelligis ex Edicto Regio: (d) *Homo & beſtiæ, bo-*

(a) Hiſt. Lib. IV: p. 219. (b) Photius Bibl p. 23. (c) Jon. IV: 11.
(d) Cap. III: 7.

boves & oves, ne quicquam sibi degustent; neque poſcant, neque potentur. Adſcribunt ei veteres, ut Diodorus; CCCCLXXX. ſtadia: quæ magnitudo Urbis cenſeri poſſet immenſa, ſi tota cenſeretur habitata. Preſſius de Babylone Curtius: *At ne totam quidem Urbem tectis occupaverunt; per XC ſtadia habitatur; nec omnia contigua ſunt: credo, quia tutius viſum eſt, pluribus locis ſpargi.* CÆTERA SERUNT COLUNTQUE, UT, *ſi externa vis ingruat, obſeſſis alimenta ex ipſius ſolo ſubminiſtrentur.* Sed hæc Curtius de Urbe, qualis erat occupata ab Alexandro: Nebucadnezaris florentis tempore, & quo tempore à Cyro expugnata fuit, Urbem frequentius cultam habitatamque fuiſſe, abunde liquet. Quod vero ad Hieroſolymam attinet: ultimis temporibus arcte & preſſe habitatam; malim, ad jumenta potius referri, quæ hic dicuntur; quam ad pecudes, in uſum incolarum nutritas.

Implementum Prophetiæ.

§. I. Prophetiæ hujus ſenſus duo involvit fata. Primo quidem inſtaurationem Urbis Hieroſolymæ, huc usque deſolatæ & ruderibus ſuis deformis: ſecundo, inexpectatam hujus Urbis amplificationem, qua extra muros, & mœnia ſua proſerperet, & novam veluti aliamque Urbem pareret & extra ſe produceret.

§. II. Quod ad priorem partem hujus prædictionis: in oſtendendo illius implemento nullis hic memoriis opus habemus niſi Libro Hiſtorico Nehemiæ; qui totus in hunc finem Eccleſiæ relictus eſt, ut eam doceret, Virum illum à Deo ad hoc opus deſtinatum fuiſſe inter Perſicæ Aulæ Magnates, Regi magno à Poculis Nehemiam, Hachaliæ F. Tſidhiæ nepotem, (b) Dei reverentem & Patriæ

(a) Lib. V. Cap. I p. 27. (b) Neh. I: 1. X: 1.

triæ Religionis amantiſſimum, qui à Deo incitatus & à Spiritu ejus incenſus incredibili Zelo, poſt impetratam ab Artaxerxe (quem ex ipſo hoc Libro variis argumentis conſtat eſſe Longimanum,) veniam, inſtructus mandatis Regiis, Suſis ſuſcepto itinere, ſe contulit Hieroſolymam anno ejus Regis viceſimo, reverſurus eodem anno triceſimo ſecundo. (a) ut tamen ex ipſa hiſtoria ſatis liqueat, non exiguam hujus intervalli moram illum Hieroſolymæ egiſſe, in Palatio ſuis commodis extructo ſatis ſplendide inſtar Satrapæ Regii vixiſſe, & menſa uſum publica decus ſuſtinuiſſe. Is vero cum in ordinanda Republica & conſtituendis Sacris ſapientiſſimi ac doctiſſimi Ezræ conſilio & opera uſus ſit, & Eccleſiam, cujus adhucdum erat deploranda facies, cum ipſo ſive formaverit, ſive reformaverit: quæ ad nos directe nunc non ſpectant: duo egit, quæ ad rem præſentem pertinent. Primo quidem quod reparandis muris, portis, domibus publicis palatiis & nobilioribus ædificiis, quæ omnia, certe pleraque, hactenus vaſtitatem, ab hoſte inductam, præ ſe ferebant & veluti lugebant, operam dederit *ſummam*, vigilantiaque ſua, auctoritate, zelo, tum quoque exemplo ſuo, manu ad opus admota, renitentibus adverſariis, deſidi & meticuloſæ turbæ exulum hunc fecerit animum, ut tantum opus aggreſſus ſit, perfecerit & conſummaverit, & initiaverit quoque, choris per Muros actis, contra & ſupra omnium expectationem. Deinde, quod, cum Urbi deeſſent incolæ, ex Proceribus & plebe per ſortitionem, decimus quisque ſe obligaret ad ſedem figendam Hieroſolymis; dum reliquis oppidis novenæ relinquerentur partes. Citra quos Hiſtoria laudat, qui ſua ſponte

(a) Cap. XI: 1.

te & arbitrio incolatum Hieroſolymæ, (hei mihi, ſancta & glorioſa civitas, quæ ſubiiſti fata!) profitebantur. Et hæc quidem in illa hiſtoria lucuienter perſcripta ſunt, magno Eccleſiæ bono. Patet utique ex ea, rem fuiſſe negotii maximi, ſi quis miſerabilem Judæorum reducum conditionem; puſillanimitatem eorum, (quales ſunt animi afflictorum!) & inexpectatum auxilium, quod Divina providentia iis per Nehemiam ſubminiſtravit, rite conſideret. Referebant ad Nehemiam populares: (a) *Reliquiæ, ex captivitate reliquæ factæ, in ea provincia ſunt in afflictione magna, & in opprobrio, & diſruptus eſt murus Hieroſolymorum; & portæ ejus ſuccenſæ igne.* Sed opus totum, cujus refectis muris portisque jacta erant fundamenta, longius requiſivit ſpatium, antequam Urbs ſecundum aliquam priſtini decoris ſpeciem, ex ruderibus & ruinis reſurgeret. Prophetia Danielis, (b) huic Eventui dat hebdomadas *ſeptem.* h. e. annos XLIX.

§. III. Hæc hactenus liquida. Plus ſupereſt materiæ in altera parte, quæ eſt Urbis amplificatio. Hiſtorici & Prophetæ ac Poëtæ ſacri de Hieroſolyma Urbe, à quo ſub Davide, ab eodem expugnata ornataque, cœpit eſſe metropolis Regni, inprimis poſt ſplendidiſſimum Templum in ea ſtructum à Salomone, paſſim ad usque invidiam magnifice loquuntur: ſive reſpectu ad ſtatum ejus temporalem; ſive ratione Religionis, cujus ipſa centrum erat, à Deo ipſo electum. Inter alias laudationes extant Cantica, XLVIII. LXXXVII. CXXXII. Jer. XVII: 12. præter *Threnos* Jeremiæ, & myſtica Jeſaïæ. Naſcitur hæc legenti idea auguſtæ florentiſſimæque Urbis, fere acſi *Babylonis* alicujus vel Antiochiæ typum tibi ante oculos ſiſteres.

(a) Cap. I: 3. (b) Dan. IX: 23.

§. I[illegible] nos quidem de Hieroſolyma, quo tempore maxim[illegible]rit, nihil humile ſentimus, aut dicere velimus. [illegible]d dubi[illegible]bium illius tractus maxima, & Religi[illegible]ctu, [illegible]ima. Longe tamen abeſt, ut cum a[illegible] Gent[illegible]tiquarum comparari queat. An cu[illegible] etian[illegible] ſpectabili, Lydiæ Metropoli, R[illegible]e? E[illegible] Herodotum inſigne teſtimonium [illegible] Cady[illegible] plane perſuaſus ſum eſſe Hieroſoly[illegible] illius [illegible]m inj[illegible] Primum quidem, ubi [illegible]tis & victoria lamenta[illegible] N[illegible] *[illegible]æltum* CA-DYTI magna[illegible] Μέλω δὲ τὴν μάχην, Κάδ[illegible] Deinde [illegible]s in hiſto[illegible] [illegible]qua per [illegible]ſtimam it[illegible] *Nam a* [illegible] *ad mon*[illegible] *vo-* [illegible] *ab Urbe* [illegible]

[illegible]

(licet aliis qualicunque de ratione, minime probabili, contra nitentibus) docti Viri, inter quos feliciter hac de re diſputavit Cl. Prideauxius, (a) in opere Hiſtorico, quo Sacram & Exoticam inter ſe comparavit, in vernaculam noſtram transfuſo. Perinde ac Ἰήνυσον eſſe *Gazam*, licet hic etiam alia aliqui ſectati ſint, alibi operam dedi, ut clare evincerem. (b) Atqui videatur forte alicui id quod de *Cadyti* obſervavi: hinc remotius eſſe, cum Herodotus de *Urbe* agat, qualis fuit ante Exilium Babylonicum. Ita eſt; ſed ſatis prodit Herodotus, Urbem à ſe cognitam ſibique viſam eſſe, ut ex Ægyptiacis ejus liquet, illum fuiſſe in Palæſtina: jam vero, æquum eſt ſtatuere, fuiſſe ſub Artaxerxe Longimano, à cujus viceſimo anno inſtaurari cœpit Hieroſolyma à Nehemia. Ut ſane inde etiam liqueat, opus hoc Nehemiæ feliciter proceſſiſſe. De Urbe enim ut quæ deſolata refectaque fuerit, nihil ille. Sed qui Urbis meminerunt, qualis fuit poſt exilium, jam à Nehemia reædificata: honeſtiſſime de ea loquuntur tanquam de magna & populoſa Urbe, ut Agatharchides Cnidius, qui πόλιν ὀχυρὰν καὶ μεγάλην *magnam munitamque Urbem* vocat *Hieroſolyma*; agens de Succeſſoribus Alexandri, & quidem de Ptolemæo Lagi, verbis à Joſepho exſignatis. (c) Alibi (d) eadem deſcribens verba, habet ὀχυρωτάτην πασῶν *omnium munitiſſimam*. Appianus τὴν μεγίστην πόλιν *maximam Urbem* appellat in *Syriacis*. (e) Sed generalia hæc nobis non ſufficiunt. Quid enim magnum vel parcum ſit, à cujusque æſtimatione & judicio pendet. Quare ſectanda ſunt ſpecialiora, quæ apta ſunt imaginem veram Urbis oculis noſtris ſubjicere.

§. V. Hecatæus Abderites, σύγχρονος Alexandro, multum

(a) Lib. I. p. 87. (b) *Obſ. Sacr.* Lib. V. Cap. XV. §. VI. (c) *Antiq.* Lib. XII. Cap. I. (d) Contra App. I. p. 105. (e) p. 191.

tum laudatus Joſepho, quod de Judæis diſtinctius & verius ſcribat quam alii, id habet quod maxime ad nos pertinet. (a) *Et quia* (ſic Hecatæum præfatus loquentem introducit,) *civitatem ipſam Hieroſolymorum*, καλλίστην τε καὶ μεγίστην *ornatiſſimam & maximam, ab antiquo inhabitamus, & de copia incolarum, nec non de ſtructura Templi, idem hunc in modum diſſerit. Sunt enim Judæorum aliæ quidem multæ munitiones per provinciam, & vici: una vero eſt Urbs* ὀχυρὰ, *munita*, πεντήκοντα μάλιστα σταδίων τὴν περίμετρον, ἣν οἰκοῦσιν ἀνθρώπων περὶ δώδεκα μυριάδες. καλοῦσι δ' αὐτὴν Ἱεροσόλυμα *circuitu quidem quinquaginta ſtadiorum, quam continent hominum circiter centum & viginti millia.* Interpres: *Centum & quinquaginta millia.* Contra lectionem Græcam. Hæc ſatis inter ſe conſona. Eſt enim hic numerus incolarum ſpectabilis, & convenit Urbi tantæ magnitudinis. Quid tamen illud ad Romam aut Babylonem? Sed Joſephus ipſe, res ſuæ Gentis non ſolitus minores facere, Urbem minore peribolo includit; & quidem Urbem, quo tempore ampliata jam ab Agrippa, videri debuit circa ultima Reipublicæ tempora omnis capax amplitudinis, ad quam unquam aſſurrexit, *Totum*, ait, (b) *Ambitum Urbis*, poſtquam de ea ſingulatim & per partes egerat, accuratius & preſſius quam alibi *fuiſſe triginta trium ſtadiorum*, τῆς πόλεως δὲ ὁ πᾶς κύκλος σταδίων ἦν τριάκοντα τριῶν. Docet autem idem Hiſtoricus, cum Titus ad Antoniam vehementer laboraret, in mentem ei veniſſe, ut Urbem totam, quanta erat, *circumdaret vallo*, περιτειχίζειν ὅλην τὴν πόλιν, ut omni effugio oppidanorum viam præcluderet; hoc ipſo implementum præſtans diſertæ Prophetiæ Domini Jeſu apud Lucam. (c) Quod ita effectum eſſe oſten-

(a) Contra *Apion.* Lib. I p. 1049. (b) *Bell. Jud.* Lib VI. Cap. VI. (c) Luc. XIX: 44.

ſtendit, ut vallum cum turribus totam Urbem complexum ſit, nulla illius parte præterita, idque ut demonſtret lectori, totum Urbis peribolum per partes percenſet; ut hic nullum ſupereſſe poſſit dubium, deſcribit autem ſpatium totum XXXIX. ſtadiis. (a) Quod accurate convenit κατὰ συμμετρίαν ambitui Urbis, quem finiverat XXXIII. ſtadiis. Unde patet, Hecatæum vel πραϊτικῶς *liberaliter* & honoris quoque cauſſa magnitudini Urbis dediſſe ſtadia *quinquaginta*; vel ſtadia minora ſumpſiſſe, quam vulgo in calculo uſurpari ſolent. Poſterius probabile non eſt. Etiamſi enim Docti Viri conati ſint demonſtrare, ſtadiorum non videri eundem eſſe uſum aut modulum apud Græcos: de quo ſupervacaneum mihi hoc tempore diſputare aut ab aliis diſputata relegere: differentia illa, vel non eſt certa; nec ſane tanta, ut in comparatione harum magnitudinum uſum habere poſſit. Stadium verum ab omnibus receptum exhibet paſſus CXXV. Octo ſtadia dant Milliare Romanum; quorum Miliarium tria dant Miliare unius horæ, quatuor Miliare Germanicum. Ita quidem ut triginta tria ſtadia aliquanto plus largiantur quam Miliare Germanicum. Eſt autem circuitus Urbis ejusmodi, ſi mœnia preſſe circumeat eaque terminet, ſatis ſpectabilis & magnæ capacitatis, ſi confertim habitetur; poteſtque ejus magnitudinis Urbs comparari cum celebribus in Belgio, Groninga, Harlemo, Roterodamo; quod hic rudi æſtimatione dictum. Accedit, Urbem hanc collibus ſive montibus duobus, aut tribus, ſuperſtructam longe plura ædificia cepiſſe, quam ſi æquali ſuperficie habitata eſſet. Ut adeo neutiquam mirer, quod Hiſtoricus Romanus: (b) *Multitudinem obſeſſorum omnis ætatis, virilis &*

 mulie-

(a) Lib. VI. Cap. XIII. (b) Tacit. Hiſt. Lib. V. Cap. XIII.

muliebris ſexus, ſexcenta millia fuiſſe accepimus. Nec tamen mens Hiſtorici, ut opinor, hos ſtatos fuiſſe Hieroſolymorum incolas; ſed hoc numero cenſet *magnam colluvjem,* quæ ex cæteris Urbibus captis eò confluxerat; de quo in præcedentibus mentionem fecerat. (a) Addo plures, qui Feſti cauſſa Religionis patriæ ſtudioſe illuc acceſſerant. Nec tamen quicquam in hoc loco mutandum cenſeo. Eſt enim hic numerus per ſe invidendus, & reſpectu capacitatis Urbis extendi poſſe non videtur. Si enim centum millia advenarum huic multitudini ſubtrahas: cui maximæ *Urbi Europæ, velut Londino aut Lutetiæ, hoc* tempore quingenta millia incolarum æſtimatione bonæ fidei tribuas? Quæ vero Joſephus, hunc numerum immenſum augens, obſidionis toto intervallo undecies centena millia periiſſe ſcribit: ſuo loco plane relinquo. Eſt id *παράδοξον* & *παράλογον*, ſapitque *ὑπερβολήν*.

§. VI. In ſummam contraho, quæ mihi poſt vage animadverſa, preſſius monenda ſunt ad implementum Prophetiæ. Et primo, Urbem Hieroſolymam per Nehemiam denuo excitatam, eadem fuiſſe amplitudine, qua Veterem à Chaldæis deſtructam, ex hiſtoria illius Libri clare patet, nemine, quod ſciam, negante. Muri Urbis omni ambitu recenſentur, & ut in iis reficiendis cuique ſuæ operæ diſtributæ ſint, liquido ediſſeritur, per totam hiſtoriam. (b) Ut, ſi ante Urbs habita magna & maxima fuerit, ad eandem laudem nunc pariter aſſurrexerit. Equidem poterat majora incrementa facere poſt tempora Alexandri; ſed Lagidárum & Seleucidarum nata & conſtabilita Regna plurimum & variis modis obſtiterunt incremento Civitatis: ſive quod bella inter ſucceſſores Alexandri

(a) Cap. XII. (b) Neh. II, III. VII. XII.

dri geſta multos mortales abſumpſerint & diſſiparint; ſive quod hi Reges magnorum in ſua ditione oppidorum conditores, iis magno ſtudio incolas quæſiverint, atque adeo è Judæa & Samaria in Ægyptum & Syriam luculentis conditionibus pellexerint, quotquot habere poterant hujus generis homines, cæteroquin iis propter fidem erga Reges & utilitatem mercaturæ valde commendatos; ut exemplo ſunt Alexandria & Antiochia; ſive quod Judæi in Canaanæa expoſiti injuriis, & exactionibus, quæ à potentibus hiſce Populis, ſi quando inter ſe bello committerentur, victis aut victoribus, ſibi inferebantur, lubenter ſedes ſuas cum tutioribus illorum Regnorum commutarent, in quibus res ſuas facilius promovere & utilitatibus ſuis ſtudere poterant; ſive denique quod Principes illi non abſtinerent vi in illis alio transferendis; ut exemplum in Ptolemæo Lagi. (a) Ut ſi apud multos non obſtitiſſet amor & res Religionis, admirandum ſit, Hieroſolymam totam non fuiſſe exhauſtam. Et tamen vel ſic Hieroſolyma ſatis populoſa manſit, infelicibus hiſce temporibus non deſtituta incolis. Cujus rei argumentum eſt in Maccabaicis, utique ex traditione Jaſonis, narrantis planis verbis ſecundum epitomen; Antiochum Epiphanem, cum jam victor Ægyptum teneret A. CXLIII, perſuaſum Judæos ab ipſo velle deficere, Hieroſolymam iratum ingreſſum magnam perpetraſſe cædem & direptionem, ut deſiderata ſint LXXX. *millia hominum*, ſive gladio peremptorum, ſive abactorum in ſervitutem. (b) Qui numerus incolarum, (ſupponas enim, ut fit, majorem partem evaſiſſe.) in ampliſſima etiam Urbe ſatis cenſeri debet ſpectabilis. Adde his ſtragem & populationem Apollonii, tributorum im-

(a) Joſeph. *Antiq.* Lib. XII. Cap. I. (b) 2 Macc. V: 14.

impii Regis Præfecti, biennio poſt factam, quam Joſephus *decem millibus* æſtimat. (a)

§. VII. Sed ego Literale implementum hujus Prophetæ non quæro ante tempora Maccabaica. Quæ Moſes & Prophetæ de multiplicatione incredibili Gentis & reipublicæ amplificatione poſt Reditum ex Exilio atque incremento dixerunt: pleraque implementum conſequuta ſunt hoc tempore, poſt Simonem Ethnarcham, Judæ Maccabæi, & Jonathæ fratrem, ſub quo vindicati ſunt in Libertatem, quod tempus Zacharias noſter ubique in oculis habet; eritque nobis, ſi Deo placet, in ſequentibus varia de eo agendi occaſio. Illo tempore Judæa tota repleri incolis, & ubique coli cœpit; Idumæi, qui auſtralem partem Deſerto proximam inhabitabant, ſuſcepta Religione Gentis, iis ſubjici cœperunt; pariter Samaritæ quod ad ſtatum civilem, Gazimitico Templo deſtructo; Paleſtinæ Urbes maritimæ ſub ipſorum ditionem redigi; Syriæ quoque & Syrophœniciæ, Judææ confines, & ſubinde ipſa quoque Damaſcus; denique omnia pro re humana florere, & cum libertate, quiete, proſperitate, opibus & divitiis, aliisque externis Divinæ Providentiæ beneficiis gaudere. Hieroſolymam vero hoc ipſo tempore in ſortem veniſſe hujus felicitatis nemo eſt qui dubitet, etiamſi de eo hiſtoria non teſtaretur. Sed docet Joſephus, in hiſtoria Herodis Agrippæ, Civitatem hanc, cum proſerpſiſſet extra mœnia, tum temporis à magnifico illo & liberali Principe, ampliatam auctamque fuiſſe parte nova, dicta Bezetha; ut, cum huc usque duobus conſtitiſſet collibus, Tſione & Acra, nunc tertio ditior majorque evaſerit. Hiſtoricus de Muro tertio loquens: (b) *Hoc muro eam partem civitatis quam*

(a) Joſeph. *Antiq.* Lib. XII. Cap. VII. (b) *Bel. Jud.* Lib. VI. Cap. VI.

quam ipſe addiderat Agrippa, cinxerat, quæ tota erat nuda. Πλήθει γὰρ ὑπερχεομένη, κατὰ μικρὸν ἐξεῖρπε τῶν περιβόλων, καὶ τὰ ἱεροῦ τὰ πρὸς ἄρκτια πρὸς τῷ λόφῳ συμπολίζοντες, ἐπ' οὐκ ὀλίγον προῆλθον, καὶ τέταρτον περιοικηθῆναι λόφον, ὃς καλεῖται βεζεθα. *Exuberans enim multitudine*, PAULATIM EXTRA MÆNIA SERPEBAT, *Templique Septentrionali regioni colli proxima civitati adjuncta non parum proceſſerat*, (obſerva verba, cæteris quæ hoc loco & alibi hypotheſi conſentanea de diſpoſitione Civitatis ſcripſit Joſephus, quippe ex quibus non minus liquet, quam ubi Sol in ſudo eſt; Tſionem occupaſſe partem Urbis Auſtralem; Acram & ſuburbia ei conjuncta Septentrionalem; de quo Docti aliqui noſtra ætate otioſe diſputarunt:) *adeo ut quartus incoleretur collis, qui appellatur* BEZETHA, *ſitus quidem ex adverſo Antoniæ*, (atqui Antonia erat ad Angulum Septentrionalem & Occidentalem Templi:) *foſſis autem altiſſimis ſeparatus. .... Nominata autem eſt pars adjuncta civitati*, BEZETHA, *voce indigena quæ Græce redditur*, Καινὴ πόλις, *Civitas nova.* Ita eſt. *Bezetha* eſt בית חדתא Vox autem בית de omni loco, cuique rei deſtinato, uſurpatur, ut exemplum habemus in ipſa hac deſcriptione in voce Βηθσώ *Locus excrementorum*, quæ illuc tranſportabantur, ad Occidentem Urbis, Syris בית צאה

§. VIII. Cæterum, quod ſecundo loco obſervari volebam: quod Joſephus hic plane tradit; Urbem *proſerpſiſſe extra mœnia*, idem omnino eſt, quod Zacharias prædicit, illam *vicorum* inſtar *inhabitatum iri*, ut certa non conſtiterint Urbi mœnia à parte ſeptentrionali, quippe omnia ab ea parte erant γυμνὰ *nuda*, quod tamen recte intelligendum eſt. Habebat utique Urbs jam ante ἀποτειχισμὸν Agrippæ illo tempore *muros, ſecundum & tertium*, Hiſtorico di-

dictos; ſed cum ſuburbiorum mœnibus ita cohærentes, ut muri ab ædificiis proxime conjunctis non facile poſſent diſtingui, perinde acſi res cum maximis Urbibus, extra mœnia ſua proſerpentibus, Roma & Alexandria habuit: quare ab illa parte debilior hoſtium inſultibus facilius patuit. Agrippa igitur hac parte Urbis ſecuritati conſulens per totum κλίμα προσάρκτιον *tractum ſeptentrionalem* murum validum novi operis, *per artem obliqui, & introrſus ſinuati, ut latera oppugnantium aditus pateſcerent*, ut Tacitus; quo muro eam partem Urbis, quæ *Bezetha* appellata eſt, incluſit. Atqui, ais, hæc jam ſero facta ſunt, cum Reſpublica jam ſub Romanorum dominatu laborans ſenſim ad exitium vergeret. Reſpondeo, primo, temporibus Claudianis ſub Agrippa Rege ſtatum Judææ, ut omnibus notum, fuiſſe florentiſſimum & omnino liberum, licet Romanis ut potentioribus obnoxium, ſed nomine *amicorum*, ut fuerat ſub Herode, Agrippæ avo: de quo pluribus diſſerere non geſtio, cum minus ad rem meam faciat: deinde, quod huc directe pertinet; incrementa hæc Urbis extra mœnia ſua proſerpentis, non eſſe referenda ad tempus Agrippæ: credibile enim eſſe, hanc acceſſionem Urbi ſenſim factam temporibus Maccabaicis, quando refloreſcente ſtatu Reipublicæ, omnia meliora & auctiora facta ſunt; ut adeo Prophetia illo tempore jam conſequuta ſit ſuum implementum; nec Agrippam directe reſpiciat. Sufficit monſtraſſe, ante ejus tempora Hieroſolymam usque adeo jam excreviſſe incolarum numero, ut vicatim habitata fuerit. Quid dico? Urbem ampliſſime & ſplendidiſſime extructam, Palatiisque ab Herode & Herodiadis exornatam, ſupra quam dici poteſt, ſua habuiſſe περικαλλῆ προάστεια *pulcherrima ſuburbia*, ſive *ſuburbana, hortos, paradiſos*,

diſos, & quæ alia decus & voluptatem Urbi conciliare apta erant: de quibus idem Joſephus luculenter ſuis locis. (a) Villalpandus, ex ſingulari quadam ὑπολήψει, quam aſſumpſerat, negavit Urbem ab Agrippa excitatam ambitu majorem fuiſſe quam refectam à Nehemia; ſed contra diſertum Hiſtorici Hebræi teſtimonium. Error ortus ex præjudicio erroneo de *Muro ſecundo*, quo Bezetha munita eſt; quod ante plures jam annos refelli, (b) ubi operam dedi deſcribendo *Templo*. Ad præſens argumentum plura non pertinent.

De *Supplemento* Implementi.

§. I. Poſſent, quæ de *Implemento* hujus Prophetiæ monui, ſuo talo conſiſtere, absque *ſupplemento* ullo, petendo ex ſpirituali Hieroſolymæ contemplatione. Sed quia ſequentia eo nos neceſſario ducent; & tale ſupplementum deſiderabunt: nolim etiam hanc pericopam intactam relinquere, ut inter partes ejus omnes conſtet analogia.

§. II. Hypotheſis itaque noſtra, dudum evicta, &, ut ſpero, tandem ab omnibus, Verbum Propheticum amantibus, agnoſcenda, ita ſe habet; eſſe totam hanc Prophetiam ejus generis, ut Spiritus S., qui eam dictavit, duplex objectum in oculis habuerit; typicum ſc. *Hieroſolymam Literalem*; & *Myſticum* ſive antitypicum, *ſpiritualem* Eccleſiam Novi Fœderis: orationem autem ſuam ſic legi velit, ut lector ſuus ad duplex illud objectum attenderet; & ſi de objecto, literaliter ſumpto, aliqua prædicentur attributa, quæ de eo magnifice nimis & liberaliter videbantur dici poſſe, oculos ſpirituales verteret ad ἀντίτυπον, &

(a) *Bell. Jud.* Lib VI Cap. VII. Lib. VII. Cap. VII. (b) De *Temple Ezech.* Part. I. Cap. IV.

& in eo quæreret clariſſimum & certiſſimum ſupplementum ejus, quod Prophetiæ ſecundum Literale implementum deeſt. Interpretes, qui hunc canonem non obſervarunt, in duobus impegerunt, ſtudiis interpretandi Verbi Prophetici in diverſas partes ſciſſi. Alii implementa Propheciarum macra, exilia & tenuia demonſtrarunt, ut Grotius & ſequaces, quæ implementa verorum implementorum umbræ tantum dicendæ ſunt; ut, ſi illi auctores animi ſui ſententiam aperte explicarent, dicere neceſſe habeant, auguſta eſſe prædicta & promiſſa à Prophetis; *ſed non eſſe par implementum. Alii* cum perſuaſum haberent ſummo jure, Prophetiis omnibus conſtare, (& ſecundum Verbum Dei conſtare debere,) implementum liberale & ampliſſimum; rejecto omni ſenſu literali, (quippe hiſtoria non favente,) ſe unice converterunt ad myſterium, &, *præterito plane objecto corporali, cæterorum ſecuri*, ſe verterunt ad Eccleſiam Chriſtianam, aut ejus hoſtes, ut paſſim Veteres. Qui tamen, ſi judicio uti voluiſſent, *clariſſime* videre & cognoſcere poterant, Prophetias illas non permittere, ut reſpectus Objectorum corporalis plane ſecludatur. Sane ſi quis noſtram hanc Prophetiam conſideret; neceſſum plane eſt, illum vel oculos claudere ad lucem meram, vel concedere, aliquem ejus eſſe reſpectum ad Hieroſolymam corporalem. Id circumſtantiæ Viſi, id phraſes omnes tam clare docent, ut plane abſurdus mihi videatur, qui id inficiari inſtituat. Idem locum habet in Vaticinationibus de Babele, Ægypto, & ipſa hac Hieroſolyma, apud Jeſaïam, Jeremiam, Ezechielem, & Prophetas alios, qui de rebus Judæorum poſt Exilium Babylonicum agunt. Poſtquam explicuerint Judicia, à Judæis perferenda à Chaldæis, & à Syris quoque, tam ample

ple & copioſe de ſtatu Reducum perorant, ut proſpera omnia læta, felicia, ejus Eccleſiæ ſtatui adſcribant, ſtylo plane liberali & effuſa vena, acſi labor, lucta, triſtitia & mala omnia, triſtitiæ & doloris cauſſa, ab illo Populo abeſſent, & Deo propitio, omnibus gauderent beneficiis providentiæ & gratiæ Divinæ, quæ optatiſſimi & feliciſſimi ſtatus Reipublicæ Populi Dei veram exhibent imaginem. Et tamen, qui hiſtoriam Populi, qualis fuit poſt reſtitutam à Maccabæis Rempublicam, attente legit: obſervat ille quidem, multa læta & omni expectatione ſuperiora, quæ ad prædicta à Prophetis optime applicantur; ſed ſimul intelligit, ſtatum illum minime fuiſſe perfectum. Quorum culpa cum vere cadat in ipſos illos Principes Maccabæos, qui plane mundani & carnales cum ambitioni ſuæ modum non ponerent, ſe bellis miſcuerunt externis; inter ſe de Regimine decertarunt; atque adeo ſua fecerunt imprudentia, ut de ſolio dejecti ſceptrum ſibi ab Herode præceptum extortumque viderint. Quid igitur? Id verum eſt, in Prophetiis illis temporalia & ſpiritualia inter ſe permiſceri, ut dum Spiritus, qui (liceat fari) ſpiritualia amat, (quippe corporalia ut imperfecta ſunt, ſic non cenſentur ejus eſſe pretii,) inſpirabat Vates à ſe actos, ſimul evexerit illorum cogitationes ad res analogas ſpirituales, quæ iis reſpondebant; atque imagines iis impreſſerit perfectiores, quam corporalia per ſe ſuſtinere poterant Lege hoc oculo parallela vaticinia Jeſ. XXX: 19. ſqq. XXXII: 15. ſqq. Jer. XXX: 18. ſqq. Amos. IX: 9. ſqq. Obad. vs. 18. ſqq. Joël, III: 16, 17. ſqq. Zephan. III: 18, 19. ſqq. præter ea, quæ in Propheta noſtro ὀφθαλμοφανερῶς exhibebuntur.

§. III. Ais, ſi res ita ſe habeat: argumenta Prophetiarum

rum difficillime diſcerni. Non poſſe enim negari, dari Prophetias argumenti literalis: dari quoque argumenti ſpiritualis & myſtici. Concedo ſane, nec refragor. At qui, inquis, quomodo Prophetiæ argumenti dubii, ſive mixti, partim literalis, partim ſpiritualis, ab invicem diſcernentur? ex quibus criteriis aut characteribus dignoſcentur? Facillimam hic eſſe *διάκρισιν*, & evidentiſſima *κριτήρια* ex attributis, quæ de ſubjectis prædicantur. Si occurrat Prophetia, ſume de Babele apud Jeſaïam, de Tyro apud Ezechielem, cui excellentia quædam attributa, alte ſane & magnifice elata, vindicantur, ut non niſi *καθ' ὑπερβολὴν* in ſenſu literali de tali ſubjecto affirmari poſſint: non mox colliges, ut faciunt multi, totam Prophetiam illam myſtice interpretandam eſſe, cum ex circumſtantiis & aliis partibus orationis invicte pateſcat, argumentum literale conſtituere baſin Prophetiæ: ſed optime ſic inſtitues, Prophetam, Vatem in Prophetando in ecſtaſin raptum, dum antitypum in typo videt, vocibus vel Phraſibus uſum eſſe *ἐμφατικωτέροις*, ut lectorem moneret, in ea parte Prophetiæ eſſe myſterium, & non ad typum tantum, ſed vel maxime ad antitypum eſſe reſpiciendum, ut mox luculentum exemplum occurret in articulo ſequente. Sic ubi Babyloniæ vel Aſſyriæ Rex loqui introducitur, (a) *Aſcendam in cœlos. Thronum meum ſupra ſtellas Dei exaltabo. Supra celſa nubium ſcandam. Deo ſummo aſſimilabor.* Babylon (b) *Ero regina in æternum.* EGO, *& præter me nulla.* Tyrus: (c) *Ego ſum Deus, & ſedeo in throno Dei.* ſunt *ὑπερβαλλόντως* dicta; non falſo; ſed umbratiliter in typo, ſed ampliſſime in antitypo. Inprimis vero obſervamus, Prophetas, qui propius

(a) Jeſ. XIV: 13, 14. (b) XLVII: 7. 10. (c) Ezech. XXVIII: 2.

pius ad Regnum Chriſti Jeſu acceſſerunt, bona hujus Regni cum Beneficiis corporalibus Temporum Maccabaicorum commiſcuiſſe, ut pii has prædictiones legentes à corporalibus ad analoga ſpiritualia aſcenderent. Veluti, ſi mirabilia, quæ Deus operatus eſt per Maccabæos, conferrent cum majoribus victoriis, quas reportarent Apoſtoli, gladio Verbi & Spiritus armati, de hoſtibus Regni Chriſti; & quæ his ſimilia ſunt.

§. IV. Equidem verba, quæ inpræſentiarum pertracto, non videbantur poſtulare tum operoſam demonſtrationem hypotheſios meæ. Expoſitio enim pericopæ, ut jacet, ſe facile ex ipſa hiſtoria poſſet ſuſtinere. Sed monui jam, ſequentia altius ſurgere, & omnino tali ſupplemento indigere, quare commodum mihi viſum eſt, his quoque verbis dare laxiorem interpretationem, ut inter partes hujus Prophetiæ conſtet ἀναλογία: tum quoque hypotheſin totam ſemel diſerte explicare, ut ad eandem in aliis partibus hujus Prophetiæ vel ſimilis argumenti ex iisdem principiis exponendis mihi, ſi opus ſit, liceat recurrere.

§. V. Ergo accipe ex his verbis myſterium, quod de Hieroſolyma Nova & myſtica prædicatur apud Jeſaïam, ampliſſimis verbis Cap. LIV: 1. ſimul in præclara Ode LXXXVII: 1. ſqq. de ingente amplitudine eorum, qui cum tempore accreſcerent Eccleſiæ credentium in Chriſtum Jeſum. Funes Tentorii (eſt autem Eccleſia) jubentur extendi, & Tentorium ipſum dilatari atque expandi, ut magnæ multitudinis capax quaquaverſum limites ſuos promoveat, & Hieroſolyma hæc myſtica omnis generis, nationis, cives abaque diſcrimine ſinu ſuo recipiat, & tanta prole aucta, ipſa pomæria & limites ſuperans, vere vicatim habitetur. Maximæ per Orbem Urbes; Urbium

vici

vici populoſiſſimi, (reſpicio maxime Ægyptum,) & deſerta ac ſolitudines quoque, vigente & florente Chriſtianiſmo, ſcaturierunt ſanctis, fidem in Chriſtum profeſſis; ut nulla hic typi & antitypi comparatio ſit. Recte quidem, ais: ſed quid hic *jumenta* in myſtica Hieroſolyma? Reſpondeo, in Rebus publicis Chriſtianis, Chriſto conſecratis, jumentorum, quæ Deus ad uſum & commodum humani generis creavit & inſtituit, eſſe uſum promiſcuum, nec minus inſervire in caſibus neceſſariis Eccleſiæ quam Reipublicæ, poteſtque illius exemplum capi ex Jeſ. LXVI: 20. ſic vere exiſtimo, vocem hic non pertinere ad myſterium. Si tamen ita velis, intelliges myſtice omnia ſubſidia & adjutoria, (ἀντιλήψεις) quæ Eccleſiæ ad qualemcunque uſum ſubſerviunt; in quod latius non excurro, quia Prophetam eo reſpexiſſe non putem.

Ejusque protectione & gloria

Vs. V. *Et ego ero illi*, *ait Jehova*, MURUS IGNEUS *circumquaque*; & IN GLORIAM ERO *in medio ejus.*] Quid ſi vero extra muros habitantes incolæ Hieroſolymæ expoſiti fuerint omni injuriæ & petulantiæ hoſtili, tanquam excluſi munimine & protectione Urbis: huic ſc. incommodo proviſurum eſſe Deum, quippe ſe futurum eſſe in *murum igneum*, videlicet inacceſſum, vel territurum hoſtes, ut nemo auſurus ſit eum absque metu tentare. Sic paſſim Hebræi, Kimchius, Abarbenel; & lubens admitto. Etiamſi, licet quis abſolute accipiat pro novo beneficio, priori adjungendo, absque reſpectu Urbis *vicatim* habitandæ; res fere perinde ſe habeat. Qualicunque enim ſtatu Urbs eſſet; indigeret protectione, quam Deus hic condicit. Eſt autem phraſis plane ſingularis, Prophetica, & Divina,

qua Angelus dicit Deum Urbi fore חומת אש *murum igneum*, hoc eſt, לחומת אש *in murum igneum* ut mox לכבוד *in gloriam*, Recte Chaldæus רשׁב דאשא υτ *murus igneus*. Nihil efficacius efferri poteſt hac phraſi. Exotici Scriptores figurate memorant *Murum abeneum*, ut apud Flaccum, (a) τείχη χαλκᾶ ϗ ἀδαμάντινα *muros abeneos & adamantinos*, ut eſt apud Æſchinem in *Cteſiphontem*, (b) perinde ac apud Jeremiam, (c) חומות נחשת *murus æneus*: ſed majus quid eſt *murus* IGNEUS. Murus *abeneus* cenſetur eſſe inexpugnabilis ob firmitatem & duritiem operis: nec tamen deſinit eſſe oppugnabilis: ſed murus igneus non tantum cenſetur eſſe inexpugnabilis; verum etiam non oppugnabilis, & plane ἀπρόσιλος *inacceſſus*. Qui eum tentare auſit, conſumitur, & abſque ulla ſpe profectus in certam incurrit perniciem. Emphaſin habet, quod additur, סביב *cirumquaque*. Quidſi non tota munita, tectaque; nec murus totam amplexus eſſet? ictus pateret ad latera. Sed aliud eſt. Undique circumdata à muro igneo, nihil metuendum relinqueret. Quæris, unde ſumpta ſit metaphora! Druſius noſter adſcripſit, videri ſimilitudinem petitam à viatoribus, qui noctu ignem circa tentoria ſua extruunt, ut terreant arceantque Leones, qui ignem fugiant. Si nihil grandius & ſublimius, ac Prophetico ſtylo congruentius cogitari queat, admitto. Grotius aliique huc referunt emblema perelegans equitum & curruum protegentium Eliſam Dothane; quod Deus puero ejus conſpiciendum dedit. (d) Non ſperno; eſt certe affine. Nec tamen id ipſum eſſe puto, quod Angelus hic intendit. Alterum membrum hujus *promiſſi*, *ero* IN GLORIAM *in medio ejus*: nos monet, reſpici & alludi ad ſymbolum *Divinæ Gloriæ*, IGNEM ſcilicet ardentiſſimum & flagran-

(a) Lib. III. Od. III. vs. 65. (b) Edit. Steph. p. 65. (c) Jer. I: 18. XV: 20. (d) 2 Reg. VI: 17.

grantiſſimum, quo Deus muniebat caſtra populi ſui ex Ægypto educti; cujus geminus erat effectus. Ubi aderant hoſtes, hoc ſymbolo Præſentiæ & Gloriæ Divinæ, (Hebræis שכינה *Habitatio*,) quod *Angelus*, Protector Populi Dei, *ignem* hunc ardentem, craſſa Nube incluſum, & per eam tranſparentem, inſideret, ipſe Populum & caſtra muniebat in extremis, erupturus & irrupturus in hoſtes. Hiſtoria: (a) *Et movit ſe* ANGELUS DEI *procedens ante caſtra Iſraëlitarum, & ivit poſt terga eorum:* (ipſe ſc. *Ignis* ſymbolum Angeli;) *& profecta eſt columna nubis à fronte ipſorum, & ſtetit à tergo ipſorum;* Confer Exod. XIII: 21, 22. Sed Ubi foris nullus premebat, aut caſtra ſuo ſtabili reſidebant loco: ſymbolum hoc paſſim reſidebat (Deo propitio,) apud oſtium Tentorii Conventus, & ibi *ſanctificabat Iſraëlem* ſua *præſentia & gloria.* (b) Inſpector omnium, quæ in caſtris agebantur, caſtra tuebatur, reſponſa dabat Moſi, &, ſi quid adverſus majeſtatem ejus committeretur, *ignis* ex Nube prodiens tranſgreſſores audaces & rebelles ἐπ' αὐτοφώρῳ conſumebat. (c) Atque id ipſum eſt, quod dicitur altera parte hujus commatis: ולכבוד אהיה בתוכה *Et in* GLORIAM *ero in* MEDIO EJUS. Alterum reſpicitur effectum glorioſi ſymboli Divinæ præſentiæ. Extus muniebat caſtra: intus illuſtrabat & ſanctificabat Iſraëlem. Addo; invigilabat ſecuritati omnium, qui ad caſtra, Eccleſiam, & civitatem Populi ſancti referebantur. Docte obſervavit Kimchius, alludi his verbis ad locum Jeſ. IV: 5. Ubi cum luculenta mentio fiat Eccleſiæ Chriſti Jeſu, qualis ſe oſtentaret in initiis ſuis Hieroſolymis, ejusque ſtatus fortunati ac glorioſi; Propheta eadem figura utitur. Verba ejus ſunt: (d) *Et creabit Jehova ſuper omne habi-*

(a) Exod. XIV: 19. (b) Exod. XXIX: 43. (c) Lev. X: 1, 2. Num. XI: 1. ſqq. (d) Jeſ. IV: 5, 6.

habitaculum montis & ſuper omnes conventus (Eccleſias) *ejus*, *interdiu* Nubem; *& fumum ac fulgur ignis rutilantis de nocte*, *quia* SUPER OMNEM GLORIAM ERIT OPERCULUM. Præſentia Dei apud Eccleſiam præſtaret eidem interdiu & noctu *refrigerium* (ἀνάψυξιν) & *munimentum*. Die & nocte eam tutam præſtaret. Quod autem dicitur, *ſuper omnem gloriam erit tegumentum*: nova eſt metaphora à re analoga & affini ſumpta, nempe à pellibus caprinis, arietinis, denſioribusque aliis, quibus aulæa & pretioſa Tabernaculi inſtrumenta tegebantur, ne quæ pluvia, tempeſtas, imber, turbo, iis læſionem adferret; quod ſequentia docent: (a) *Et tegmen erit in Umbram de die adverſus æſtum; & in tegumentum & latibulum adverſus imbrem & pluviam.* Hei mihi! quam excellens promiſſum Divinæ Gratiæ? Cenſeo, Populum antiquum nihil habuiſſe glorioſius & illuſtrius, nihil inter externa beneficia ſolabilius ſymbolo ſpectabili Divinæ Præſentiæ, quod Paulus δόξαν GLORIAM, (b) Hebræi שכינה, vocant. Quanti enim eſt, Deum ſibi habere præſentem? Quanti vero illud, Deum ſibi habere præſentem in gratia. Hoc gaudere beneficio, ut præſens cognoſcatur & colatur? Quis hic hoſtem vel aggreſſorem metuit? Quis deſiderat Doctorem? Quis non ſibi magnæ gloriæ deputet, in contemplando ſigno divinæ gloriæ ipſius Dei præſentis perfectiones & virtutes videre? majeſtatem ejus adorare? ex ejus revelationibus, reſponſis, & promiſſis ſolatium accipere? Ipſa Dei præſentia præſentem Dei cultorem ſanctificat, & gloriæ ejus conſortem reddit. *Ecqua illa eſt Gens in Orbe magna, cui Dii tam prope adſunt*, ait Moſes, *ut Jehova Deus noſter in omnibus, quibus ipſum invocamus?*

Hh 2 Im-

(a) Vs. 6. (b) Rom. IX: 4.

Implementum Prophetiæ.

§. I. Non eſt tantum Prophetias interpretari, earum ſenſa reddere, ſed quoque, & vel maxime, oſtendere implementum. Prophetia, quam hic exhibui, ſenſum dat facilem, clarum, limpidum. Nec tamen implementum ejus, ſi temporalem Hieroſolymae ſtatum reſpicias, in proclivi eſt clare demonſtrare; certe non absque temperamentis, prudenter in rem adhibendis. Promittit heic loci Angelus Hieroſolymæ reædificandæ frequentiam, copiam, *proſperitatem*; & cum *hæc nondum viderentur* ſufficere ad florentem efficiendum Urbis Statum, pollicetur illi ſecuritatem perfectam, redundaturam ex glorioſa Dei apud eam præſentia & protectione, per quam hoſtibus eſſet inacceſſa & reverenda ac metuenda quoque. Ubi vero tam diſertæ prædictionis implementum? Annon enim hæc ipſa eſt Hieroſolyma, quæ occupata fuit à Ptolemæo Lagi, (licet illud prætermittere poſſem, cum ſpeciem non *hoſtis* ſed *Domini* præ ſe tulerit,) imo vero ab Antiocho Epiphane, ſive per ipſum dolose, perfide, hoſtiliter, ſive per Duces ejus præfectoſque tributorum & armorum; inter quos inſignis fuit Apollonius, immane ſæviente cædibus, rapinis, direptionibus, liberorumque corporum abductione in ſervitutem? An non eſt hæc ipſa Hieroſolyma, quæ ſub Antiochi & ſequentium aliquot Syriæ Regum redacta poteſtatem, miſerabili aliquandiu fuit conditione; Urbe ſuperiore Tſione, usque quo reſtituta fuerit à Juda Maccabæo, ſed inferiore in modum Arcis fabricata, Acra dicta, inſeſſa à Syris Hieroſolymæ per eam dominantibus usque ad ethnarchiam Simonis, tertii fratris Maccabæi, ſub Demetrio, Nicatore, Deme-

trii

tris Soteris Filio, A. CLXXI. Æræ Seleucidarum, in Chronicis Hebræorum famoſiſſimo. Addo; an non eſt hæc ipſa Hieroſolyma, quæ deinceps obſeſſa & oppugnata expugnataque eſt à Pompejo, defendente Ariſtobulo; dein ab Herode & Soſio, dum ei præſidebat Antigonus, Ariſtobuli Filius; quæque tandem, à Tito Veſpaſiano capta toti Orbi reliquit exemplum ſeveritatis Divinæ. Quæro itaque, quomodo ſibi conſtet implementum hujus Prophetiæ!

§. II. Recte utique, ſi prudenter accipiatur: quare omnino neceſſe fuerit quædam mihi adſciſcere *αἰτήματα*, eaque interpretationi meæ præſtruere, non illa longe quæſita aut paradoxa; ſed congruentia rationi. Primo utique, ubi Angelus Deum ait fore *murum igneum circumcirca* hanc *Hieroſolymam:* metaphorica hæceſt notio. Etiamſi enim hic alludatur ad id, quod olim vere locum habuit in Populo Dei: erat tamen illud antiqui temporis, & ſymbolum ſingulare accommodatum ad uſum ſtatumque Populi ex Ægypto liberati. Res certa eſt ex confeſſione Judæorum, Statum Populi Reducis inter alia id minus habuiſſe quam Eccleſiam ſuperioris temporis, nempe τὴν שכינה GLORIAM *Divinæ Habitationis.* Cujus ultimum ſignum & effectum editum eſt in igne erumpente ex foco ſuo Hieroſolymis, & conſumente florentiſſimam partem Exercitus ſuperbi Principis Aſſyrii Senacheribi: de quo ad Jeſaïam frequens egi. (a) Ergo ſub impropria hac locutione recte intelligas, Deum protecturum eſſe Populum Novæ Urbis tam efficaci munimine ſuæ providentiæ, ut nemini exitium ei molituro ad eam paſſurus ſit accedere: coërciturus omnes, qui id tentaturi ſunt. Sunt analogæ metaphoricæ dictiones

(a) Jeſ. X: 17, 18. XXX: 33. XXXI: 5, 9.

nes aliæ, quæ huc pertinent. (a) In contrarium ſenſum Apoſtolus ait nos *clypeo fidei poſſe extinguere τὰ βέλη τῦ πονηρῦ τὰ πεπυρωμένα*, IGNITA TELA *Mali illius*. Metaphoram metaphora elidit *Extinguere* hic eſt *facere, ut effectu careant*. Tela ignita ſunt tentationes peſſimi generis, ingenio Satanæ percoctæ. Non ſane *libidinis*, ut Grotius: ſed impiæ, veræ fidei directe oppoſitæ, & in eam arietantes, quales ſunt quæ ad atheiſmum vergunt; ſive his alludatur ad inſtrumenta bellica *ignita*, hoc ipſo cæteris nocentiora; A ſive ad *Medica*, quæ deſcribit Ammianus. B Imo, ſecundo, ne ad ipſos quidem *muros* Urbis Hieroſolymæ, ſi forte validi fuerint & repellendorum hoſtium capaces, hic ullo modo reſpicitur. Ut ſi Deus ſua providentia per homines defendit & protegit Urbem abſque lapidibus, lateribus, foſſis, muris: hæc Prophetia nihilominus cenſeri debeat certum conſequuta eſſe implementum. Sic ſe Demoſthenes defendit Oratione pro Cteſiphonte, cui cum pars adverſa objeciſſet jactantias ſuas de Athenis à ſe munitis: ipſe eleganter retorquet: *Non enim lapidibus neque lateribus Urbem munivi, neque ob has res maximos mihi ſpiritus ſumo; ſed ſi munitiones meas juſte & attente conſiderare velis, arma caſtella, portus, Urbes, naves, complures equos, & qui pro his propugnarent, milites, reperies à me eſſe civitati comparatos.*

A Tacitus, Annal. IV. *Et ſtruebatur agger, unde ſaxa,* HASTÆ, IGNES, *propinquum jam in hoſtem jacerentur.*

B Ammianus Lib. XXIII. Cap. VI. *In hac regione oleum conficitur* MEDICUM, *quo illitum* TELUM *ſi emiſſum lentius laxiore arcu (nam ictu extinguitur rapido) hæſerit usquam, tenaciter cremat, &, ſi aqua voluerit abluere quisquam, æſtus excitat acriores incendiorum*, &c.

(a) Jeſ. IV: 5, 6. XXXV: 5. Pſ. CXXV: 1. Zach. XII: 6, 7, 8.

tos. His itaque inſtrumentis ſi Deo placeat uti in protegenda Urbe: etiamſi abſint *muri*, vel certe *validi*; præſtare poteſt Urbi *murum igneum*. Non eſt itaque hic hærendum in verbis; ſed in re, tropice enunciata. Tertio, ſi grammatice ſumas Prophetiam: non eſt ex ea plus eliciendum quam complectitur. Videlicet, non dicitur in hac prædictione, Deum huic Hieroſolymæ *ſemper* futurum eſſe *murum igneum*. Id magni hic momenti eſt. Non id ait Angelus, nunquam hanc Hieroſolymam capiendam eſſe; nullam experturam duram vel adverſam ſortem; ſemper & omni caſu gaviſuram Divina protectione. Imo vero exerte nos docet Spiritus S. (a) *venturum eſſe tempus quo omnes Gentes congregentur adverſus Hieroſolymam; futurum autem eſſe, ut ſpolia ejus dividantur in medio ejus; & violentur fœminæ, & dimidia civitas abducatur in Exilium*, & quæ alia. Prophetia certiſſime reſpicit tempora Maccabaeorum, eſtque eventus huic fato reſpondens in Hiſtoria conſignatus: etſi Literalis ejus ſenſus myſticum involvat: interim certo diſces ex hoc, Spiritum S. ſibi hic contrarium non eſſe, ut proinde Spiritus Dei, cui omnia mentis Divinae profunda retecta ſunt, licet ampliſſimis promiſſis Eccleſiam demulceat, adverſa Eccleſiae fata non ignoraverit. Ergo promiſſum hoc non eſt accipiendum *abſolute*, ſed *reſtricte*; ſecundum literalem ejus ſenſum: *reſtricte*, inquam, cum reſpectu ad certum tempus, quod ex circumſtantiis, in ipſa Prophetia ſignatis, cognoſci poterit. Sunt autem tempora Maccabaica, ad quae ſuperiore *verſiculo* directe reſpicitur, quaeque alii Prophetae hoc charactere notant: (b) *Et erit cum multiplicati eritis, & fructum feceritis in hac terra* בימים ההמה ILLIS DIEBUS, &c.

(a) Zach. XIV: 1, ſqq. (b) Jer. III: 16.

&c. Ut praeiverat Moſes. (a) Hoc tempore, inſtaurata in melius Eccleſia, Judaei ſe demum dignos praeſtiterunt Divina Gratia: ante hoc tempus obruti ſordibus & ſcandalis indigni erant hoc Dei favore. Equidem beneficia ſua non ſuſpendit Deus à meritis noſtris; ſed ubi Deus Populo benedicere vult, ſemper curat ſua Providentia & gratia, ut ſtatus ejus Divinae benedictioni vel voluntati benedicendi reſpondeat. Quantum hiſtoria docet, contraxerat ſibi Eccleſia Judaea gravia vitia, ſed quae potiſſimum haeſerunt *in Ordine Sacro*; & quidem, gliſcente ambitione, ſummis illius Ordinis Praefectis; unde jam ante tempora Alexandri triſtia effecta. (b) Sed corruptio adhuc conſtitit intra modum; & ſupererant multi Dei & Sacrorum reverentis homines, qui extrema mala à Populo Dei averterunt. Nec tamen Populus Dei eo erat ſtatu, ut praeterordinaria beneficia Divinae Providentiae hoc tempore exſpectare poſſet. Sed ſub Antiocho Epiphane eum in modum exundavit cum impietate profanitas, injuſtitia, ſcelera, ut Populus non tantum nullis beneficiis Divini favoris honeſtari meruerit, ſed è contrario ſeveriſſimas provocaverit animadverſiones, quibus *Forum Divinum* Populum Eccleſiae corruptum emendare & peccata ejus expiare cenſuerit. Huic itaque Populo expiato, purgato, & in caminum miſſo graviſſimarum *tentationum* & afflictionum, conveniebant Benedictiones illæ ampliſſimae; & ſortitae ſunt praedictiones illae eventus, quales ſecundum qualitates rerum & temporum expectari poterant.

§. III. Primo itaque obſervo, in hoc intervallum duas Hieroſolymae incidiſſe obſidiones, neutra vi eam expugnatam

(a) Deut. XXX: 5. (b) Joſeph. *Antiq.* Lib. XI. Cap. VII.

natam eſſe, Deo eam defendente. Alteram ſub Antiocho Eupatore, Epiphanis Filio, adminiſtrante eam Lyſia, cui cura rei Bellicæ commiſſa erat, alteram in initiis Johannis Hyrcani, Simonis Filii, per Antiochum Sideten ſive Euſebem, Pium. In priore defendit Urbem Tſionem, (quam exerte appellat auctor Maccabæorum,) ſive potius Templum, (*Acra* enim ſive *Arx* adhuc erat in poteſtate hoſtium, & ejus præcipue cauſſa inſtituebatur oppugnatio,) ipſe Judas Maccabæus cum electis ſuis, & etiamſi Eupatoris exercitus amplus eſſet, & conſtaret flore militiæ Regiæ; & multi defenſorum penuria cibariorum dilaberentur, tenuit tamen Urbem, *acerrime* defenſam, Judas; donec & hoſtes æque ac defenſores penuria commeatus preſſi eſſent, & Lyſias adventu Philippi, æmuli Ducis, cui ante obitum Antiochus in partibus Transeuphratenſibus Regni & Filii curam commiſerat in Syriam, turbatus; Juveni Regi perſuaſerit obſidionem ſolvere, & pacem facere cum Juda & Haſidæis. Cujus tamen conditiones Rex perjurus non ea, qua oportebat, fide obſervavit, muris Tſionis, ſatis munitis, contra fidem datam corruptis. Liquida hic eſt Hiſtoria Maccabæorum (a) & Joſephi. (b) Altera obſidio, facta ab Antiocho Sidete Demetrii Nicanoris fratre, qui, licet Aſſamonæis fœdere & amicitia junctus, poſt mortem tamen Simonis, veluti ulturus injurias ſibi ab illo illatas, bellum intulit ejus Filio Johanni Hyrcano, & Hieroſolyma ducto exercitu, eam arctiſſime circumvallavit, & altis excitatis adverſus eam turribus ad magnas redegit anguſtias; licet *propter firmitatem mœnium* ϗ δι' ἀρετὴν τῶν ἐμπολιορκουμένων *& virtu-*

(a) Macc. VI: 60. ſqq. (b) Lib. Ant. Lib. XIII, Cap. XIV, XV.

tum obſeſſorum parum proficeret; quando, interveniente Feſto Tabernaculorum, cum hoc nomine ſeptidui inducias à Rege peteret Hyrcanus, non tantum eas impetravit, ſed inſignem expertus eſſet liberalitatem in Feſto & Religione honoranda, hac ipſa uſus eſt occaſione de pace cum Rege agendi. Qui quidem conditiones ſatis duras Hyrcano præſcripſit, ſed quas tamen, dum ſalvam præſtitiſſet Religionem cum Templo & Hieroſolyma, acceptandas ſibi eſſe putavit Hyrcanus, ut hoc tempore ab importuno hoſte liberaretur. Sic Joſephus. (a) *Ab hoc tempore tuti à Syris Haſidæi damna, quæ à Syris acceperant*, abunde reſarciverunt, hoſteſque ſuos magnis cladibus ulti ſunt. Id primum huc adfero ad literale implementum hujus Prophetiæ. Quæ enim poſt hæc tempora ſub Principibus Aſſamonæis, plane jam mundanis & ſecularibus, *Religionis* ſtudium externum flectentibus ſecundum ambitionem & libidinem, profanis, denique & Religionem Patriam proſtituentibus, quales fuerunt Ariſtobulus, Antigonus, Alexander, ſive inter ſe bella gererent; ſive cum Herode & auxiliatoribus Romanis: qua ratione aut fiducia auxilium à Deo peterent, qui reſpectum ad Deum nullum habebant, quorumque inſtituta & mores à fide & moribus Majorum plane degeneraverant?

§. IV. Secundo, cum *Deus Hieroſolymæ hujus* temporis protectionem prædicat & promittat tanquam *Muri ignei*, hoſtes conſumpturi & gloria ſua eam illuſtraturi: reſpicio hic ipſos Heroes Maccabæos, quos Deus in Præliis, quæ ipſi, omnium rerum fere indigi & numero longe inferiores, cum inſtructiſſimis hoſtium copiis miſcuerunt,

(a) Antiq. Lib. XIII. Cap. XVI.

runt, eum in modum protexit, muniit, ſuaque dextra armavit & inſtruxit, ut palam factum ſit omnibus, adeſſe Deum præſentem, & cum ipſis, per ipſos & pro ipſis pugnare, laudemque victoriæ & defenſionis ipſi deberi: quod ubique profeſſi ſunt. Auctor Secundi Liberi Maccabæorum, qui Hiſtoriam Jaſonis in compendium redegit, exempla plura allegat (a) τῶν ἐπιφανειῶν τῶν ἐξ οὐρανοῦ γενομένων τοῖς ὑπὲρ τοῦ Ἰουδαισμοῦ φιλοτίμως ἀνδραγαθήσασιν *apparitionum cœleſtium iis factarum, qui pro Judaiſmi cauſa ſtrenue & glorioſe pugnarunt*; quæ ut non accipio omnia cæca fide; ſic non temere ſperno. Geſta enim & facinora Judæ, cujus hiſtoriæ ille auctor potiſſimum inhæret, in ſpeciminibus ſive virtutis, quæ ipſe edidit, ſive præſidii Divini, quo in tot conflictibus gaviſus eſt, demonſtrant: hunc hominem à Diviniore quodam & heroico Spiritu agitatum, Deoque curæ fuiſſe; ut adeo hiſtoriæ non abnuam fidem, ſi ſubinde potentias cæleſtes ad auxilium & præſidium ejus apparuiſſe in probabili circumſtantia narret.

Supplementum Implementi.

§. I. Si Prophetiam iis cum temperamentis plane hic neceſſariis accipias: nulla eſt ratio, quare ei implementum Literale neges. Non poteſt enim ad omnia Eccleſiæ tempora omneſque ejus caſus & ſtatus extendi. Nec ſufficere hic exiſtimem, ut, qui ſpiritualem & allegoricum Prophetiæ ſenſum ſectatur, hic perſiſtat in communibus promiſſis, quæ Deus ſive univerſo Eccleſiæ corpori fecit; ſive ſingulis de illo corpore membris, ſe populum, Eccleſiam, oves ſuas ſanguine Filii, qui ſe pro iis tradidit, emp-

(a) 2 Macc. II: 21.

emptas, non eſſe deſerturum; quin eas in ſtatu ſpirituali conſervaturum, defenſurum, & protecturum eſſe: quin & in ſtatu externo & corporali pro rationibus ſuæ providentiæ ita circa credentes & ſibi fidentes verſaturum eſſe, ut ſentiant & experiantur, Deum à ſe non longe abeſſe eſſe ſibi in diſcriminibus munimini & præſidio; ſæpe contra urgentem & prementem hoſtem defendere, & cum undique circumſcripti videantur, ſua dextra & auxilio eruere ac liberare: quo pertinent loca: (a) *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt* ei (b) *Ego vitam æternam do iis*, (ovibus meis) *neque rapiet eas quisquam è manu mea.* (c) *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui me miſit, Patris, ut ex eo omni, quod mihi dederit, non perdam quicquam, ſed ſuſcitem illud noviſſimo die.* (d) *Qui potentiæ Dei præſidio cuſtodimini per fidem ad ſalutem paratam revelari tempore ultimo.* Item: *Dixit enim ipſe, Nequaquam te miſſum faciam, neque unquam te deſeram.* (Joſ. I: 5.) *adeo ut confidenti animo dicamus: Dominus mihi eſt auxiliator; nec metuam, quid mihi faciat homo.* Pſ. CXVIII: 6. Adde ex cæteris Odas eximias, vel maxime reſpicientes Oeconomiam Gratiæ, XXXIV. & XCI. Imo vero non rejicio hanc cogitationem: quin cenſeo, omne promiſſum Eccleſiæ conſervandæ & protegendæ hoc ipſo luculento promiſſo involvi & confirmari.

§. II. Id dixi, & repeto, in eo non eſſe ſubſiſtendum. Verus ſenſus promiſſi eſt; expectanda eſſe dura tempora Eccleſiæ Chriſti Jeſu, quibus magno molimine oppugnanda ſit ab hoſtibus ſuis, undique eam copiis incluſuris, & arcte preſſuris, ſed exitu fruſtraneo. Deum enim poſt ſtatum Eccleſiae collapſum inter varios caſus aegre reſtitutum

(a) Matth. XVI: 18. (b) Joan X: 28. (c) Cap. VI: 39. (d) 1 Pet. I: 5.

tum & ab hoſtibus afflictum, diſperſum, & ipſorum conſiliis exterminio devotum, excitaturum eſſe heröes, forti brachio, ſuique Spiritus virtute, Sapientia, potentia, juſtitia, armatos, per quos inſtar muri ignei Populum ſuum ſit protecturus, & hoſtes ejus perditurus. Simul præſentiæ ſuæ apud Populum gratioſa & glorioſa editurum ſpecimina. Huc pertinet Prophetia integra de Gogo & Magogo, cujus compendium eſt; Deum ipſos caſtra Sanctorum obſidentes (a) *igne cœlitus miſſo*, (reſpicitur hiſtoria Eliæ: (b)) *conſumpturum*. Scripſi de hoc argumento explicate ad Jeſ. LIX: 16, 17. Compara, ſis, præclara loca de protectione Populi Dei, & hoſtium ejus ſtrage & interitu, præter alia ſæpius allegata Pſ. XVII. LVIII. CXVIII. Jeſ. XXXI: 5. Fines ſæculorum hanc vindictam hoſtium, Eccleſiæ adverſariorum, docebunt & illuſtrabunt, Deut. XXXII: 41, 42. Exhibet hiſtoria Eccleſiæ Proteſtantium. (huc enim nos vocat parallelia temporum Propheticorum utriusque Oeconomiæ:) animadvertenda exempla tum judiciorum in hoſtes Eccleſiæ; tum protectionum & liberationum, quibus Deus brachium ſuum exſeruit in eorum exigendis vindiciis; tum quoque caſtigationum Judicialium, quibus peccata & aberrationes ſuorum non leves proſequutus fuit. Sed eventa hactenus nulla extiterunt, quæ vim prædictionum exæquaverint. Obſidiones Magdeburgenſis, (A) (prima, ſcilicet,) Rupel-

 pel-

(A) In *Itinerario* de Magdeburgi Obſidione loquens, p. 136. *Certe digna eſt admiratione, tam reſpectu potentiſſimi oppugnantis, & defendentis exiguitate; & noſtra ætate nullam habuimus obſidionem huic comparandam niſi Rupellenſem. Unum &*

(a) Apoc. XX: 9. (b) 2 Reg. I: 9. ſqq.

pellenſis, (ipſa quoque prima,) Lugdunenſis Batava, Montalbanenſis, & his ſimiles, ſunt in hiſtoria notabiles: ſed circumſtantiæ illorum temporum ſic compoſitæ fuerunt, ut multa hic deſideremus, quæ ad implementum perfectum hujus Prophetiæ requirerentur. Tempora illa fuerunt turbida & turbulenta. Expectamus lucidiora.

β Interjecta *Apoſtrophe* ad Exules Babylonios, ut his rationibus moti quanto ocius Babylonem deſerant, & Hieroſolymam, Urbem Patriam, concedant.

Vs. VI. EJÁ, EJA, *fugite quæſo*, *ex terra Aquilonis*, *inquit Jehova*: *quia* SECUNDUM QUATUOR CLIMATA CÆLORUM vos *diſperſi*, *ait Jehova*. Vs. VII. *Heus Tſion*: *eripe te quæ* HABITAS APUD BABYLONIOS.] Interjicitur aptiſſimo loco *Apoſtrophe* ad Exules Babylonios, ab Angelo Jehovæ concepta, eos exhortante, ut lætis hiſce promiſſis excitati Babylonem, ſedem futuram Divinorum Judiciorum, deſerant, & quanto ocius advolent in Patriam, Urbemque Patriam, Gentis Metropolim, Hieroſolymam, participaturi privilegia, Divina Providentia ei indulgenda. Eſt bimembris, & affinis argumenti. Utraque incipit ab *exclamandi* ſive *evocandi* (קריאה) voce הוי, quæ hic aliam ſignificationem non admittit. Latine *heus*, vel, ſi mavis, *hui*. Eſt enim ipſiſſimum *hoy*, ſive *huy*, quod hebraice effertur הוי οἱ ὁ. hoc loco Ὦ, ὦ. Loca, in quibus uſurpatur, definiunt ſignificationem variam, ut quiritandi, minitandi, dolendi, ſic inpræſentiarum *exclamandi*, *evocandi*. Apud Pho-

& alterum exemplum nos docet, Defenſionem Dei fortiorem eſſe quam manus hominum ſimul junctas. Sic egregius Dux Rohanæus.

Photium (a) in recenſione Libri, qui inſcribitur *Helladii Chreſtomatia*, multis diſputat Auctor, articulum Ὦ non eſſe κλητικὸν *vocativum*, nempe *Grammaticale*; ita tamen ut *adverbio* non neget *vocandi* & *appellandi* ſignificationem, quam hic apud LXX. urgemus. *Fugite*, ait, è *terra Boreæ*. Proprie, ET *fugite*. Docet Kimchi, præfixam hic nos monere de ellipſi, ac ſi ſcripſiſſet, צאו ונוסו *Egredimini*, & *fugite*. Patior dici, ſed ſimplicius dixeris, eſſe *vau* expletivum, cujus alibi uſus eſt frequentiſſimus. Sume tibi exempla Jeſ. LVI. Pſ. IV: 4. Argumentum apoſtrophes eſt, conſilium Spiritus S. ut *fugerent è terra aquilonis* Ὦ ἐ. ἀπὸ γῆς βοῤῥᾶ. Id recte & proprie. βοῤῥᾶς enim Græcis idem quod Latinis *Aquilo*; & quod hoc in loco צפון, *Plaga* cœli, inter ortum & ſeptentrionem media. Qualis fere fuit reſpectus Babyloniæ ad Palæſtinam. *Babylonem* enim hic ſignificari, ex conſenſu Verbi Prophetici ſic ſatis certum: ſic Jeremias, (b) de Chaldæis: *Sic dicit Jehova: Ecce populus venit ex terra* AQUILONIS. Ezechiel: (c) *Nam ſic ait Dominus Jehova. Ecce adducam ad Tyrum Nebucadnezarem Regem Babylonis* EX AQUILONE. Confer Jer. I: 14. XVI: 15. Ex *hac terra* quanto ocyus ſe movere vult verſus Patriam Judæos, qui glebæ Babylonici ſoli affixi, commodius & rei ſuæ familiari utilius reputabant, in Babylone ſubſiſtere, & ibidem meliora tempora expectare, quam ſe fluctibus Patriæ, ubi illo adhuc tempore pleraque cruda, indigeſta, & confuſionis plena erant, & motibus adverſarum Gentium, committere: ut interim qui in Religionem bene affecti erant, ſi commoda ferret occaſio, hanc libenter arriperent, ut peregrinationis cauſſa & reverentia Sacrorum, Loca ſancta adirent, & munera

(a) Biblioth p. 1582. (b) Jer. VI: 22. (c) XXVI: 7.

ra atque anathemata ſua ibi deponerent; cujusmodi exempla in hoc ipſo Libro habemus Cap. VI: 10. VII: 2. Cum itaque tutiora dehinc omnia eſſent in Palæſtina & contra Babylonii affligendi eſſent graviſſimis Dei judiciis, (id enim hic ſupponi, mox monebo,) *fugere* vult ex Babylone ſuperſtites in ea Judæos, ut *diſperſi* in quatuor cœli plagas *recolligantur* ſecundum promiſſa Prophetarum. Id enim ſonare putem verba. *Quia ſecundum quatuor ventos cæli vos diſperſi, ait Jehova*: quæ quidem diverſe capiuntur. Hebræa, ut nunc leguntur, habent *Quia* כארבע SECUNDUM *quatuor* v. c. d. v. Et videtur tamen Hieronymus legiſſe בארב ; IN *quatuor ventos cœlorum diſperſi vos.* Et videri poſſet hæc genuina lectio Hebræa, paſſim conſtruens פרש *diſpergere* vel פוצ. הפיצ cum ב vel ל. Sed Chaldæus nihil mutat. Οἱ ὁ cum verba hic viderentur complecti promiſſum; in hunc ſenſum flexerunt Hebræa, quod non probo. Scripſerunt, Διότι ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων τοῦ οὐρανοῦ συνάξω ὑμᾶς. *quia de quatuor ventis coeli congregabo vos.* Haud dubie inde orta interpretationis diverſitas, quod etſi Hebræa obſcuriora ſint, non viderentur tamen ſecundum nexum orationis alium ſenſum exhibere poſſe. Et laborarunt tamen, ut hoc obtinerent Docti Interpretes. Sunt qui ita accipiunt: Ego etiamſi vos compegerim in terram Babylonicam per Exilium; hoc tempore ſolutis carceribus Exite, tota Vobis terra, quam ampla eſt, patet. Licet quo vultis, iter facere, latiſſima vobis feci habitandi ſpatia. Sic Druſius, Grotius, aliique. Vacillat Hieronymus. Inter Hebræos Kimchius hæc dici vult de Judæis, qui Babylone habitabant cum reſpectu ad Iſraëlitas decem tribuum, per omnes Orientis & Sepentrionis regiones diſperſos: acſi diceret. Ad vos me verto, Judæi, qui

in

in tractu Babylònico ſedes fixiſtis, Cananææ proximas, quibus facilius fuerit huc redire, & habitationes veſtras in Patriam tranſlocare: nam quod ad cœteros attinet, qui diſperſi ſunt in Aſſyriam, Perſiam, Mediam, Armeniam, aliaqùe loca, illi tam remote tum à Patria tum à ſe ipſis abſunt & diſtant, ut hactenus non ſatis opportunum videri queat, ad reditum illos exhortari, tam, ait, *remote*, ut Oriens ab Occidente, & Occidens & Meridies viciſſim ab hiſce cæli plagis diſtant. *Venti* enim hic ſunt plagæ cœlorum, ex quibus venti ſpirant. Obſtat interpretationi, quod nulla hic ἀντίθεσις, qualem ipſe fingit inter Babylonios & Aſſyrios Iſraëlitas, hic occurrat. Armenia, Media, Aſſyria ſtylo Prophetico, & hiſtorico quoque, nomine rectiſſime *ſeptentrionis* veniunt, æque ac Chaldæa. Imo etiam Elymais & Perſia Jer. XXV: 25. L: 3. LI. 48. Nulla itaque ratio eſt, quare generali appellatione hic magis incitarentur Babylonii quam Aſſyrii Medique, quorum commune erat exilium. Proximior Palæſtinis vere erat Chaldæa; ſed cujusque exulum erat diſcernere, quæ ſibi commoditas eſſet & occaſio hoc officium exequendi. Quid itaque? Eſtne hic concedendum in illorum Interpretum ſententiam, qui putant hic agi de amplis latisque terrarum ſpatiis, quæ Deus, apertis carceribus Babylonicis, hoc ipſo tempore Populo ſuo indulgebat? ut dicere velit Angelus. Aperti hoc tempore ſunt carceres, qui vos concludebant. Orbis totus quam late patet, veſter eſt. Nullus locus vos excludit. Capio ſenſum; ſed, ut puto, huic loco non convenientem. Primo enim, actus Divinæ Providentiæ, quo Deus Populum Iſraëlis *diſperſiſſe* dicitur, ſive *expandiſſe*, (quæ vera ſignificatio eſt vocis פרש) dicitur, in omnes terræ oras ſive climata cæli, non ſumi-

tur in Scriptura unquam in bonam partem. Eſt actus Dei *Judicialis*, oppoſitus actui gratiæ, quo Deus Populum per varias terras diſperſum colligere & congregare dicitur. (a) Nec tantum themata, פוץ & זרה ſic uſurpantur; ſed & ipſum noſtrum פרש, ut liquet ex Ezech. XVII: 21. ubi de copiis fœdifragi Regis Tſedekiæ: והנשארים לכל רוח יפרשו *Et reliqui in omnem ventum diſpergentur.* Deinde, non perſpicio, quo commodo ſenſu diſperſio ſecundum cœlorum plagas poſſit eſſe *Bonum Judæorum*; quod ſane erat tranquilla & fortunata poſſeſſio Palæſtinæ. Non per *alias terras*, cum *Palæſtina comparandas*, Ægyptum, Syriam, Babylonem ipſam, habitare, illis reputabatur in beneficium: ſed in ipſa habitare Palæſtina. Ipſe nexus orationis id oſtendit. *Fugite* ex Babylone, ait Spiritus, ... & conferte ac recipite Vos in Canaanæam, ut una cum cæteris gaudeatis bonis, quæ Deus fratribus veſtris deſtinavit. Quid itaque? Oratio Prophetæ eſt imperfecta & ellyptica; habetque hunc ſenſum: Fugite quanto ocyus Babylone & deſerite Chaldæam. Etiamſi enim Deus vos diſperſerit per omnia climata cœli; *eſt tamen* Deo propoſitum Vos rurſus congregare & colligere, Vos, per alias terras disjectos diſſipatoſque convocare in terram *veſtram*, imo *ſuam*, ut ibi *Perficiat opus ſuum* in *Monte* Tſion. Secundum quam interpretationem vocem כי hic optime verteris, *licet*, *etiamſi*; quæ ſignificatio ei frequentiſſime adjcacet. (b) Ego, ait Dominus, Vos hortor, ut redeatis in Patriam, & Vos quanto ocyus proripiatis Babylone, etſi per omnes cœli cardines Vos diſſipaverim. Non enim id eo factum, ut in terris illis exilii veſtri ſemper

(a) Jeſ. XXXI: 19. Ezech. V: 10. &c. (b) Jeſ. LIV: 6. Pſ. XLIV: 20.

per permaneretis: ſed ut lapſo tempore Divinæ indignationis ad Veſtra reverteremini.

Alter articulus Apoſtrophes idem fere ſonat, & eodem tendit vs. 7. *Heus Tſion, quæ habitas Babylone. Filia Babel* eſt ipſa Babylon, ad quam hic directe reſpicitur; ad quam phraſin alibi (a) neceſſaria adſcripſi. Incolarum, quos quæque Urbs habet, ipſa cenſetur eſſe *μήτηρ mater*. Incolæ Filii, ex ea & in ea nati. *Filia* dixerim, reſpectu *Communitatis*, Societatis cætus, quæ debilius genus ſequuntur. In conſtructo יֹשֶׁבֶת בַּת בָּבֶל *habitatrix Filiæ Babylonis* nihil vitii eſt. Phraſis eſt integra, nec indiget ſupplemento. Id itaque unum eſt, quod moneam; eſſe in utroque articulo hujus Apoſtrophes aliquid Propheticum, hic neutiquam negligendum. Notiones נוּסוּ FUGITE & הִמָּלְטִי ERIPETE docent nos non obſcure, imminuiſſe Babyloni hoc tempore magnam calamitatem. Eſt autem hæc ipſiſſima illa clades ſive calamitas, quam experti ſunt Babylonii ſub Dario Hyſtaſpis Filio, non longe poſt inſtauratum Templum, de qua clade tanquam de ſecundo gradu interitus Babylonis, ſcripſi neceſſaria ad Jeſ. XIII. Part. I. p. 420. (b) Dubium non videtur, quin Babylonica defectio ipſorum ſit imputanda ſuperbiæ, cum grave eſſet ſubeſſe imperio Perſarum, maxime cum Urbem poſſiderent, aſtu ſibi à Cyro ereptam, quæ totius Orbis metropolis ob excellentiam eſſe & appellari merebatur, cujusque munitiones, ſi ſatis à commeatu eſſet inſtructa, humanis viribus illudere poſſe videbantur. Acceſſit, quod Darius neglecta & veluti ſpreta Babylone, Suſa elegerit ſedem imperii. Moliti igitur rebellionem jam ab initiis Darii, ut exerte Herodotus, conſilia ſua longum tempus clam pro-

(a) In Jeſ. Part. 2. p. 293. a. &c. (b) In *Implem.* Prophetiæ.

mota, usque occulta habuerunt, donec paratis omnibus in publicum eruperunt. Quod quo factum imperii ipſius anno, non niſi ἐν πλάτει definiri poteſt. Absque omni dubitatione accidit poſt abſolutum ædificium; nempe hoc eſt, annum Darii ſextum vel ſeptimum; & *nulli tamen* certi ſunt in hiſtoria characteres, ex quibus id clare evincas: rectius tamen ſecundum hiſtoriam matures quam protrahas: ut ſi poſt Petavii, Uſſerii, Simſonis, & noviſſime Prideauxii diſputationes, cæpiſſe defectionem dicas Anno octavo & terminari poſt undeviginti menſium obſidionem anno *ejusdem nono vel decimo, (ut Chronologia* Herodotiana poſtumæ Editionis non male locare videtur,) non longe à vero deerraturus ſis. certe erraveris absque periculo. Darius vero aſtu Zopyri tandem victor Babylonis ſeveriſſimum in eos ſtatuit exemplum, *tribus millibus cruci ſuffixis, dirutis Urbis muris, ejusque portas amolitus;* quibus pepercerat Cyrus. Quandoquidem vero Babylonii ſcelerato & plane inhumano conſilio fœminas in Urbe omnes ſtrangulaſſent, exceptis matribus, una tantum piſtrice cuique domui ſervata: eo tandem miſeriæ ſplendida hæc Urbs redacta eſt, ut aliunde fœminæ ad Urbem exhauſtam Populo inſtruendam advocari cogique debuerint. Nota hiſtoria ex Herodoto, (a) Juſtino, aliisque. Ad hanc calamitatem hic reſpici putem: neque hic tantum, ſed & in locis analogis ejusdem ſenſus & argumenti, myſticum ſenſum non excludentibus Jeſ. XLVIII: 20. Jer. L: 8. LI: 6. 45. At in hac apoſtrophe præter literalem ſenſum nihil ſector.

Deficit manus Auctoris.

ME

(a) Lib. III. c. 15 ſqq.

MEDITATIONES IN VISUM ZACHARIÆ PROPHETÆ.

DE

Candelabro, æternum lucente, ex Oleis duabus lateri ejus adhærentibus in Perpetuum uſum inſtructo, ex Zach. IV: 1. ſqq.

I. INter Viſa, quæ Zachariæ Prophetæ obtigerunt, ſumma animadverſione digna, eximium merito habetur, quod occurrit Cap. IV: 1. ſqq. de Candelabro ſeptenis lampadibus lucente, & ex duabus oleis utrimque ei imminentibus in perpetuum uſum inſtructo. Obtigit illud Prophetæ ordine quintum die 24. Menſis *Undecimi*, Schevath Anno Darii Regis ſecundo. Propheta Zacharias veluti in interiora Divini Sanctuarii miſſus extra ſe raptus, &, ut ecſtatici ſolebant, validiſſimis corporis motibus agitatus, jam videri poſſet ſuperioribus Revelationibus ſaturatus & laſſatus: certe habuit in iis materiam ampliſſimæ meditationis, & poterat acquieſcere in gratia, qua Deus illum dignatus fuerat. Nec tamen ſpiritus illum dimiſit. Quin Angelus Interpres & Comes, qui Prophetæ aderat, illum ſtupentem, & inſtar dormientis, mente profunde

demiſſa ac defixa in meditationem magnarum illarum rerum, quæ imaginationi ejus objectæ fuerant, *excitat* tanquam è *ſomno & ſtupore*, & ad nova παραδοξότερα illuſtriora, quam hactenus viderat, videnda excitat. Sic ipſe vs. 1. Aperit igitur oculos, & *vidit*, rem mirabilem altiſſimæ meditationis. Aperiamus etiam nos oculos cum Propheta; & quod nobis hic contemplandum exhibetur, cum ipſo videamus, admiremur, meditemur. Deprehendemus, eſſe emblema divinum, meditatione noſtra dignisſimum, & meditatione accuratiore

II. In Viſi hujus pertractatione quatuor uſu venient obſervare, & expendere. Primo Viſum ipſum, ſive emblema Propheticum, ut imaginationi Prophetæ à Spiritu S. objectum eſt, eſt cognoſcendum. Secundo, ſcopus ejus, ſi qui in ipſa Prophetia extet, indicandus erit. Tertio, *interpretatio ejus facienda eſt* myſtica, ſecundum analogiam rerum ſpiritualium. Quarto denique, interpretatio myſtica & ſpiritualis cum ſcopo eſt comparanda. Sic hoc in loco procedendum eſt, quia ſcopus ab ipſo Angelo Interprete in Prophetia declaratur, quod ubi *fit*, commodiſſimum accidit. Sed cum in aliis Viſis ſæpe contingat, ut ſcopus eorum ab ipſo Spiritu in Prophetia non declaretur: Scopus ex ipſa interpretatione myſtica colligendus eſt; quando inveſtigatio Scopi tertium locum in interpretatione occupat.

III. Quod ad primum attinet: Viſum ipſum, ut Prophetæ exhibitum eſt, rem facit complexam, quæ tamen commode in duas partes reſolvitur. Primo occurrit ſubjectum Viſi proprium & verum, quod eſt Candelabrum aureum cum variis inſtrumentis ei in myſtico hoc emblemate eleganter aptatis. Secundo, Adjunctum hujus Can-

dela-

delabri, quod faciunt duæ Oleæ, ei utrinque imminentes, cum duobus illuſtrioribus ramis, ex iis prominentibus, & in præla Lecythi Candelabri demiſſis, ut ex ſequentibus clareſcet.

IV. In Candelabro ipſo, quod proprium facit hujus Viſi ſubjectum, cum partibus ei in hoc Emblemate aptatis, ſequentia occurrunt ex integra oratione Prophetiæ hujus excerpenda. Primo, *Candelabrum totum aureum*, vs. 2. ſc. cum baſi, & ſcapis, & calamis ſex, utrinque tribus ſcapo, & ſcapi ac calamorum ornamentis adjunctis, ad exemplar Candelabri aurei in Tabernaculo, Exod. XXV: 31. ſqq. β. Lampades ſcapo & calamis impoſitæ ſeptem, quæ dicuntur נרות vero & proprio ſuo nomine, vs. 2. *Et ſeptem lampades ejus ſuper eam.* Vaſa ſc. olei capacia, à fronte lucem præferentia. γ. Lenticula ſive Lecythus Candelabro ſuperpoſitus, & per tubulos cum lampadibus cohærens, de quo *verſu* 2. וגלה על ראשה *Et lecythus ſuper caput ejus.* Vox גלה, à גלל *volvere*, *circumvolvere*, hic notat *lenticulam*, *diſcum*, ſive vas majus, latius, capacius, continens oleum, quod per tubulos in lampades influebat. δ. Septem *tubuli*, ſive fundibula, per quæ oleum ex *vaſa* ſive *diſco* magno deſſuebat in lampades, & per quos *diſcus* cum ipſo corpore Candelabri connectebatur. Videlicet cum lampades à latere lumen ſpargerent, hi tubuli ex diſco recta in medias lampades, ſuperne tectas, deſcendebant. Vocatur vero & proprio ſuo nomine מוצקות, vs. 2. ε. *Præla*, immiſſa in Vas ſive diſcum, & lenticulam, in quibus oleum ex olivis exprimebatur. Eorum non eſt explicata mentio in prima deſcriptione Candelabri, ſed occurrunt, vs. 12. *Et reſpondi* ſecundo & dixi, quinam ſunt illi *termites olearum*, *qui ſunt in manu duorum prælorum*

lorum aureorum, quæ à ſe profundunt oleum, ſic recte vertimus vocem צנתרות.

V. Adjuncta hujus Candelabri duo ſunt, primo duæ Oleæ utrinque ei ad latera imminentes; dein duo termites, ſive rami illuſtriores ex his Oleis. *Et duæ Oleæ apud eam.* Arbores notiſſimi uſus & fructus, qui in præla aut torcularia miſſi oleum exhibent. De poſterioribus vs. 12. *Quinam illi ſunt duo* שבלי הזיתים *termites olearum qui ſunt in manu* ſive *ſpatio* duorum *prælorum aureorum.* Res ita concipienda eſt, ut ex oleis utrinque prominuerint duo illuſtriores rami, qui graves olivis incubuerint in duo illa præla. Sic conſtat Viſum ſuis partibus, ut in eo nemo temere & gravius erret.

VI. Cognito Viſo inveſtigandus eſt ejus ſcopus. Equidem poterat hoc loco Scopus ex ipſius Viſi interpretatione colligi, cum Viſi interpretatio videri nequeat difficilis rerum ſpiritualium. Sed Spiritus Dei nobis hic ſuccurrit. Indicat ſcopum vs. 6. Cum enim Zacharias defixus in meditationem illuſtris hujus emblematis, quæſiviſſet illius interpretationem, de qua mox videbimus: Angelus Comes contentus fuit ei demonſtrare clavem interpretationis, his verbis: *Et reſpondit & dixit mihi his verbis: hoc eſt Verbum Jehovæ ad Zerubabelem, dicendo: Non ſtrenuitate, neque vi, ſed Spiritu meo, inquit Dominus exercituum. Quis tu es mons magnus? coram Zerubabele evades æqua planicies: & producet lapidem ſummum*, ſive capitalem, cum *acclamationibus, gratia, gratia ejus.* Quæ verba, in ipſa applicatione Viſi à nobis latius declaranda, in hunc exeunt ſenſum: Eccleſiam non pendere à conſilio, induſtria, viribus & ope humana, ſed à ſolo Spiritu Dei, qui eam ſecundum Volutatem Divinam agitet, animet, res ejus

pro-

promoveat; in eam jugiter influat ſuo lumine & gratia; ſua vi, auxilio, cura eam ſuſtineat, absque humana vi & procuratione: quando itaque Spiritui Dei hoc tempore propoſitum ſit, per manus Zerubabelis ſtructuram templi hujus externi perficere & ad exitum perducere; nullam vim hominum eum conatum impedire poſſe, & impedimentum, quod huic operi videbatur obſtare, magnum illud ac vaſtum Imperium Perſicum, quod hic occurrit inſtar montis, huic operi objectum, è medio remotum iri, h. e. evaſurum in æquam planitiem, & ad operis hujus abſolutionem concurſurum, arcana & inviſibili Providentia Spiritus S. Rurſus, cum Deo propoſitum fuerit, Templum ſpirituale & myſticum in Mundo per Chriſtum Jeſum erigere, cum videbatur impedimentum objiciendum eſſe à magno monte Romani Imperii, facturum eſſe Spiritum S. ſua arcana & inviſibili providentia, ut Mons ille evadat in æquam planiciem, ut curſui & profectui Euangelii non obſtet, ſed eum promoveat.

VII. Hic ſenſus eſt verborum Angeli Interpretis, quibus plura ejus generis ſubjiciuntur. Quam ejus ſententiam ſi nos à ſenſu reſtricto revocemus ad ſenſum abſolutum, & cum myſtica interpretatione partem hujus Emblematis comparemus, deprehendemus tandem Scopum hujus Viſi abſolutum & generalem eſſe, ut doceat, Deum in Mundo habere Eccleſiam, quæ in Mundo tanquam in tenebris luceat; eam lucem à Spiritu S. per duas oleas figurato, incenſum, ab eodem ſpiritu Dei perenni influxu foveri, procurari, conſervari per media ad id ab ipſo ordinata, quæ hic cum prælis, lecytho, & tubulis comparantur; ut Eccleſia nunquam in Mundo defectura ſit, ſed difficillimis etiam Mundi temporibus & Eccleſiæ ſta-

tibus, inter ingentes Mundi mutationes & impedimenta operi gratiæ objecta, ſemper conſervanda, ſuſtentanda inſtruenda ſit, & in mundo datura ſit lucem. Qui ſcopus Viſi conſolatorius & doctrinalis animadverſione digniſſimus ex ſingularum partium inſpectione nobis lucidius clareſcet.

VIII. Sic quidem cum Propheta habemus clavem in manibus, qua uti poſſumus in hoc Sanctuario reſerando. Et tamen Spiritus multum reliquit ejus noſtræ inveſtigationi: quæ inveſtigatio ob emblematis præſtantiam operam curamque noſtram meretur. Sane *patet, Zachariam Prophetam magna affectum fuiſſe cupiditate* hujus myſterii cognoſcendi. Cum enim primo quæſiviſſet ex Angelo comite, vs. 4. *Quid hæc ſibi volunt, Domine?* poſtquam Spiritus illi generalem Viſi ſcopum declaraſſet, *oculos* convertens ad *duos termites* olearum imminentes *prælis* effundentibus oleum, nec mox cognoſceret, eorum interpretationem myſticam, rurſus quæſivit, vs. 12. *Quænam illa ſunt:* meritus ab Angelo poſt clavem Viſi traditam ob ſtuporem ſuum oblique & leviter reprehendi. *An non noſti*, inquit vs. 13. *quænam illa ſunt?* qui proinde, ut diligentiam ejus excitaret ac provocaret, generalibus tantum in hac parte Viſi interpretanda defungitur. Propheta in his geſſit imaginem hominum, qui ad res Spirituales contemplandas ſe excitant. *Sunt* per naturam carnales & ſenſuales, atque adeo opus habent à Spiritu S. tanquam ex ſomno excitari, ut ſe ad ſpiritualia contemplanda applicent. Sed excitatis jam & avidis rerum ſpiritualium cognoſcendarum non mox liberantur ab omni ἀνοησίᾳ & ſtupore. Non mox liberati ſunt ab omni ignorantia, nec apti emblemata omnia ſpiritualia interpretari. Neceſſe habent ſe diligenter exercere in

me-

meditatione. rerum ſpiritualium, ſpiritualia cum ſpiritualibus conferre, & vero Deum ipſum per preces adire. & petere ut eos doceat, quænam illa ſint. Quod ſi nos cum Zacharia fecerimus, Deus nos lumine & gratia ſua non deſtituet.

IX. Accedo itaque ad tertium, h. e. interpretationem Viſi: ubi hunc ſervabo ordinem. α. Inveſtigabo Myſticam ſignificationem Candelabri. β. Olearum. γ. Mediorum, per quæ Oleæ oleum cum Candelabro communicant: quæ quidem tria ſunt, ut ſuperius monui, *præla*, *Lecythus*, & *tubuli*. In emblemate viſi ipſo hæc *tria media*, per quæ *oleum* cum candelabro communicatur, conſideravimus ut *partes Candelabri*, quia cum *Candelabro* cohærent: atque adeo Viſum totum recte diſtinximus in duas partes æquas, *Candelabrum* cum cognatis, & *Oleas* ei utrimque adjunctas: ſed cum adhærentia Candelab. veluti *præla*, *lecythus* & *tubuli* in contemplatione myſtica nobis occurrant ut *media*, per quæ Oleum ſpirituale cum Candelabro myſtico communicatur, quemadmodum ex ſequentibus liquebit: recte videmur inſtituere, ſi præſcriptum nobis meditationis Ordinem ſequamur.

Pars prima Meditationis, *Candelabrum* cum partibus ejus eſſentialibus.

§. I. Baſis totius hujus Viſi ea eſt res, quæ vs. 2. dicitur, *Candelabrum aureum totum*. Id primum incurrit in ſenſum Prophetæ. Reliqua ad myſterium hujus Candelabri perfecte intelligendum pertinent.

§. II. In Candelabro aureo exponendo aſſumo duas hypotheſes. Primo, per *Candelabrum aureum* intelligi Eccleſiam Catholicam, ſocietatem electorum, credentium ad ſpem Vitæ æternæ vocatorum per verbum gratiæ, ut à Deo jugi in-

influxu gratiæ & ſpiritus ſui in Mundo ſuſtinetur & ſuſtinebitur usque ad conſummationem ſæculorum. β. Myſtico ſenſu reſpici Eccleſiam Dei in Mundo, ut ſe habuit afflictis temporibus, quibus cum omnia circum circa tenebræ eſſent & in tenebris verſarentur; Deus Eccleſiam ſuam nihilominus per præſtantes Viros procuravit ac ſuſtinuit. Utriusque hypotheſios demonſtratio non eſt longe petenda.

§. III. *Candelabrum* eſſe ſymbolum Eccleſiæ, quod hic ſuppono, nemini videri queat paradoxum. Conficiam demonſtrationem ordine. *Cum Johannes in Apocalypſi* vidiſſet Chriſtum Jeſum in medio ſeptem Candelabrorum: Chriſtus Jeſus ipſe id myſterium ita declarat Cap. I: 20. *Et Candelabra illa ſeptem, quæ vidiſti, ſeptem Eccleſiæ ſunt.* Sive hic intelligantur *Septem Eccleſiæ* Aſiæ ex primo & literali ſenſu; *ſive Eccleſia* una Catholica, ſe oſtentatura ſeptem temporum periodis: mihi nunc perinde eſt. *Sufficit* mihi nunc Candelabrum eſſe ſymbolum Eccleſiæ.

§. IV. Ubi rem in ſe inſpicio, video mox conformitatem ſummam inter Candelabrum & Eccleſiam. *Candelabrum*, quale hic occurrit, nixum baſi, diviſum in ſeptem ramos ſive calamos, ex baſi exſurgentes, præferentes ſeptem lampades, vere & actu lucentes, non poteſt tantum, verum etiam debet, ſignificare Corpus quoddam ſubjectorum rationalium, quæ myſtico ſenſu dici poſſunt *lucere* & *alios illuſtrare*; & quidem mediante *oleo*, cum iis communicato per Spiritum S. Ejusmodi vero ſocietas cum quæri non poſſit, niſi inter homines: inter homines autem quæri nequeat, niſi in Eccleſia, quæ tota præſtat homines fide, ſapientia, ſanctimonia, lucentes & alios illuſtrantes: non eſt dubium, quin Candelabrum faciat pulcherrimum em-

emblema Eccleſiæ. Ita aio, nulla res eſt in Mundo, cui attributa omnia conveniant.

§. V. Tantum itaque hic quæritur, an Eccleſia hic deſignetur particularis aliqua, num potius Catholica, univerſalis. Id vero dubium facile diremptu eſt. *Candelabrum* hic exhibetur unum, non plura: ac proinde per *Candelabrum* recte intelligitur Eccleſia univerſalis ſive Catholica, inter cujus attributa eſt unitas. Etiamſi enim non negem, poſſe Eccleſias quasque particulares appellari totidem *Candelabra*: cum tamen hic unum occurrat *Candelabrum*, & cum conſtet, omnes Eccleſias particulares uniri in Eccleſia univerſali, ipſa ratio ſuadet, hic cogitare de Eccleſia univerſali, non de particularibus. Perinde hic ſe res habet, ut cum Candelabro Tabernaculi. Unum erat à Deo in prima ſacrorum inſtitutione ordinatum: ſed cum Salomo in Templum intuliſſet decem: decem illa Candelabra idem ſignificabant, quod unum Tabernaculi. Sed ſingula ex aliis emblematis partibus. Nos meditationem ita inſtituemus, ut à ſimplicibus progrediamur ad compoſita.

§. VI. Primo, Candelabrum eſt res in mundo, quæ lucet. *Lux* ſymbolum eſt *cognitionis*, ſapientiæ, *ſanctimoniæ*, *lætitiæ*: *cognitionis*, non qualiscunque, ſed ſalutaris, quæ eſt cognitio viæ ſalutis, à Deo revelatæ. *Sanctimoniæ*, non quæ conſiſtit in externa puritate morum, ſed interna puritate mentis; non ſane lætitiæ externæ, vagæ, corporalis, ſed internæ, veræ, ſpiritualis: perinde ac *tenebræ* ſymbolum præſtant *ignorantiæ*, impuritatis & concupiſcentiæ, & malæ conſcientiæ. Nihil notius eſt ſtylo Scripturæ S. & gentium quoque. Vide Pſ. 43. 3. 97. 11. Jer. 45. 7. 1 Theſ. V; 5. 1 Pet. II; 9. Sed ad rem noſtram

 nunc

nunc facit locus Dan. V: 11. 17. *In te, ſc. Daniele, inventa eſt lux, & ingenium & ſapientia.* Comparatio eſt naturalis. Ut enim *lux* emblema eſt *veritatis*, ſe manifeſtantis ad conſcientiam, ad ſanctimoniam, conſolationem & lætitiam, Epheſ. V: 13. perinde ſe habet qui *veritatem ſalutarem* in ſe habet, eamque intellectu ſuo comprehendit ac dijudicat. In eo *lux* eſt, is *lucet*. Habet enim in ſe lucem. At qui lucem in ſe habet, lucet. Eſt autem hoc attributum ſolius Eccleſiæ. Eccleſia unica non mundo ſubjectum eſt, quod *lucet*, h. e. eſt, quod in ſe habet principium *cognitionis ſalutaris*, *ſanctimoniæ* & veræ conſolationis ac lætitiæ. *Doctrina* enim & cum *doctrina* ſcientia ſalutis eſt in ſola Eccleſia. Extra eam ſunt tenebræ.

§. VII. Eccleſia non eſt tantum res, quæ *lucet*, verum etiam quæ *illuſtrat*. Eſt corpus lucentium, illuminatorum, & illuminantium hominum. Lux omnis, ubicunque eſt, per naturam ſuam apta eſt illuſtrare, & in hunc uſum eſt ordinata: nec tamen lux omnis illuſtrat ſive uſum illuſtrandi actu obtinet, ſive quod mortales ea non indigeant: ſive quod à nobis nimis remota ſit. Sed alia ratio eſt *Candelabri*, ſive *lampadis*, quæ nunquam accenditur, niſi ut actu illuſtret. Eſt lampas ex inſtituto & uſu ad id facta, ordinataque, ut alios actu ipſo illuminet & illuſtret. Sic Dominus ipſe Matth. V: 15. *Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſubter modium: ſed in Candelabrum, ut ſplendeat omnibus qui ſunt in Domo.* Atqui hic eſt character Eccleſiæ. In Eccleſia *lux* eſt, hoc eſt, notitia veritatis ſalutaris, quæ facere poteſt ad ſanctimoniam & conſolationem: ſed ea *lux* in Eccleſia publice præfertur & oſtentatur in hunc finem, ut illuſtret mundum, qui eſt in tenebris. Non tantum enim in Eccleſia eſt inſtitutio publi-

bli-

blica adminiſtrata à perſonis publicis, ut mox dicam: ſed omnes illi, qui ad corpus Eccleſiæ vere pertinent, id agunt verbis factisque ſuis, ut lucem quæ in ſe eſt, in aliorum uſum & commodum præ ſe ferant ac oſtentent. Ita Dominus Matth. V: 16. *Ita ſplendeat lux veſtra hominibus*, &c. Phil. II: 15. *Ut ſitis irreprehenſibiles & ſimplices Dei filii, inculpabiles in medio Gentis pravæ ac perverſæ, inter quos ſplendetis, ut φωστῆρες faces in mundo.* Imo vero hic character Eccleſiæ ita eſt proprius, ut extra eam nullibi reperiatur. Nullibi lux eſt: nullibi illuminatio vera, niſi in Eccleſia & per Eccleſiam.

§. VIII. Candelabrum eſt res *lucens* & *illuſtrans* per medium *lampadis* vel *lampadum plurium*; cujus generis eſt candelabrum noſtrum, quæ ſe in alto oſtentant, quarumque lux alitur & fovetur ex oleo lampadibus contento. Id omnibus notum ex communi Lychnuchorum uſu, patetque ex deſcriptione Candelabri in ſuperioribus exhibita. Atqui hic character rurſus ita proprius eſt Eccleſiæ, ut extra Eccleſiam nullibi reperiatur. *Lampades* in genere ſunt emblemata omnium credentium, qui in ſe habent *oleum* myſtice ſic dictum, & qui mediante *oleo* myſtico iis contento apti ſunt *lucere*. Lampas enim eſt vas capax olei, & mediante oleo lucens. *Oleum* autem myſticum eſt *gratia Spiritus S.* qua animus illuminatur ad veram Dei cognitionem, & inſtruitur ad ſanctimoniam & conſolationem: ſive, quod idem eſt, vera *fides* in homine producta per gratiam Spiritus S. Vera autem fides involvit certioratam intelligentiam myſteriorum fidei. Certa ejus eſt demonſtratio ex parabola Matth. XXV: 1. 4. Ubi vera Eccleſia, falſæ *contradiſtincta*, *comparatur quinque* virginibus prudentibus, quæ ſecum ſumpſerant oleum in lampadibus ſuis, h. e.

ſecum

ſecum attulerant veram fidem. Imo etiam ex re ipſa. *Oleum* in lampadibus eſt immediata cauſa *lucis*. quod idem eſt effectum gratiæ Spiritus S. qui in animo habitat per *fidem*, & veræ *fidei intelligentiam*. Nulla ſanctimonia vera, *nulla lætitia*, & conſolatio, & nulla ſapientia vera, *abs*que *fide*; nulla fides vera & viva absque intelligentia doctrinæ ejus. Ergo ubi gratia illuminans Spiritus S. & vera fides animum hominis occupant, ibi eſt *oleum*. Rurſus, oleum eſt effectum & productum *olearum*. quas *oleas* cum mox viſuri ſimus hic figurare Spiritum S. ſimul videbimus, quam concinne gratia *Spiritus S. comparetur oleo*. *Denique oleum* nobis exhibet liquorem purum, clarum, limpidum: qui olei eſt character: figurat Doctrinam veritatis claram, puram, liquidam, ſolide demonſtratam. Reliquæ proprietates olei hic non reſpiciuntur; eſtque in allegoricis & myſticis *tractandis* eo præcipue reſpiciendum, ne aliena adferantur. Atqui *lampas* cum ſit vas olei capax & in hunc finem ac uſum facta: quam vere & appoſite nobis figurat animam hominis, capacem intelligentiæ myſteriorum fidei, & fidei ipſius hac intelligentia ſubnixæ, ac Divinæ gratiæ, per quam fides producitur. Sola res in terris, hujus gratiæ capax, eſt homo ſecundum partem ſui rationalem. Da itaque mihi *animum* hominis, in quo verbum Dei copioſe *habitat cum omni ſapientia*, Col. III: 16. & oſtendam tibi *lampadem impletam oleo*. Verba Ap. Col. I: 9. *Ut impleamini agnitione voluntatis ejus cum omni ſapientia ac intelligentia ſpirituali*: idem valent, acſi dixiſſet, ut ſiatis lampades impletæ oleo.

§. IX. Cæterum cum Miniſtrorum publicorum & Doctorum Evangelii præcipue ſit, ſe inſtruere ſolida intelligentia verbi Dei, & vera fide, ac gratia Spiritus S. ut lu-

lucere ipſi, & aliis prælucere poſſint, doctrina & moribus, quisque facile per ſe intelligit, illis præcipue in Eccleſia convenire nomen *lampadum*. Sic D. Matth. V: 14. *Vos eſtis lux mundi.* Ita ſane ubi ſeptem Candelabra à Joanne viſa dicuntur figurare *ſeptem Eccleſias*, Ap. I: 20. utique illud dicitur de Eccleſiis cum reſpectu ad doctores publicos in iis lucentes. Sic enim ibidem loci Dominus: *ſeptem illæ ſtellæ*, quas vidiſti, ſc. in manu filii hominis, *Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum.* Videlicet tota Eccleſia ſe oſtentat in ſuis Doctoribus. Hi præferunt Eccleſiæ toti & aliis extra Eccleſiam lucem. In iis & per eos publice lucet Eccleſia

§. X. In his vero Doctoribus præcipue obſervatur attributum lampadum modo notatum, quod in *alto* ponantur, & in alto atque ex alto luceant. Fateor, id omnium eſſe credentium vera fide inſtructorum. Illi ſe in mundo ita gerunt, privati licet, ut alii illos obſervent, & veluti ex alto contemplentur. Qui enim fidem veram ſtudio ſanctimoniæ ornat, incurrit in aliorum oculos. Sic Dominus Luc. XII: 15. *ſint lumbi veſtri accincti & lampades veſtræ ardeant.* Et tamen nemo negat, id præcipue convenire doctoribus, quorum officium eſt docere, & quidem locis eminentioribus, cathedris, ſuggeſtis, ut pluribus uſui ſint. Dominus illuc manifeſte alludit, Matth. V: 17. *Neque incendunt* lucernam & *ponunt* eam *ſubter* modium; ſed *in Candelabro, ut luceat omnibus qui ſunt in Domo.* Inde Dominus de Joanne Baptiſta, Joh. V: 35. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Emblema eſt vulgati uſus, nemini obſcurum.

§. XI. Quarto loco: Candelabrum hoc noſtrum eſt res lucens & illuſtrans, nixum baſi. Id fere proprium eſt Candelabris. Candelabra habent baſin, qua nituntur: ſed in-

primis majora, ſe diffundentia in plures ramos, ſive calamos. Requirunt rem ſolidam, firmam, quæ baſis ſive ſtylobates dicitur. Symbolum eſt ejus, quo Eccleſia nititur, quodque eam ſuſtinet. Eſt utique aliquid in Mundo, quod Eccleſiam ſuſtinet, & ex quo tanquam ex baſi enaſcitur, & quo tanquam baſi nititur: eſt nempe *Decretum* ſive Teſtamentum gratiæ, cujus vi Eccleſia in mundo eſt, & æternum ſubſiſtet. Si Verbum Dei conſulimus, id, quo Eccleſia nititur, varie demonſtrat. Modo potentiam Dei Patris & Chriſti, Joh. X: 28, 29. modo Chriſtum Jeſum, *fundamentum Eccleſiæ, baſin, Epheſ. II: 20, 21.* modo Decretum gratiæ. Rom. VIII: 28, 29. Baſis Eccleſiæ eſt propoſitum gratiæ. Hac baſi nititur Eccleſia, ex hac enaſcitur, & enata eſt.

§. XII. Idem fere per *ſcapum* intelligitur, qui baſeos pars eſt: etſi de eo hic peculiaris mentio non fit. Scapus enim ex baſi proxime & medius exſurgit, & ex ſcapo calami. Quis hic non cogitet de Primogenito fratrum, qui ita eſt pars Eccleſiæ, ut ſimul ſit baſis ejus, & Princeps fratrum, in quo omnes cenſentur; per quem omnes ſanctificantur; qui omnes ſuſtinet; quique idem primum & præcipuum objectum eſt propoſiti gratiæ. Sunt hæc attributa notiſſima Chriſti Jeſu, quæ expoſitione nulla indigent. Act. IV: 12. Rom. VIII: 29. Epheſ. I: 22. *Qui ſanctificat & ſanctificantur ſunt ex uno.* Heb. II: 11. ſc. ut ſcapus cum calamis, ex eo exurgentibus. *Deus elegit nos in* Chriſto Jeſu, Epheſ. I: 4. *Ex ipſo* ſc. Deo Patre ejusque gratioſo decreto, *vos Eſtis in Chriſto Jeſu*, 1 Cor. I: 30.

§. XIII. Quinto loco: Candelabrum, hoc loco Zachariæ exhibitum, eſt res lucens & illuſtrans nixa baſi, conſtat plu-

pluribus & quidem ſeptem calamis, ex ſcapo exſurgentibus, cui impoſitæ ſunt totidem lampades. Tale nobis in ſuperioribus eſt exhibitum. Attributum hoc eſt candelabri hujus accidentale. Poteſt enim eſſe Candelabrum, quod una lampade, ſcapo ſuo nixa, luceat. Sed hoc noſtrum ad exemplum Candelabri Tab. oſtentat lampades ſeptem, totidem ſcapis ſive calamis innitentes, Exod. XXV. 22. *Septenarius* numerus, receptiſſimus in ſacris N. T., poteſt eſſe numerus multitudinis, ut ſæpe æque ac denarius uſurpatur in ſcriptis V. T. ut Deut. XXVIII: 7. 25. hoſtes per ſeptem vias fugient, 1 Sam. 2, 7. Adeo ut ſterilis ſeptem *pariat*. h. e. multos liberos, numeroſam prolem. Jer. XV: 9. Quæ periebat ſeptem. Pſ. CXIX. CLXIV. *Laudo te quotidie, ſepties ob jura juſtitiæ tuæ*. Ergo Candelabrum, ſe oſtentans ſeptem lampadibus, exhibet nobis Eccleſiam Dei univerſalem, catholicam, diffuſam per plures cœtus particulares ſuos, quosque locis & temporibus in Orbe daturos lucem: quo aſpectu Eccleſia ſe maxime oſtentare cœpit poſtquam familia Abrahami juxta promiſſa ei data excrevit in ingentem numerum, & per Canaanæam diffuſa ſe conſpiciendam dedit in pluribus cœtibus piorum, qui ſimul concurrerunt ad conſtituendam Eccleſiam univerſalem. Amplior conſpectus hujus emblematis myſtice ſumpti fuit poſt reditum ex Exilio Babylonico; quando ſenſim in omnibus Urbibus aut vicis celebrioribus condi cæptæ ſunt Synagogæ & ſcholæ, in quibus Verbum Dei publice lectum expoſitumque eſt, nec in Canaanæa tantum, ſed & extra eam per omnes fere partes culti Orbis. Et tamen non eſt dubium, quin perfectiſſimum antitypon hujus emblematis querendum ſit in Eccleſia N. T. ubi Eccleſia diffuſa eſt inter Gentes per univerſum

Orbem hujus terræ, & ſeptem diſtinctis temporum periodis, conſilio divino definitis, mundum, qui in tenebris eſt, illuſtraret. Sed id pertinet ad ſecundarium & myſticum aſpectum hujus emblematis, quem generali ejus pertractationi in fine ſubnectam. Tantum obſervemus *tria* calamorum attributa, a. ſuſtinet lampades. b. Eas oſtentat. c. Ex uno oriuntur ſcapo, ſive baſi. Symbolum eſt Eccleſiarum particularium, quæ ſuſtinent doctores publicos, eosque ad officium docendi vocatos veluti publice in cathedris & ſuggeſtis oſtentant; & inter ſe conjuncti ſunt *per unam fidem, orti ex eodem principio.*

§. XIV. Denique ſexto loco: Candelabrum hoc Zachariæ exhibitum erat res externa, corporalis, lucens & illuminans per ſeptem lampades, totum erat aureum, quale deſcribitur Cap. IV: 2. Hoc ultimum eſt Candelabri hujus *attributum hic expendendum. Aurum* eſt metallum ſolidum, durabile, fulgens, gratiſſimi aſpectus, rarum, & ex æſtimatione Gentium omnium metallorum præſtantisſimum, ac pretioſiſſimum. In univerſum itaque, ubi Candelabrum videmus aureum, in mentem nobis venire poteſt ut cogitemus, eam rem, quæ hic per Candelabrum figuratur, eſſe quid ſolidum, durabile, pretioſum, ac præſtans æſtimatione Dei ac hominum, & præſtantia *materiæ* eſſentiæque ſuæ fulgere. Et ſunt ſane hæc attributa Eccleſiæ, *quam Deus habet in mundo:* ſed quæ attributa ſpectanda ſunt in aliqua re, quæ veluti materiam & eſſentiam Eccleſiæ facit, ſi qua talis res myſtica demonſtrari queat; eſt autem ejusmodi res in mundo, quam *fidem* vocamus, quæ latius ſumpta, dicitur *amor veritatis.*

Aurum, inquam, in omnibus fere typicis eſt ſymbolum

fidei,

fidei, ſic Petrus 1 Pet. I: 7. *Hunc* canonem Judicii amplector, qui nos nunquam deſtituet. *Aurum* in omni caſu in his rebus, quæ reſpectum habent ad hominem, id quod in homine pretioſiſſimum eſt, æternum, ſolidum, quod per *ignem* h. e. per afflictiones exploratum, illi commendat pretium ac præſtantiam: *quod* ſi bonum & purum eſt, aptum eſt ſuſtinere ignem afflictionum; cui per ignem nihil perit. *Atqui* ejusmodi res eſt *fides* vera, &, ſi ad Chriſtum Jeſum transferas, *amor veritatis* ſalutaris, h. e. veræ Religionis, cognitio & intelligentia Dei cum vero amore & reverentia Dei conjuncta. *Ubi* hoc donum reperitur, ibi eſt aurum. *Hæc* ſola res eſt æterna, ſolida, durabilis, *ſola* homini verum conciliat decus, *ſola* illum conſecrat æternitati, omnium eſt in ipſo pretioſiſſimum & præſtantiſſimum. Sic ergo Arca, compoſita ex lignis Sittim pretioſiſſimi generis, *obducta* auro, figurat Chriſtum Jeſum ſecundum humanam ejus naturam ornatum *amore*, & reverentia, *Dei*, *veritatis*, Religionis, cæterisque virtutibus cum *amore* veritatis & veræ Religionis conjunctis, hominibus *fides* dicitur. Quæ fides proprium eſt attributum Eccleſiæ. Hac una re differt ab omnibus Societatibus. Quæ latius poſſemus exequi, ſi opus eſſet, aut Inſtituto conveniret. Sufficit nos demonſtraſſe, omnia attributa Candelabri hujus Zachariani convenire Eccleſiæ.

Altera pars meditationis hujus Viſi, de *Duabus* oleis, Candelabro à lateribus utrinque imminentibus.

§. I. Viſi hujus ſchema admirabile ita ſe habet, ut Propheta viderit ad latera hujus Candelabri oleas duas utrinque ei imminentes. Eſt earum expreſſiſſima mentio vs. 3. *Et juxta illud oleas duas, alteram ad dextram*, & *altera*

altera ad ſiniſtram Candelabri. Res mirabilis, nunquam in natura viſa & audita. *Candelabrum* æternum lucens oleo inſtructum ab *Oleis*, ei ad latera appoſitis.

§. II. Et, quod hic cognatum eſt, ex illa olea prodibant duo rami majores, inflexi in præla, de quibus vs. 12. intellexit Propheta, ſubeſſe huic rei excellentem ſignificationem. *Quare* ipſe ex Angelo Int. quærit, vs. 11. *Quid ſunt* illæ *duæ* oleæ, ad utrumque latus Candelabri, &, ac ſi ne ſic quidem ſibi ſatisfaceret, addit, vs. 12. *Quid ſunt* illi duo *termites*, ex Oleis prodeuntes. Angelus Interp. hic obſcurius reſpondit, quam ut Propheta aut *Eccleſia* absque propriore inveſtigatione id aſſequi poſſint. Verba ejus vs. 14. *Hi illi duo termites olearum, qui ſtant coram domino totius terræ.* Recte & vere dictum: ſed quod ipſum tamen interpretatione indiget.

§. *III. Hypotheſis* eſt, per *duas Oleas*, earumque *termites*, hic ſignificari Spiritum S. ſe per verbum & *miniſterium* excellentium Miniſtrorum, Prophetas Apoſtolorum ſive Moſis & Chriſti, ſub duabis temporum Oeconomiis ſe cum Eccleſia communicantem ad ejus inſtructionem. Ejus rei eſt faciliima demonſtratio. Per *Oleas* id intelligitur, quod eſt vera, proxima, & propria cauſſa olei. *Oleum* autem eſt ſymbolum donorum Spiritus S. ut liquet ex Jeſ. LXI: 1. pariter ex re ipſa. *Oleum* notat gratiam Spiritus ſecundum omnia ſua attributa, nemine negante. Sunt qui hic de Chriſto Jeſu cogitant & Spiritu S. ſed non perite. *α.* Quia attributa Oeconomiam characterizant. *β.* quia ipſe Chriſtus eſt inter illos, qui inſtruuntur. Quare duo? Mox dicemus.

§. IV. Tantum in applicatione hujus hypotheſios ad rem præſentem prudenter eſt procedendum, Cum enim

nim Oleæ, arboris humano generi utiliſſimæ, olim à populis maximi habitæ, ſint variæ atque nobiliſſimæ proprietatis: non pertinet hic ad rem illas commemorare; cum Spiritus S. illuc non reſpiciat in hac comparatione. Tantum hic ea oleæ proprietas reſpicitur, qua profert olivas ex quibus premitur oleum. Rurſus, ut in ſuperioribus vidimus, cum *olei* variæ ſint proprietates, veluti quod *oleum* ad corpus applicatum homines faciat agiles, expeditos, quod in functionibus, quod in inaugurationibus Regum: ſed ſolummodo, ut hoc in loco, eſt ſymbolum ejus, quod lucem dare poteſt, ſive, quod reſpiciat ut cauſſam lucis, Sic accipiendum emblema.

§. V. Ergo *oleæ* hic notant perſonam, ſi quæ detur, quam licet reſpicere ut cauſſam omnium donorum & fructuum *illuminationis*, *ſanctificationis*, *beatificationis*, *conſolationis*, quæ dona & qui fructus hic per oleas ſignificantur. Hanc vero perſonam nos intelligimus eſſe tertiam hypoſtaſin S. Trinitatis de qua 1 Cor. XII: 11. *Sed omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus* &c. Analogia doctrinæ Scripturæ nos docet, huic perſonæ Oeconomice competere, electos à Chriſto & redemptos, unum corpus facientes, ſuis donis & muneribus inſtruere, illuminare, ſanctificare, &, ſecundum phraſin SS., implere. Hic cauſſa eſt φωτισμοῦ illuminationis 2 Cor. IV: 4. Cum enim *lux*, quæ eſt in Eccleſia, ſit à Revelatione Divina: revelatio autem facta ſit Prophetis & Apoſt. à Spiritu S. per quem omnes loquuti ſunt Prophetæ: patet, illum eſſe, qui hic ſignificetur per Oleam. Ut enim ſi Oleæ non eſſent, nullum eſſet oleum in Mundo: ita plane ſe res hic habet.

§. VI. Oleæ autem hæ, quæ Candelabro utrinque imminebant, erant arbores florentes, radicatæ in terra, ob vim vitæ, quæ in iis eſt, viride & immarceſcibile folium

pro-

producentes; quorum proin uſus erat frequens, in ſolemnitatibus Veterum. Significatur Spiritus S. ut cauſſa æterna, perpetua non defutura unquam donorum illuminationis & ſanctificationis, quibus inſtruenda eſt Eccleſia. In quo Spiritu eſt *vis vitæ æternæ*, æternæ lætitiæ & gaudii, *fons* vitæ & gratiæ, quæ facit, ut homo peccator *lucere* ipſe & alios *illuminare* queat.

§. VII. Proponitur autem emblema ſchemate non unius ſed duarum olearum. Haud dubie non cum reſpectu ad ipſam perſonam Spiritus S., quam conſtat eſſe unam. 1 Cor. XII: 11. *ſed cum reſpectu ad quid aliud h. e. ad modos*, quibus Spiritus S. gratiam ſuam manifeſtat. Quid autem illud ſit, nemo rerum divinarum peritus ignorare poteſt. Placet Deo gratiam ſuam duplici modo adminiſtrare Eccleſiæ, ſub *duabus* Oeconomiis, Vetere & Nova. Gal. IV: 24. appellantur αἱ δύο διαθῆκαι. *Duo illa fœdera*, ſive *teſtamenta*. Licet autem ad Veterem Oeconomiam per nos hic quoque referre tempus promiſſionis antecedaneæ; atque adeo Patriarchale, quippe Deus jam ab initio mundi res Eccleſiæ ad id ordinarit, ut aliquando Veterem Oeconomiam inſtitueret. Quod tamen ſi cui ſit gravius dictu: dicat is, reſpici hoc loco ad tempus *promiſſionis* & Euangelii, quod nobis perinde eſt. Spiritus Chriſti Jeſu fuit in Prophetis à condito Mundo, 1 Pet. I: 11. Prophetæ & Apoſtoli. Doctores V. & N. *ſemper eodem loquuti ſunt modo*. Sed adminiſtrandi modi diverſi.

§. VIII. Ultimum attributum harum Olearum, quod ex iis prominuerint duo termites incumbentes in præla, & olivas ſuas in ea præla effundentes. Et ſane illi termites reſpici poſſunt ut attributa ac partes Olearum. Nec nos fugimus illam contemplationem: ſed potius tanquam media contemplamur.

Me-

Meditatio tertia hujus Viſi, qua exponuntur media myſtica, per quæ oleum derivatur in Eccleſiam.

§. I. Media ſunt *Termites*, *præla*, *Lecythus*, *tubuli*. Quid eſſent?

§. II. Termites hi vs. 13, 14. erant duo rami prominentiores, incumbentes in præla, & in ea mittentes Olivas.

Sunt, ut paucis abſolvam, omnes Servi Dei à Spiritu S. immediate acti & inſpirati, *qui* revelationes à Spiritu immediate acceptas, cum Eccleſia communicarunt. Qui Dei Miniſtri cum diſpeſcantur ſecundum Oeconomias temporum, in Prophetas & Apoſtolos, rectiſſime dicimus, hos ipſos eſſe illos duos *termites*, qui hic exhibentur. Epheſ. II: 20. *Superſtructi ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum*. His conveniunt attributa *termitum*. *a*. Quia, ut termites immediate ex oleis nati, & ex iis orti ſunt, ſic hi Viri tanquam à Spiritu S. acti, in quibus Spiritus Dei fuit, & operatus eſt, quique in omni ſuo actu & motu a Spiritu S. fuerunt adminiſtrati, cenſentur ex ipſo veluti Spiritu Dei orti natique eſſe. 2 Pet. I: 21. Mich. I: 8. *Sum plenus roboris* à Spiritu Dei. Hic verus illorum eſt character. Reſpondet, quod dicitur de *duobus teſtibus* vaticinantibus in *ſaccis*, Apoc. XI: 4. *Hi ſunt duæ illæ oleæ, & duo illa candelabra in conſpectu Dei poſita*. Sumitur ibi emblema in aliqua latitudine. *Oleæ* enim proprie non ſunt idem quod Candelabrum: & tamen ex analogia rerum ſpiritualium apte intelligitur. *Hæ* ſunt *duæ* illæ *Oleæ*. h. e. duo illi termites, ſive propagines conſpicuæ ex duabus Oleis natæ & ortæ, à quibus oritur lux, quæ in Candelabro ab iis utrinque procurato conſpicitur.

§. III. β ſunt *duo:* omne teſtimonium in libris V. & N. T. γ. Olivæ ab illis puræ, nondum preſſæ. Puræ revelationes. Cæterum cum omnium Doctorum immediate à Spiritu S. illuminatorum & actorum capita fuerunt *Moſes* & Chriſtus Jeſus, ille caput & Princeps Prophetarum, qui omnes vaticinati ſunt ex fonte Prophetiæ Moſis; cujusque Prophetiæ exigendæ erant ad normam Prophetiæ Moſaicæ: hic caput & Princeps omnium Apoſtolorum, qui doctrinam Chriſti Jeſu ab eodem Spiritu acti & illuminati per Orbem ſparſerunt: quid pulchrius & concinnius? quam ſub his duobis terminibus *intelligere Moſen & Chriſtum, ea σχέσει & reſpectu,* quo fuerunt Doctores, à Spiritu acti, & omnium Doctorum Principes. *Num.* XI: 15. *Matth.* X: 20. *Spiritus Patris qui in vobis* loquitur. Gal. IV: 6. *Spiritus* Filii. Eadem hic attributa, nec opus eſt repetere.

§. IV. *Alterum, quod hic occurrit, medium, duo prela.* Dicuntur illa, צנתרות הזהב *prela aurea,* vs. 12. quam ſignificationem Hebrææ vocis res illa exigit. Colligimus hoc vas habuiſſe in ſuperiore parte os latum, ſed inferiore anguſtum, ut olivæ in hoc vas cadentes ſe mutuo prementes absque ulla opera humana effuderint *oleum* purum in lecythum. Deſignantur ordinarii & gregarii Doctores & Paſtores Eccleſiæ, qui Revelationes Moſis & Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum, contentas Scriptis V. T. & N. T. ruminant, *digerunt, concoquunt, & ſuis exer*citationibus & meditationibus premunt, ut Eccleſiæ poſſint eſſe uſui. Hæc exercitatio in Eccleſia Dei ſemper fuit uſus receptiſſimi. Pſ. I: 1. Pſ. CXIX: 15. *Ego præcepta tua meditatione mea recolam, & attendam ad ſemitas tuas.* 1 Tim. IV: 13. Matth. XXI: 42. *An non legiſtis in ſcripturis.* Ap. I: 3. *Beatus eſt qui legit.* Pulchra ſimilitudo! Revelationes

Spi-

Spiritus S., ut exierunt ex ore Prophetarum & Apoſtolorum, magnam claudunt ſapientiam. Sunt plena myſteriorum. Requirunt exercitationem, qua quis dogmata illa attente relegit, meditatur, ruminat, & meditando veluti premit, ut ex iis eliciat oleum, doctrinam illam ſalutarem. Quod hic dicitur *aurum* vs. 12. h. e. Doctrina pura, ſolida, præſtantiſſima, quæ in uſum publicum ex ſcriptura colligitur.

§. V. Illud vero Oleum in Lecythum defluit. Hoc tertium Inſtrumentum eſt. Erat vas majus, ſupra Candelabrum expanſum, in quod præla ſe demittebant, quodque oleum ex prælis excipiebat. Intelligitur τὸ κοινὸν τῆς ἐκκλησίας *commune Eccleſiæ*, quod excipit fructus omnes exercitationis communium Doctorum Eccleſiæ. Videlicet *Doctores Eccleſiæ*, quæ meditationibus atque exercitationibus ſuis ex Verbo Dei ſive ex Revelationibus Spiritus S. perceperunt, mittunt *in publicum*, easque ſuas meditationes & exercitationes vulgant: idque duplice ratione, *ore* & *ſcripto*. Illud verò *publicum* ſive *commune Eccleſiæ*, in quod Doctores & Paſtores Eccleſiæ ſuas mittunt exercitationes, hic ſignificatur per Lecythum. Sunt autem α. Populus in concionem ſive cœtum coactus, ad quem habentur conciones. β. Libri, & in his Confeſſiones publicæ veræ fidei, quibus conſervatur ſumma doctrinæ ſalutaris ex Verbo Dei eductæ. Quæ Confeſſiones publicæ, quique Libri ſunt τὸ κοινὸν τῆς ἐκκλησίας *commune Eccleſiæ*, &, ut ad rem loquar, Eccleſiæ theſaurus.

§. VI. Res facili negotio intelligi poteſt ex attributis *Lecythi*. Sunt autem ſequentia. α. Lecythus hic figurat commune receptaculum veritatum cæleſtium & ſalutarium

 per

per exercitationes & meditationes ex Verbo Dei ductarum. β. quod, tanquam quid *commune*, illas veritates cæleſtes recipit. γ. Et ex quo priva Eccleſiæ membra illas veritates in uſus ſuos vertunt. Id vero ipſum eſt *ſubjectum*, quod modo demonſtravi. Qui concionem habet apud pupulum in cœtum coactum, veritates à ſe meditatas mittit *in publicum*, h. e. dirigit illas in genere ad concionem, ſive cœtum quem ante oculos habet. Qui cœtus ipſi obverſatur ſub notione τῦ κοινῦ *communis*, quod *communes* veritates illas ſalutares debet excipere & recipere. Idem plane *eſt, quod in parabola de talentis appellatur menſa*, Matth. XXV: 27. *dediſſet*, ait Dominus, *menſariis. Menſa* ibi eſt τὸ κοινὸν τῆς Ἐκκλησίας, *theſaurus* Eccleſiæ, h. e. theſaurus omnium meditationum & exercitationum, qui apud Eccleſiam eſt & apud eam ſervatur in communem omnium uſum. Sunt apud Eccleſiam *conciones*, quæ publice habentur, ubi doctrinæ in publicum mittuntur: ſunt Confeſſiones fidei doctrinam ſervantes & explicantes; eſt canon & diſciplina morum: ſunt Libri doctorum ingentis numeri ad publicam ædificationem inſtructi. Quæ omnia hic exhibentur ſub emblemate *Lecythi*, h. e. magni alicujus & communis Vaſis, ex quo quisque credentium petit, quæ ad inſtructionem & ædificationem ejus neceſſaria ſunt.

§. VII. Nihil in hac meditatione eſt, quod *non exacte* rei ipſi & experientiæ conveniat; atque adeo eam præferat. Spiritus enim Dei hic accuratiſſime exhibet omnia media, per quæ Deo placet fidem noſtram inſtruere, & animos noſtros fide imbuere. Et non nego tamen, ſub emblemate *Lecythi* hic cogitari quoque ſatis concinne & eleganter poſſe de Scriptura S., quæ tanquam Vas quoddam commu-

ne

ne complectitur omnes Revelationes ſanctis Viris olim factas; & ex qua quisque per exercitationem fidei ſuæ petit in uſum neceſſaria ad ſuſtinendam vitam ſpiritualem. Quæ ſi accipiatur interpretatio, *præla* hic ſignificare deberent *Prophetas* & *Apoſtolos*, per quos Spiritus S. revelata ſua cum Eccleſia communicat; & per quos *oleum* veluti deſtillavit per Spiritum S. Duo autem termites ſignificarent Spiritum S., quatenus ſe cum Prophetis & Apoſtolis communicat Ezech. III: 1, 2. Jer. 15, 16. Sic memini aliquando ad hoc viſum cogitare. Sed ea interpretatio minus bene convenit loco Apoc. XI: 4. & non recenſet omnia media inſtitutionis & ædificationis Eccleſiæ. Sed differentia meditationum hic non eſt magna.

§. VIII. *Tubuli*, quorum exerta mentio, vs. 2. erant perfundibula, per quæ oleum recta ex vaſe fluebat in lampades. Significant in ſenſu Spirituali *media extrema*, continua, neceſſaria, per quæ veritates ſalutares, in concionibus, Confeſſionibus, aut Libris Doctorum propoſitæ & expoſitæ ex Verbo Dei applicantur ad animam. Id quod animam hominis, olei h. e. lucis & gratiæ capacem, unit Verbo Dei, in Concionibus aut Libris publice expoſito, hic ſignificatur per *tubulos*. Sunt autem, quod neminem hic fugere poteſt, exercitationes ſpiritualis auditionis, attentionis, lectionis, meditationum, per quas credentes ad ſe attrahunt & derivant, quæ publice per Doctores & Miniſtros Evangelii in publicum mittuntur ad communem Eccleſiæ uſum. Rom. X: 17. *Fides eſt ex auditu: auditus* autem h. e. concio publice habita ad auditum relata, ex Verbo Dei. Act. XVI: 14. *Dominus aperuit cor Lydiæ, ut attenderet ad ea quæ à Paulo dicebantur.* XVII: 11. Judæi *Beraenſes receperunt ſermonem cum omni alacritate.*

§. IX. Elegans hic eſt comparatio. *α*. Tubuli erant media, abſque quibus oleum in lampades derivari non poterat. Sic ſe res habet in ſtatu ſpirituali. Nemo ullum fructum percipere poteſt ex concionibus, inſtitutionibus, exhortationibus, quæ in *publicum* mittuntur, aut etiam ex *publicis* fidei *confeſſionibus* aut Libris eruditorum, niſi qui ad eas adfert ingenium, & attentionem ſedulam & induſtriam, per quam ad ſe derivat quæ dicuntur aut ſcribuntur. Ut Apoſt. 1 Tim. IV: 13. *Intentus eſto lectioni.* Matth. XIII: 9. Apoc. II: 7. & ſqq. *Qui habet aurem ſpiritualem.* *β*. *Tubuli connectunt lampades cum Lecytho.* Symbolum ejus eſt, quod qui *attente* audit ea, quæ à Doctoribus dicuntur, aut legit, quæ in ſcripturis S. aut Libris Doctorum perſcripta ſunt, ſe *uniat* illis, quæ legit aut audit. Mens enim attenta dum eſt in hac exercitatione ſe *unit* illis, quæ publice dicuntur aut dictantur, & uniendo ex iis percipit fructum, qui abſque hac exercitatione nullus eſt. *γ*. Tubuli ſunt quid extentum à lampadibus ad Lecythum. Sic ſe habet res cum omni illa exercitatione ſpirituali, quam modo indicavi. Mens attenta arrigit aures, inclinat eas, & ſe veluti extra ſe extendit quam longe poteſt, ut fructum ſpiritualem olei Lecytho contenti excipiat. Hoc eſt illud, quod myſtice dicitur *ἄνθλημα hauſtrum* ſive *hauſtillum*, quo aqua ex puteo profundo, ſed aquæ pleno, hauritur. Eſt exercitatio actionis, *meditationis*, intenti animi, cum ſtudio & amore veritatis conjuncti, abſque qua nemo ſibi applicare poteſt, quæ in Verbo Dei leguntur, aut ad publicum uſum proferuntur.

§. X. Sic ſe habet Spiritualis excellentiſſimi Viſi interpretatio. Deus habet in Mundo Eccleſiam veram, cujus vera membra Lampadum inſtar inſtructa oleo, h. e. intel-